From the Library of

Professor William Henry Green

Bequeathed by him to

the Library of

Princeton Theological Seminary

BS2335
.R815
1815
v.3

W. Henry Green

Princeton Aug. 1846

Presented by my uncle

H. W. Green Esq.

D. IO. GEORGII ROSENMÜLLERI

SCHOLIA

IN

NOVUM TESTAMENTUM.

TOMUS III.

CONTINENS

ACTA APOSTOLORUM

ET

EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

EDITIO SEXTA

EMENDATIOR ET AUCTIOR.

POST AUCTORIS OBITUM

CURAVIT

D. ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERUS,

LITTERAR. OO. IN UNIVERS. LIPS. PROF. ORD.

CUM PRIVILEG. REG. SAXON.

NORIMBERGAE,

IN OFFICINA FELSECKERIANA.

MDCCCXXIX.

LIBRARY OF PRINCETON
SEP 3
THEOLOGICAL SEMINARY

D. IO. GEORGII ROSENMÜLLERI

SCHOLIA

IN

NOVUM TESTAMENTUM.

TOMUS III.

CONTINENS

ACTA APOSTOLORUM

ET

EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

EDITIO SEXTA

EMENDATIOR ET AUCTIOR.

POST AUCTORIS OBITUM

CURAVIT

D. ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERUS,

LITTERAR. OO. IN PRIVILEG. IPPS. PROF. ORD.

CUM PRIVILEG. REG. SAXON.

NORIMBERGAE,

IN OFFICINA BERSEGNERIANA.

MDCCCXXIX.

SCHOLIA

IN

ACTA APOSTOLORUM.

Πράξεις τῶν Ἀποστόλων; perinde est, sive *actiones*, sive *actus*, sive *acta*, sive *res gestas Apostolorum* vertas. Quamvis enim receptius sit, ut *acta* dicantur documenta, quae in publicas tabulas relata sunt, idem tamen saepe significant actus et acta, ut effectus et effecta, eventus et eventa; et *Cicero* etiam, quidquid quisquam egit, id modo acta, modo actus vocat. Narrantur autem hoc libro actiones, sive res gestae Apostolorum, sed ex multis admodum paucae, et prae ceteris memorabiles. Quum *Petri* et *Pauli* res gestae in hoc libro in primis tradantur, eos Apostolorum nomine hic tantum indicari censuit *Grotius:* imo *Gronovio* in Posthumis Francii inscriptio haec, in plurium numero formata, mira videtur. Sed, (ut recte monet *Wolfius* in Curis,) non poterat aliter aut rectius formari titulus operis, quod in limine historiam ordinis et coetus Apostolici, eiusdemque per Matthiam, in locum Iudae suffectum, instaurationem edisserit, totiusque ecclesiae, universorum opera plantatae et coactae, rationem exponit, et subinde reliquo-

rum Apostolorum aliorumque rei christianae praeconum meminit, tanquam qui operam suam in promulgando Evangelio collocarint. Refert *Chrysostomus* Homil. I. in acta Apostolorum, multis sua aetate hunc librum adeo ignotum fuisse, ut non solum ambigerent de auctore, verum ne id quidem cognitum haberent, an omnino extet haec rerum ab Apostolis gestarum historia. Sed hoc non ita intelligendum est, quasi hic liber actorum tum temporis non extiterit. Vituperat potius *Chrysostomus* socordiam Christianorum, quod non legerent hunc librum, nec curarent a quo is esset scriptus. Ipse vero hunc librum ab utilitate gravitateque argumenti valde commendat. Τοιαύτης, inquit ἐμπέπλησται φιλοσοφίας καὶ δογμάτων ὀρθότητος (καὶ θαυμάτων ἐπιδείξεως,) καὶ μάλιστα τῶν παρὰ τοῦ πνεύματος εἰργασμένων — καὶ γὰρ τὰς ῥοπὰς, ἃς ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις ὁ Χριστὸς προαναφωνεῖ, ταύτας εἰς ἔργον ἐξελθοῦσας ἐνταῦθά ἐστιν ἰδεῖν, καὶ ἀπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων διαλάμπουσαν τὴν ἀλήθειαν, καὶ πολλὴν τῶν μαθητῶν τὴν ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβολὴν τὴν ἀπὸ τοῦ πνεύματος αὐτοῖς ἐγγενομένην. Est utique in ipsa hac historia demonstratio simplicissima et firmissima veritatis religionis christianae; nam ex ea discimus, hanc religionem non vi et armis, non dolo et piis fraudibus, sed unice ope divina et salutarium veritatum, quas complectitur, praestantia et efficacia esse propagatam. Sed aliis etiam ex caussis hic liber est utilissimus. Continentur enim in eo varii sermones Apostolorum, Petri potissimum et Pauli, unde discimus, quaenam partes religionis ab Apostolis pro maxime necessariis habitae sint. Vix enim dubitari potest, Apostolos Iudaeis et Paganis, quos ad christianam religionem adducere vellent, eas doctrinas ab initio tradidisse, quae maxime necessariae esse vide-

rentur. Discimus etiam ex his Actis methodum, qua usi sunt Apostoli in tradenda religione, temporibus et locis et personis plane accomodatam. Sic e. c. Iudaeos ex libris veteris Testamenti edocebant, Iesum Nazarenum esse verum Messiam; in instituendis autem Paganis omnem institutionem a naturali religione petebant, atque id agebant, ut eos primum ad agnitionem unius veri Dei, deinde etiam ad cognitionem Iesu Christi et aliarum doctrinarum perducerent. Discimus denique ex hoc libro disciplinam Apostolorum, ex qua magna elucet indulgentia et humanitas, dum Iudaeis multa indulgebant adeoque observationem quorundam rituum Mosaicae legis permittebant, ne eos alienos redderent a religione christiana, erga Paganos autem ea utebantur moderatione, ut Mosaicae legis iugum eis non imponerent.

Auctorem huius libri esse *Lucam*, statim initium eius nos docet, quod etiam antiquissimi Scriptores rerum christianarum testantur. Iam enim Sec. II. *Tertullianus* (adv. Marcionem V. 2.) et *Irenaeus* (III. 12.) Acta haec tribuerunt Lucae. *Eusebius hist. eccles.* Lib. III. c. 25. acta Apostolorum inter ὁμολογούμενα refert. Denique etiam hic liber quotannis a die Paschatis ad diem Pentecostes legebatur in Ecclesiis, ut nos docent *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Ambrosius* et alii. Extiterunt quidem in ecclesia antiqua, qui a Clemente Romano, vel Barnaba, hunc librum conscriptum esse putarent, ut Photius testatur in Quaest Amphiloch. 145, Vid. *Gallandi Biblioth. Patrr.*, T. XIII. p. 722. Verba sunt: τὸν δὲ συγγραφέα τῶν πράξεων, οἱ μὲν Κλήμεντα λέγουσι τὸν Ῥώμης, ἄλλοι δὲ Βαρνάβαν, καὶ ἄλλοι Λουκᾶν τὸν εὐαγγελιστήν· ipse tamen Photius authentiam libri tuetur. Reiecerunt Acta

Apostolorum *Valentiniani*, *Marcionitae*, *Severiani*, et *Manichaei* quidam, ut constat ex *Irenaeo* c. haeres. III. 2. et 12. *Theodoreto*, Hist. eccl. I. 21. *Augustino* Epist. 251. c. Faustum XIX. 31. Sed hi omnes reiecerunt acta non ex rationibus historicis, sed quia ipsorum placitis erant contraria. *Gnostici* enim, quales erant Valentiniani et Marcionitae, Deum V. Testamenti alium esse dicebant, ac N. Testamenti Deum, et alium, non nostrum Christum per Prophetas V. T. promissum esse dicebant. Cum hac autem sententia multa Actorum loca pugnant. Alii, ut *Severiani* et *Encratitae* vehementer urgebant abstinentiam a cibis quibusdam; sed in actis traditur, ab Apostolis promiscuum ciborum usum permissum esse. *Manes* denique haberi voluit pro paracleto illo, quem Iesus promiserat Apostolis. In his actis autem narratur, paracletum a Christo promissum, Spiritum S. iam fuisse missum. Caussae igitur, cur nonnulli hunc librum reiicerent, non fuerunt historicae, sed dogmaticae, quia nempe haec historia cum placitis eorum non congruebat. Ceterum maior pars eorum, quae hic narrantur, sunt acta Pauli; cuius rei caussa est, (ut recte *Chrysostomus* observat,) quod Lucas discipulus et cultor Pauli fuit, quem in multis itineribus comitatus est. Omnia autem, quae tradit Lucas, vel ab aliis monumentis, quae literis iam mandata erant, mutuatus est, vel ex ore aliorum, potissimum Pauli, enarrat, vel ea recenset, quae conspexit, quibusque interfuit ipse. Extitisse iam ante Lucam monumenta de iis quae post Christi fata acciderunt, chartis inscripta, dubio caret. Multos iam aggressos esse recensum dare factorum rei christianae memorabilium, testis est ipse Lucas in Prologo ad

Evang. I, 1 — 4. Verum ab omni verisimilitudine abhorret, de Christo ipso solo scripta cumulasse istam aetatem, de Petri autem et Pauli aliorumque meritis prorsus conticuisse. Neque etiam verisimile est, omnes, quae in Actis referuntur, orationes, ea qua nunc legimus forma, ab ipso Luca esse confecta. Hoc enim ut statuamus cum argumenti tum stili magna diversitas vetare videtur. Plura de hac re vid. in *Ziegleri* commentat. *über den Zweck, die Quellen und die Interpolationen in d. Apostelgesch.* in *Gableri Iournal f. theol. Liter.* T. I. Fasc. II. p. 115. sqq. Adde *Heinrichsii* Prolegg. in Act. App. p 20. sqq. *Richmius de fontibus Actuum Apostolicor.* Trai. ad Rhen. 1821. 8. *Hildebrand Erklärung d. Geschichte d. App. Iesu nach Lucas.* Lips. 1824. p. 590 sqq. *Kuinoelii* Prolegg. in Commentar. ad Acta App. p. XV. sqq. edit. secundae.

Quo anno hic liber sit scriptus, certo definiri non potest. Videtur tamen nec ante, nec post annum LXIII. scriptus esse, quia Lucas historiam usque ad hunc annum persequitur, non autem commemorat, quem exitum habuerit captivitas Pauli. Ad *locum* quod attinet, alii Romae, alii Alexandriae, alii Antiochiae, alii in Achaia hunc librum scriptum esse putant. Res est incerta. Maximam tamen veritatis speciem eorum habet sententia, qui statuunt, Romae hos commentarios literis esse consignatos, quum Lucas Paulo Romam deducendo comes adfuerit, ipsa autem captivitate commemorata finem scribendi fecerit.

Plura, quae universam huius libri indolem spectantatque formam, qua est excussus, vid. in scriptis

isagogicis, quae *Michaeli*, *Eichhornio*, *Bertholdtio*, *Haenleinio*, *Schmidtio*, *Hugio* debentur.

CAP. I.

1. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην) *Priorem librum confeci* vel *in priori libro enarravi.* Πρῶτον pro πρότερον, scil. tempore et ordine, ut Io. XV, 18. Λόγος h. l. denotat *librum, enarrationem, historiam*, simili inflexione a λέγω dico, qua סֵפֶר a rad. סָפַר *narravit*, deducitur. Ita דִּבְרֵי saepius de libris historicis, ut 1 Paralip. XXIX, 19 Apud optimos quoque scriptores Graecos λογοποιός est *historiographus*, e c. Xenoph. *Cyrop.* VIII, 5 13. Simili fere modo *Philo* librum, *quod omnis probus liber*, his inchoat verbis: ὁ μὲν πρότερος λόγος ἦν ἡμῖν, ὦ Θεώδοτε, περὶ τοῦ πάντα δοῦλον φαῦλον. *Prior noster liber egit, Theodote, de eo quod omnis peccator sit servus.* Vocula μὲν eleganter a Scriptoribus Graecis ponitur, si in libris posterioribus ad libros priores a se scriptos provocant, eorumque summa capita breviter repetunt Fit hoc ab Herodiano initio singulorum librorum excepto secundo, et a Philone de *vita Mosis* initio libri secundi et tertii. *Prior* Lucae liber fuit eius Evangelium. Actorum liber secunda pars totius operis est, quandoquidem noster historiam evangelicam duobus est complexus voluminibus, quorum utrumque ad eundem scripsit Theophilum, et posterius auspicans prioris facit mentionem. Haec enim historia (utor Erasmi verbis), quid aliud est quam Evangelii pars, eaque, meo iudicio, non minima. Si-

quidem illic describitur granum frumenti solo conditum; hic describitur enatum, suasque paulatim aperiens ac proferens opes. Quod ni per Lucam cognovissemus, quibus modis Christus reliquerit terras, ubi, quo loco, quibus modis advenerit promissus ille Spiritus, quibus initiis coeperit Ecclesia, quibus rebus polluerit, quibus creverit rationibus, nonne bonam Evangelii partem ignorassemus? — De *Theophilo* vide dicta ad Evang. Luc. I, 3. 4. Περὶ πάντων i. e. *de praecipuis.* Non enim haec verba ad vivum possunt resecari. Est potius idiotismus, qualis Io. V, 29. ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν) *quae Iesus fecit pariter ac docuit.* Ἤρξατο ex more Hebraeorum pleonastice positum esse videtur pro simpliciore ἐποίησε. Tota phrasis mera est circumscriptio, pro ἃ ἐποίησε καὶ ἐδίδαξε. Sic Gen. II, 3. ὧν ἤρξατο ὁ Θεὸς ποιῆσαι. Cf. etiam Matth. XII, 1.

2. Ἄχρι ἧς ἡμέρας — ἀνελήφθη) Quocunque modo haec verba explices, transpositio quaedam admittenda est. Facillima videtur constructio, si unicam voculam οὕς transpositam dicas, ut constructio ordinaria sit: ἀποστόλοις, οὕς διὰ πνεύματος ἁγίου ἐξελέξατο (quomodo etiam Codd. nonnulli haec verba distinguunt, Verss. Syr., Arab, Aethiop. et Cyrillus), ut sensus sit: *Quum mandata dedisset Apostolis, quos per Spiritum sanctum, elegerat.* Selegit Apostolos vel instinctu Spiritus S., vel pro divina vi, quae eum inhabitabat, ex qua ingenia eorum, qui ad tantum opus maxime idonei forent, optime poterat dignoscere. Similis constructio est infra c. III, 24. et Io. IX, 40. Neque tamen cum iis disceptamus, qui vocc. διὰ Πνεύματος ἁγίου construunt cum ἐντειλάμενος, vertuntque: *postquam Apostolis mandata per Spiri-*

tum sanctum dederat. Qua explicatione admissa (quamvis sic vocc. inserta οὓς ἐξελέξατο otiosa videntur) sensus esset: mandata dedisse Iesum Apostolis suis, post reditum in vitam, ut nempe Hierosolymis expectarent dona Spiritus sancti, ut postea irent per orbem terrarum docendi baptizandique caussa etc. Quid sit *per Spiritum S. aliquid dicere aut facere*, docuimus ad Matth. III, 16. Generalis notio est, facere aut dicere aliquid *volente, adiuvante et operante Deo*, ut si Iesus saepe dicitur miracula patrasse et daemonia eiecisse ἐν πνεύματι ἁγίῳ i. e. *adiuvante et operante Deo* Cf. infra X, 38. Sic etiam Prophetae per πνεύμα ἅγιον, i. e. operante Deo locuti sunt. Hoc loco igitur Iesus spectandus esset ut Propheta a Deo missus, et mandata dedisse Apostolis *per Spiritum sanctum* ideo esset dicendus, quia auctoritate divina et operante Deo praedixit, Apostolos accepturos esse dona Spiritus sancti, eademque auctoritate divina eos constituit ministros religionis suae. Fuerunt quoque, qui refragante linguae usu διὰ acciperent pro περὶ, et verterent: mandata dedit Apostolis *quod attinet ad*, respectu Spiritus S. Nimis coacta etiam eorum explicandi ratio videtur, qui existimant, ad Verbum ἐντειλάμενος subaudiendum esse Accusativum, ea videlicet quae exsequenda essent, ita, ut *mandata per Spir. S. exsecuturi* Apostoli dicantur. — Ἀνελήφθη) *sublatus est*, scil. εἰς οὐρανὸν, quod est subaudiendum; interdum autem exprimitur, ut mox Vs. 11. Marc. XVI, 19.

3. Οἷς καὶ — τεκμηρίοις) *Quibus etiam vivum se exhibuit, post mortem suam, per multa documenta.* Παθεῖν intellige de morte (ut Luc. XIII, 2.) et connecte vocc. ζῶντα μετὰ τὸ παθεῖν, hoc sensu:

post mortem adeo redivivum, παρέστησεν ἑαυτον, *se exhibuit*, se comprobavit. Τεκμήριον est *omne certum et indubitatum signum, e quo aliquid iam certissime colligi et cognosci potest.* Huiusmodi documenta vitae verae erant, quod cum iis edit et bibit, quod modo in Galilaea modo in Iudaea cum iis versatus est; quod se tangendum praebuit, eosque de multis rebus ad religionem pertinentibus edocuit (X, 41.) δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα) scil. *interdum* per illud 40 dierum spatium; non enim Christus post resurrectionem perpetuo cum suis versatus est (Io. XX, 19. 26. XXI, 1.), id quod ipsum docet verbum ὀπτάνεσθαι, *se conspiciendum praebere, apparere*, plane uti heb. יצב 1. Sam. XVII, 16. Itaque ex participio ὀπτανόμενος significatur, quod Iesus subinde se subtraheret ab oculis discipulorum, et rursus se offerret. Τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ) scil. γνωστέα, quae de regno Dei, vel de novo rerum ordine, quem Deus per Iesum in terris restitutum voluit, ipsis scitu necessaria essent, hactenus ipsis vel plane ignota, vel obscura, Io. XVI, 12. sqq.

4. Καὶ συναλιζόμενος) sc. αὐτοὺς. *Et (aliquando*, scil. ipso adscensionis die) *quum eos congregasset.* Haec lectio, quippe unice vera, omnino retinenda est, reiectis aliis, συναλισκόμενος et συναυλιζόμενος, a librariorum aut incuria aut ignoratia profectis. Est autem ἁλίζειν et ἁλίζεσθαι voce med. *colligere.* Ioseph. Ant. VIII, 4. 1. τὰ δὲ λοιπὰ σκεύη πάντα συναλίσας, *quum ceteram supellectilem omnem collegisset*: inde pro *congregare*, XIX. 7. 4. πλῆθος εἰς ἐκκλησίαν συναλίσας, *quum populum in concionem convocasset.*

Xenoph. Cyr. I, 4. 14. πεζοὺς πολλοὺς καὶ ἱππέας συναλίσας. Vulgata latina cum aliis habet *convescens*. Sic Chrysostomus etiam intellexit verbum συναλιζόμενος. Hom. I. Verum haec verbi συναλίζ. significatio nostro loco neutiquum conveniens est. Etenim quae hic leguntur, eo ipso die Iesus dixit, quo in coelum rediit, et quidem in monte olivarum, uti e Vs. 12. liquet. ἀλλὰ περιμένειν — ἣν ἠκούσατέ μου) Oratio obliqua mutata in rectam, more, optimo cuique scriptori, e. c. Xenophonti satis familiari. Sensus est: monuit eos, *ut expectarent promissum a Patre beneficium, de quo ipse dixisset.* Quale hoc beneficium esset, statim v. 5. dicitur. Ἐπαγγελία, *ipsa res promissa*, ut saepe. Ἀκούειν τινὸς, *ex aliquo audire* apud optimos scriptores occurrit, e. g. Theophrast. charact. eth. c. 9. οὗ φησὶν ἀκηκοέναι, *e quo se audivisse dicit.* Demosthenes *Olynth.* I. ἤκουον δ' ἔγωγε τινων, *audivi vero ego a nonnullis.* Subaudire potes ἐκ sive ἀπὸ, ut infra Act. IX, 13. *Hierosolymis* autem haec tanta miracula fieri par erat ut iidem, qui ignominiosae mortis Iesu spectatores fuissent, nunc certissimis argumentis de eiusdem vita gloriosa et maiestate convincerentur; ut taceamus multitudinem hominum, ex dissitis locis ad festum celebrandum adventantium. Hinc ergo tamquam e centro in omnes terrarum partes exire novi luminis radios voluit Iesus.

5. Ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε) Βαπτίζεσθαι, *mergi*, dictione metaphorica exprimit abundantiam et plenam copiam rei alicuius, *penitus imbui aliqua re*; sic *miseriis mergi*, Marc. X. 38. 39. Speciatim in N. T. de solemni illa ad regnum Messianum inauguratione adhi-

betur. Appellat autem *baptisma* hoc loco illud munus datum in Pentecoste, ob copiosiorem effusam in Apostolos gratiam Spir. S. In hunc sensum interpretatur hunc locum Petrus infra XI. 15. sqq. De Spiritu S. cf. not. ad Io. XIV, 16. 17. Quod Ioannes praedixerat, Matth. III, 11., id nunc, inquit Christus, per me vobis praestabitur (II, 1. sqq.) Sensum huius loci bene expressit *Heinrichsius*: *Vestra inauguratio gravior, fortior et magnificentior erit, quam ea qua homines et me ipsum ad Iordanem inauguravit Ioannes.* οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας) *Haud multo post hoc dies.* Singularis his verbis inest constructionis mutatio. Posita enim sunt, pro: οὐ πολὺ μετὰ ταύτας ἡμέρας, vel pro: οὐ πολλαῖς ἡμέραις μετὰ ταῦτα.

6. Εἰ ἐν τῷ χρόνῳ — τῷ Ἰσραήλ;) *An hoc tempore Israëli regnum restitues?* An his ipsis diebus genti Israëliticae regnum instaurabis? Ingens suum videndi eius diei desiderium exprimunt. Εἰ pro Hebr. אִם saepe denotat *an*. Ἀποκαθιστάνειν h. l. non est *in pristinum statum restituere;* maius enim et excellentius regnum quam priscum fuerat exspectabant; sed omnino *condere, perficere,* τελειόειν. Nondum plane intelligebant tum Apostoli, *quale* futurum esset regnum Messiae. Expectabant autem restitutionem regni Israëlitici collapsi, et per Romanos paene erepti Iudaeis, αὐτονομίαν et imperium in omnes fere gentes. Putabant fortassis coniunctum iri regnum Christi spirituale cum singulari Iudaeorum praerogativa, ita ut republica eorum in statum pristinum restituta, et perdurante legis Leviticae observatione, gentiles, qui Christo regi no-

men dare vellent, Iudaismum antea amplecti cogerentur. Ceterum haec discipulorum quaestio cum iis, quae praecedunt, non arcte cohaerere videtur, nisi existimaveris ipsa promissa Christi Vs. 5. ita a discipulis esse intellecta, ac si de isto regno dicta essent. Attamen magis verisimile videtur, aliud hic induci conversationis obiectum, longiore post promissa Iesu promulgata intervallo ab Apostolis prolatum.

7. Οὐχ ὑμῶν — ἐξουσίᾳ) *Non est vestrum scire, quae tempora Pater his rebus gerendis ex sua ipsiusmet potestate* (suo arbitrio) *destinaverit.* Καιρὸς saepius *tempus* in universum denotat et h. l. synonymum est τοῦ χρόνου. Particula ἤ apud Graecos haud raro Coniunctionis loco ponitur, ut idem sit quod καί. Quare vocc. χρόνους ἢ καιρούς simpliciter vertenda sunt: *tempora.* Cf. Matth. V, 17. Dan. II, 21. VII, 12. Τιθέσθαι h. l. est *constituere, determinare.* Demosth. adv. *Phaenip. Quum saepe legibus trigesima dies praefinita sit,* ἑτέραν ἡμῖν αὐτοῖς συγχωρήσαντες ἐθέμεθα, *aliam inter nos ipsos paciscentes constituimus.* Ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, *ex propria potestate.* Sic Matth. XXI, 23. et saepe in locis paralellis. Sensus igitur est: Deum pro sua potestate certa rerum omnium constituisse tempora, et in iis decernendis nemine adiutore et consiliario usum esse; non decere igitur, ut homines nimis sollicite et curiose illa rimentur, quae revelare illis divinae nondum placeret sapientiae. Non respondet Christus ad propositam quaestionem; nam, (inquit Chrysostomus,) διδάσκαλου τουτό ἐστι μὴ ἃ βούλεται ὁ μαθητὴς, ἀλλ' ἃ συμφέρει μαθεῖν, διδάσκειν. Spiritum, inquit, accipietis. Tunc videbitis quid sit eventurum, et

quale sit regnum divinum; evanescet vana vestra spes. Conferri possunt, quae notavimus ad Io. XVI, 23.

8. Ἀλλὰ — ἐφ' ὑμᾶς) *Sed* (q. d. *satis est*, hoc vobis sufficiat,) *accipietis dotes Spiritus sancti, in vos demissi.* Δύναμις h. l. significat *dotes necessarias* ad negotium docendi, et gerendum munus Apostolicum. Ἐπέρχεσθαι ἐπί τινα metaphorice dicitur id, cuius vis et virtus se in aliquo exserit et operatur, seu, quo aliquis imbuitur et instruitur. Ἔσεσθέ μοι μάρτυρες, *testes mihi eritis*, testabimini, me Messiam extitisse, dictisque et factis me talem comprobasse. Testes appellantur, scil. πάντων, ὧν ἐποίησεν ὁ Χριστὸς, X, 39. Cum vero *testes* vocantur Apostoli, simul etiam eorum tamquam *doctorum* Evangelii munus significatur. Cf. not. ad Io. 1, 7. ἕως ἐσχάτου (πέρατος) τῆς γῆς, *ad remotissimas usque terrae oras*, i. e. per totum orbem, inter omnes gentes.

9. Βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη) *Videntibus illis sursum latus est.* Ita igitur discessisse dicitur, ut qui aderant sursum ferri eum cernerent. Καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν) *Nubes suscepit eum, ita, ut e conspectu eorum abriperetur;* nube intercedente disparuit. Exprimitur hoc tum illud, vere disparuisse Iesum, tum celsiorem eum sedem occupasse; siquidem nubes erant numinum sedes (Exod. XXIV, 18.). Ὑπολαμβάνειν, *suscipere*. hoc loco notat *in altum evehere, abripere, subducere*, ὑφαρπάζειν. Adhibetur haec vox de rebus, quae venti fluctusve abripiunt. Eusebius, scriptor Ionicus, apud Stobaeum Serm. 6. ὥσπερ νῆα ἄνεμοι ὑπολαβόντες, τῇ κῃ τῇ φορέοντες

συγκλονέουσι, *quemadmodum venti navem abreptam huc illuc ferentes conquassant.* Vide annotata ad Marc. XVI, 19. *Christ. Fr. de Ammon* (in novis opuscc. theoll. Goett. 1803. Commentatione 3. *Adscensus I. Chr. in coelum historia bibl.*) iam inde a iactis christianae religionis fundamentis duas in ecclesia de ascensione Iesu Christi in coelum obtinuisse sententias putat: *unam*, quae in fide simplici abitus Christi ad gloriam coelestem subsisteret; *alteram*, quae fidem istam ornaret coloribus, variisque traditionibus oculos et imaginationem in fidei illius societatem adsciscceret; (p. 54.) Marcus et Lucas obtemperaverunt hac in re, (ut ipse putat p. 47.) Christianorum ex Iudaeis ingenio, Midraschici Messiae venturi receptionem coelestem prope Bethaniam in monte olearum eventuram esse, dudum vaticiniis V. T. portendi sibi persuasum habebant. Vid. loca ab eo citata. Neque tamen ab omni parte illa sententia videtur probanda. Statuendum potius erit, omnem antiquitatem in hac fide consensisse, quod Christum adspectabili modo sursum sublatum esse crederet. Lucas certe rem ita accidisse, persuasum sibi habuit; nec id egit, ut aut ad hominum suae aetatis ingenia opinionesque descendendo ea traderet, quae aliter evenisse existimaret ipse, aut rem simplicem coloribus aliunde illitis ornaret.

10. Καὶ ὡς — οὐρανὸν) *Quum essent intentis*, sive *defixis in coelum oculis;* id enim Graecis est ἀτενίζειν, *fixis et immotis obtueri oculis.* Ἄνδρες δύο) Metonymice dicuntur ἄνδρες δύο, duobus viris candidatis sive albatis similes. Vix enim coll. locis Matth. XXVIII. 2. 3. Luc. XXIV, 4. Io. XX, 12. poteris du-

bitare, quin ex auctoris mente genii coelestes significentur. Extiterunt tamen e recentioribus plures, qui ab hac sententia recederent. Et quidem alii omnia, quae hic narrantur, ad mythos referunt, parum curantes, num vere acciderint ea, quibusve naturae legibus evenerint. Alii angelos spectantium oculis tantum visione oversatos esse, aut angelorum apparitionem a Luca ipso ad rem exornandam adiectam putant. Ex aliorum (e. c. *Kuinoelii*) sententia per angelos significantur *fulmina* et *tonitrua*, quae discipuli significantia putarint, ita, ut dixerint et crediderint, Deum per angelos declarasse, quae ipsi cogitassent, quum Christus abiisset. Quae interpretatio aliquam haberet veritatis speciem, si pro ἄνδρες scriptum esset ἀγγέλοι. Etenim Hebraei procellas et fulmina Deo ut ministros tribuebant, e. c. Ps. CIV, 5., ubi Alexandrini verterunt: ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα. καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πῦρ φλέγον, et cf. Ps. CXLVIII, 8. At vero desideratur locus, ubi fulmina aut tonitrua ἄνδρες appellantur. — De tota re, quae h. l. narratur optime disputavit *Heinrichsius* in Excursu I. *(de Iesu Chr. in coelum sublato*, ad Act. I, 1 — 11.), Commentario suo adiecto. Continuavit Heinrichsius N. T. ed. Kopp., ubi vid. Vol. III. P. II. pag. 289. seqq.

11. Ἄνδρες Γαλιλαῖοι) Notandum, quod olim, potissimum regnante Iuliano, *Galilaeorum* nomen praevaleret ad designandos quoscunque Christi sectatores, quia novae doctrinae auctor primique eius discipuli Galilaea oriundi erant. Nomen tamen Galilaeorum, quia stultitiae et ineptiarum notio ei adhaerebat, haud

admodum decorum habebatur. Οὕτως ἐλεύσεται) *Sic* ut oculis conspici possit, *veniet*, seu *redibit*, ad iudicium universale, ad inaugurandum regnum Messianum. Ut hoc certum est, eum abiisse, sic certum est, eum reversurum esse, vel: tam gloriose, tanta cum maiestate, quanta cum maiestate abiit. Cf. Matth. XXIV, 30. XXV, 31.

12. Σαββάτου ἔχον ὁδὸν) ἔχον pro ἀπέχον, ut adeo olivetum, et in specie locus, ubi Christus in coelum sublatus est, Sabbati itinere ab urbe remotum fuisse dicatur. *Iter Sabbati* plerique Iudaei definiunt bis mille ulnis, i. e. mille passibus: nam passus duplex ulna. Syr. *septem circiter stadiis*. Plura de *itinere Sabbati*, vide in *Handb. der bibl. Alterthumsk.* T. I. P I. p. 164. Ceterum Lucas secum non ipse dissentit, cum in Evangel. XXIV, 51. Christum Bethaniae in coelum sublatum dicere videtur. Nam verba ἕως εἰς Βηθανίαν (Luc. XXIV, 50.) non significant *usque ad* Bethaniam, sed viam quae *versus* Bethaniam tendit. Bethania autem ad radices montis oliveti sita erat, et h. l. discipuli super istum montem. Hieresolyma reversi dicuntur. Cf. librum laud. T. II. G, I. pag. 120.

15. Εἰς τὸ ὑπερῷον) Ὑπερῷα intellecto οἰκήματα, *superiores aedium* denotant *partes*, *superiora coenacula* cum Plauto diceres Amphitr. Act. III. Sc. I, v. 3. Opponuntur ἐπίπεδα. Attici, ut Auctor est Moeris, διῆρες dicunt. *Krebsius*, quem *Mosche* aliique sequuntur, per τὸ ὑπερῷον intelligit *cellam superiorem in templo Hierosolymitano*, quae κατ' ἐξο-

χὴν appellata sit ὑπερῷον. Haec fuit etiam sententia *Ludovici de Dieu*, a qua *Campeg. Vitringa* (de Synagoga vetere p. 152. sq.) non alienus fuit. Hoc ὑπερῷον *Iosephus* Ant. XI, 5. 4. ita describit, ut locum subdivalem fuisse, ibique homines congregari solitos, ostendat. Cf. Ant. VIII, 3, 3. Hanc sententiam confirmare videtur, quod infra dicitur, Apostolos una cum fidelibus semper fuisse in templo; et dilucide locus XXIV, 53. ubi Apostoli, Iesu in coelum sublato, Hierosolyma reversi, semper in templo fuisse dicuntur. Nihil tamen obstat communi sententiae, quae hoc ὑπερῷον in domo privata aliqua fuisse contendit; nec locus c. II, 41. repugnat, ut infra docebimus. Neque etiam Apostoli in templo potuerant καταμένειν, quod statim sequitur. Cf. *Michaelem* ad h. l. qui ὑπερῷον, de quo hic sermo, comparat cum Arabum *Alija*. Erat consuetudo Iudaeorum, ut, si vacare vellent religioni, precari, seriis meditationibus rerum divinarum incumbere, aut cum aliis de lege divina colloqui, et de eius sensibus disputare, in summum conclave se conferrent. De hoc Iudaeorum more vid. *Campeg. Vitringa* de Synag. vet. p. 145. sq. Igitur in summo illo conclavi Apostoli convenire solebant pietatis exercendae caussa. Ἰούδας Ἰακώβου sc. *frater*. Alioqui idem Thaddaeus et Lebbaeus dicitur. Matth. X, 3. Marc. III, 18.

14. Οὗτοι — προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει) *Hi omnes assidue una preces faciebant.* Ὁμοθυμαδὸν saepius quidees t *uno animo, unanimiter;* malim tamen h. l. verti *simul*, *una*, ut congruat Hebr. יַחְדָּו seu יַחְדָּיו, Thren. II, 8. Iob. XVII, 16. Προσευ-

χὴ et δέησις sunt Synonyma, nec est discrimen quaerendum in his duobus verbis. Verba καὶ δεήσει desunt in codd. nonnullis, versionibus, et patrum scriptis. Προσκαρτερεῖν πράγματι τινι *est non fatigari, assidue versari in negotio aliquo;* dictio autem ἦσαν προσκαρτεροῦντες posita est pro προσεκαρτέρουν. Σὺν γυναιξί, *cum mulieribus.* Non intelligendae sunt *uxores* Apostolorum, alioqui addendum fuisset αὐτῶν, sed *mulieres*, quae Christum e Galilaea secutae erant eique ministraverant (Matth. XXVII, 55. Luc. VIII. 2. 3.), quarumque plures etiam ad sepulcrum Christi fuerant. Ἀδελφοὶ sunt Iesu *fratres*, sive in universum cognati (cf. not. ad. Io. VII, 3. 4.) Si *fratres* intelligas, statuendum erit, eos nunc temporis Iesum *Messiam* esse persuasos fuisse.

15. Ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις) *Per eosdem hos dies*, nimirum interiectos inter diem, quo in coelum Christus ascenderat, et Pentecostes habentem nomen. Ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν) *Discipuli* Christi vocantur: 1) Duodecim Apostoli. 2) Qui Iesu adhaeserant eumque comitati erant. 3) Omnes cultores Iesu, posthac Christiani vocati. H. l. generalis significatus obtinet. Christi sectatores modo frequentiores modo parciores consessui Apostolorum intererant. Accidit illo die, quo in proditoris locum alius Apostolus sufficiendus erat, ut numerum centenarium excederent. ὄχλος ὀνομάτων) Nomina dicere pro *hominibus*, receptum fuisse inter Iudaeos loquendi genus, ex Apocal. III, 4. XI, 13. aliisque locis apparet. Ita שֵׁמוֹת Num. I, 2. Sed et Latini ita loquuntur. *Statius* Theb. VI. 373. *Quisnam iste duos, fidissima Phoebo nomina commisit De-*

us in discrimina reges? ἐπὶ τὸ αὐτὸ) *in uno eodemque loco*, intellecta voce χωρίον, vid. *Lamb. Bosius* in Ellips. Gr.

16. Ἄνδρες — τὸν Ἰησοῦν) *Carissimi, debebat eventu comprobari quod scriptum est, et quod praedixit Spiritus S. per Davidem de Iuda, qui fuit dux eorum, qui Iesum comprehenderunt.* Loca Psalmorum ad quae respicit Petrus, infra v. 20. afferuntur. Sunt quidem, qui iam h. l. ad Ps XLI, 9. 10. respici volunt, quem locum Iesus ipse in Iudam transtulit (vid. not. ad Io. XIII, 18); nulla tamen in hac oratione verba adducuntur, e quibus pateat, etiam illum locum menti Petri obversatum fuisse. Γραφὴ est *effatum, oraculum*, ut Luc. IV, 21. Omne autem effatum γραφῆς Spiritui S. tribuitur, ut στόμα enunciantis nonnisi instrumenti instar habeatur.

17. Ὅτι — διακονίας ταύτης) *Scilicet annumeratus fuerat ille nobis, et acceperat hoc idem munus*, sc. quo et nos fungimur. Incipit nunc Petrus uberius mentem explicare. Λαγχάνειν propr. est *sortiri, sorte accipere*, ut Luc. I, 9. (ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι), deinde omnino *nancisci*, uti h. l. coll. 2. Petr. I, 1. Ceterum hic verbum iungitur et cum Genit. et cum Accus. rei. Vid. *Matthiae Gramm.* §. 363. Eodem sensu Gen. XXV, 18. legitur verbum נָפַל *cecidit*, scil. sors eius, i. e. habitavit. Etenim, quia inter eos, qui coloni aliquem in locum mittebantur, saepe sorte dividebatur ager, ideo etiam ubi nihil simile factum, *cecidisse* sorte ea loca iis dicuntur, qui

ea possident. Κλῆρος, *sors*, transfertur quoque ad ea, quae cuique obtingunt, et in sacris litteris divini muneris participationem indicat; ut hoc loco: Sortitum fuisse Iudam, Petrus ait, idem ministerii munus, quum Apostoli electi fuerint a Iesu. Vide. Io. *Ern. Imman. Walchii* Diss. *de munere Apostolico*, κλήρῳ τῆς διακονίας, in Dissertatt. in Acta Apostolorum, quibus multa antiquitatis sacrae et profanae capita explicantur atque illustrantur. Vol. I. Diss. I.

18. Videntur comm. 18. et 19. continere in parenthesi non Petri, sed Lucae verba, narrantis, quid tandem evaserit Iudas. Non opus erat, ut Petrus ipse haec enarraret; nam iis ad quos verba faciebat, haec omnia iam nota erant et perspecta. Saltim vocc. τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ cum interpretatione vocabuli ἀκελδαμὰ ex Petri oratione esse non possunt. Apposite *Heinerichsius* ad h. l.: „Lucas" inquit „in Ev. de morte Iudae nil memoraverat, adeoque monendus de ea erat Theophilus, qui aliter non perspexisset, quem in finem haec loquutus sit, aliumque Apostolum suffecerit Petrus. Iam autem perspicuum fit, quomodo V. T. locus, jam Vs. 16. a Petro annunciatus, Vs. 20. demum proferatur, quod alias contra morem prorsus fieret." οὗτος μὲν — τῆς ἀδικίας) Sensus est: *Is mercede iniusta occasionem praebuit emendi agri.* Iudas enim sibi non emit agrum; abiecit potius pecuniam in templum. Iudaei autem pro illa pecunia emerunt agrum. Ergo non inhaerendum est verbis, sed ex ipsa historia explicandus est locus. Vid Matth. XXVII, 5 — 8. πρηνὴς γενόμενος) *Praeceps factus.* Sic Iosephus de B. Iud. L. VII. c. 5. de Sabino quodam milite Romano,

qui culmen murorum Hierosolymae iam conscenderat, dicit, καὶ πταίσας πρός τινα πέτραν πρηνὴς ἐπ' αὐτῆς μετὰ μεγίστου ψόφου κατέπεσεν, *ad lapidem quendam allisus praeceps super illo cum maximo crepitu decidit*, Cf. *Sap.* IV, 19. 3. Maccab. VI, 23 ἐλάκησε μέσος) *Ruptus est medius*, disruptus est, cum crepitu quodam dissiliit. Ἐλάκησε est i. q. διερράγη. Verbum λακεῖν nonnisi h. l. in. N. T. occurrit. Quod rem ipsam attinet, cf. not. ad Matth. XXVII, 5. Tota haec res sic cogitanda esse videtur: Finiit Iudas vitam suspendio. Postquam vero aliquamdiu pependerat, rupto laqueo, praecipitatus est humum, et ruptus venter sic ut intestina effunderentur. Alii, ut *Grotius*, et Iac. *Perizonius* existimabant, Iudam moerore et melancholia correptum ascendisse domum, aut alium locum editum et celsum, et inde se praecipitasse, et hoc esse illud: πρηνὴς γενόμενος.

19. Καὶ γνωστὸν ἐγένετο) Id, quod Iudae evenerat. ἀκελδαμὰ חֲקַל דְּמָא, quomodo hic scribit. Syrus. Hierosolymitana eius temporis lingua prope ad Syriacam accedebat. *Ager sanguinis*, vel *ager caedis*, *Mordacker*, quia pecunia pro proditione Iesu soluta emtus erat.

20. Γέγραπται — λάβοι ἕτερος) Haec duo loca extant Ps. LXIX, 26. CIX. 8. Mala imprecatur Davides inimicis suis et regni Israelitici, atque adeo Messiae. Prioris loci sensus est: *Fiat illius palatium* (domicilium) *desertum, neque sit qui in eo habitet.* Ἡ ἔπαυλις, *villa, casa rustica.* Hebraicus textus habet

טִירָה, quod proprie est *domus pastoritia, in qua est stabulum;* deinde vero *castellum* et quodvis *domicilium* significat. Alterius loci sensus est: *Munus eius accipiat alius.* Nam ἐπισκοπή, hebr. פְּקֻדָּה, propr. *quod alicui administrandum demandatum est,* in universum denotat quodlibet *munus* vel o cium, cui quis praeficitur. Si haec de Davidis inimicis intelliguntur, omnia sumi possunt ad verbum. Multa nempe mala imprecatur Davides hostibus suis, et inter alia etiam haec, ut palatia vel domicilia eorum desolentur, et munera eorum alii accipiant. Utrumque locum Petrus a Davide et hostibus eius, ad Messiam et inimicos Messiae, nominatim ad Iudam transfert, propter manifestam similitudinem. Isto enim aevo, quo ardentissimo desiderio meliora Messiae tempora exspectabant Iudaei, ingens solatium in eo inveniebant, si quam plurima V. T. oracula de temporibus iis enunciata credere et ad eadem adhibere possent. Simul etiam doctrinam quandam religionisque studium eo profiteri sibi videbantur, si vel levissimas similitudinum umbras de Messia aliisque arriperent. Cf. et not. ad Io. XVII, 12. et XVIII, 9. Quod attinet haec nostro loco e V. T. citata oracula, ea de Iuda ad verbum intelligi non possunt. Unde enim constat, domicilium Iudae mortui desertum et incultum fuisse? Est igitur deserta domus effigies interitus, aut si dialectice dicas, pars aut species interitus, et in his verbis ad Iudam relatis, in universum hoc inest: *Utinam intereat!* Petrus nempe ex longo carmine dirarum unam decerpit imprecationem, non quo haec una potissimum syllabatim spectanda sit, sed ut doceatur, ad quem illae omnes dirae referri possint aut debeant. Nec inest in

verbis Psalmorum proprie vaticinium, quod ad Iudam solum pertineat; sed hoc tantum vult Petrus: *Quod in libro Psalmorum scriptum est, fore ut impii, inprimis inimici Messiae male pereant, id etiam evenit Iudae.* Hic sensus consilio Petrinae orationis congruit. Nam (id quod Petrus voluit docere) si Iudas interiit, opus est eius successore. Sed si locus ad verbum capiatur, non valet conclusio: Quia domus Iudae deserta est, opus est eius successore. Simili modo Paulus illud dirarum carmen omnino ad Iudaeos pertinere dicit. Rom. XI, 9. Vid. *Mori* Diss. *de discrimine sensus et significationis*, in Opusc. Vol. I. pag. 91. sqq.

21. 22. *Oportet igitur unum eorum, qui nobiscum versati sunt per omne illud tempus, quo Dominus familiarissima nobiscum consuetudine munere suo functus est, initio facto inde a baptismate Ioannis, usque ad eum diem, quo sublatus est, testem fieri nobiscum resurrectionis eius.* Construe: δεῖ οὖν ἕνα τῶν ἀνδρῶν — γενέσθαι σὺν ἡμῖν. Τῶν συνελθόντων ἡμῖν ἀνδρῶν, subaudi ἐκ. Ex iis, qui nobiscum versati sunt, sive qui fuerunt in nostro coetu, toto eo tempore, ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς, elliptice pro ἐν ᾧ εἰσῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐξῆλθεν ἀφ' ἡμῶν, *perpetuam vitae consuetudinem habuit.* Est enim haec periphrasis, significans usum familiaris consuetudinis. Sed eadem phrasis speciatim adhibetur de *muneris administratione*, ut Deut. XXXI, 2. ubi Moses declarat, se propter senectutem non posse amplius *ingredi et egredi*, i. e. muneris sui laboribus satisfacere, coll. 1. Chr. I, 10. Cf. et not. ad Io. X, 9. Utrumque igi-

tur in versione exprimendum videtur. ἀρξάμενος — ἀνελήφθη ἀφ' ἡμῶν, i. e. *ab initio usque ad finem muneris eius.* ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, ex quo ab Ioanne fuit baptizatus. Id enim initium ei fuit auspicandi muneris. Versati autem erant cum Iesu non tantum duodecim Apostoli, sed et 70. discipuli. Μάρτυρα τῆς ἀναστάσεως) *Testis resurrectionis* hic est, i. q. praeco religionis christianae. Siquidem Christi resurrectio pro luculentissimo legationis eius divinae documentum habetur. Cf. 1. Cor. XV, 14.

23. Καὶ ἔστησαν — Ματθίαν) Ἵστημι h. l. metaphorice est *sisto, propono eligendos, ich bringe in Vorschlag.* Verisimile est, hos duos, *Iosephum* et *Matthiam*, fuisse e numero LXX. discipulorum, quos Iesus secum habuit, et quos interdum dimisit per Palaestinam, docendi caussa, ut legimus Luc. X. *Barsabas* videtur familiae cognomen fuisse, *filius alicuius Sabae*; *Iusti* cognomen autem Iosephus nactus esse videtur propter indolem et mores. Βαρσαβᾶν nonnulli putant esse eundem, qui IV, 36. Ἰωσῆς Βαρνάβας appellatur, qui postea Paulum primus in scenam produxit, IX, 27. XI, 22. 25. 30. 12, 25. al. Sane eiusmodi nominum propriorum variationes sunt frequentissimae.

24. Καρδιογνῶστα) Cui sunt omnium hominum animi noti, qui omnium indolem, sentiendi cogitandique rationem habet perspectam, qui Deus est solus. Homines autem saepenumero externa specie falluntur.

25. Λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς) *Ut accipiat munus hoc Apostolicum.* Κλῆρον τῆς διακονίας habuimus supra v. 17., hic additur ἀποστολῆς, nimirum ἕν δια δυοῖν, pro ἀποστολικῆς. ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας) *Unde decessit, vel excidit Iudas.* Cuius officii desertor fuit Iudas. πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον) Variae sunt interpretum sententiae de loci huius sensu. *Keuchenius* in Annotatt. ad h. l. explicat de abitu Iudae in domum suam ad mercaturam faciendam, vel ad alia negotia suscipienda. Sic 1. Macc. XI, 38. *Demetrius* dicitur permisisse militibus suis, ut quisque rediret εἰς τὸν ἴδιον τόπον. Huic affinis est *Krebsii* sententia, qui putat haec verba explicanda esse ex notissima illa loquendi ratione, *quo homines ad suum quisque locum*, h. e. domum, *abiisse dicuntur;* adeo ut idem sit, quod *ex loco aliquo recedere*, s. *ab hominibus, quibuscum fueris, secedere.* Sensus igitur esset: *Iudas secessit a nobis munere Apostolatus relicto.* Communior tamen multoque probabilior interpretatio est, *Iudam ad inferos abiisse.* In locum *proprium* i. e. qui ipsi conveniebat. Per euphemismum significatur *Gehenna*, locus damnatorum. Hac loquendi ratione passim utuntur scriptores eccless. e. c. Ignatius in Epist ad Magnes. c. 5. ἐπεὶ οὖν τέλος τὰ πράγματα ἔχει, ἐπίκειται τὰ δύο, ὁμοῦ ὅ τε θάνατος, καὶ ἡ ζωὴ, καὶ ἕκαστος εἰς τὸν ἴδιον τόπον μέλλει χωρεῖν, *quia igitur res finem habent, incumbunt duo simul, mors et vita, et unusquisque in proprium locum iturus est.* Clem. Rom epist. I. ad Corinth. p. 24. (ed. *Wattoni*) de Petro: πλείονας ὑπέσεγκεν πόνους, καὶ οὕτω μαρτυρήσας

ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης. *plures labores perpessus est, atque ita martyrium passus, in debitum gloriae locum ingressus est.* Idem euphemismus deprehenditur in scriptis Rabbinorum Sic e. c. *Baal Turim* in Num. XXIV, 25. *Balaam ivit in locum suum*, i. e in gehennam. De mortuorum sede ὁ τόπος usurpatur Eccl. III, 20. c. VI, 6. Quicquid sit, sensus omnino esse videtur: Iudas eo venit, ubi iustam accipiet mercedem. Minime probandum quod nonnulli hanc phrasin de successore Iudae explicant, ita ut infin. pendeat a verbo λαβεῖν, et vertendum sit, *ut abeat ad locum suum, seu ut locum suum occupet.* Aliorum opiniones de hoc loco vid. in *Kuinoelii* Commentar. ad h. l.

27. Ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν) *Iecerunt sortes.* Modus nobis ignotus est. Veteres solitos esse coniicere tabulas in urnam aliquam, in quibus tabulis nomina erant scripta, docet *Fabricius* in Bibl. Antiq. pag. 460. Tum verba ἔπεσεν ὁ κλῆρος vertenda sunt: *exiit sors*, sors obtigit Matthiae. Moshemius per κλήρους intellexit *suffragia.* Cui sententiae repugnat, quod statim sequitur ἔπεσεν ὁ κλῆρος, quod non potest verti: *suffragium cecedit.* συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων) *Communi sententia adiunctus est ad undecim Apostolos*, i. e. cooptatus. Verbum ductum est a nomine ψῆφος, seu ψῆφις, quo calculus seu lapillus significatur. Nam calculis coniectis sententiae olim sive suffragia declarabantur.

CAP. II.

1. Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέρκν τῆς πεντηκοστῆς) *Quum advenisset dies pentecostes.* Verba haec ita esse vertenda, res ipsa et loci paralleli Luc. I. 57. II, 21. cet. satis docent Συμπληροῦσθαι non tantum consummationem, sed etiam adventum temporis significat, ut sit *advenire, instare, adesse.* Τῆς πεντηκοστῆς, scil. ἑορτῆς. Nam ἡ πεντεκοστὴ hic substantive et quasi nomen illius festi proprium accipiendum est. Alii subaudiendum putarunt ἡμέρας. Verum durissima esset loquutio: συμλ. τὴν ἡμέραν τῆς πεντεκοστῆς ἡμέρκς. Accedit, quod Tobias II, 1. legitur ἐν τῇ πεντεκοστῇ ἑορτῇ. Voc. ἑορτὴ igitur et h. l, et 1.Cor. XVI, 8. (2. Macc. XII, 32.) subaudiendum est. Quod apud Hebraeos dicebatur *festum hebdomadum*, id a Iudaeis inter Graecos versantibus appellatum est festum πεντηκοστῆς, diei quinquagesimi a secunda Paschatos die. Erat autem hoc festum e celeberrimis. Iosephus Antiq. XIII, 16. Πεντηκοστὴ ἡμέρκ μετὰ τὴν τοῦ πάσχκτος, ἑορτὴ ἦν μία τῶν πρώτων παρὰ τοῖς Ἰουδκίοις. Die pentecostis primo lex data fuit Iudaeis in deserto; nunc vero doctrina Christi Hierosolymis in maxima omnium nationum frequentia solenniter promulgata fuit. Praeterea festi tempore haec fieri oportebat ideo, ut, qui cruci Iesu adfuerant, iidem haec quoque spectarent. Ἅπαντες, non tantum duodecim Apostoli, sed *omnes*, qui iam tum in coetum quendam coaluerunt, numero centum ac viginti, c. I, 15, ὁμοθυμαδὸν) *Simul, una*, ut, I, 14., neque tamen exclusa animorum studiorumque coniunctione. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ, scil. οἴκημκ. Vide not.

ad I, 13. *Hesychius* explicat: ὁμοῦ, εἰς τὸν αὐτὸν τόπον.

2. Καὶ ἐγένετο — καθήμενοι) *Et repente ex aëre ortus est sonus veluti ruentis venti, qui* (sonus) *totam domum, ubi commorabantur, replevit.* Verbum φέρεσθαι ad violentum, quo venti moventur, impetum notandum adhiberi solet. *Aelian.* hist. anim. L. VII, c. 24. *In Bosphoro Thracio,* ἐπειδὰν το πνεῦμα βίαιον ἐνφέρηται, *quum ventus ingruit violentus.* ἦχος, infra comm. 6, φωνή, qua voce LXX. saepe utuntur pro hebr. קוֹל, cum de tonitru sermo est. Vid. Exod. IX, 25. 28, cap. XX, 18. Apoc XI, 19. Hoc nostro loco significat, *stridorem, sonum* venti. Sonitus ille, tonitrui similis, signum fuit praesentiae divinae (Ps. XVIII, 11. CIV, 3. 4.), adventumque Spiritus S. in Apostolos illabentis portendit. Bene *Kuinoelius* ad h. l.: „Christi sectatores maius quid audire sibi videbantur, quam quod per tempestatem vulgarem evenire solet, hinc Lucas scripsit ἦχος ὥσπερ φερ. πν. β., quibus verbis significare voluit, se non habuisse vocabulum, quod istam rem accuratius exprimeret.“ — Καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον, οὗ ἦσαν καθήμενοι) Nonnulli τὸν οἶκον h. l. non de *domo aliqua privata,* sed de *oeco* s. *conclavi quod in templo fuerit,* intelligendum esse existimat. Nec sine ratione. Constat enim, festo Pentecostes, illa diei parte, hora nempe tertia (v. 14.) solemnissima nempe omnium hora precandi, unumquemque sacris publicis interesse debuisse, nec sine impietatis nota abesse potuisse, ut ex Talmudistis docet *Capellus* in Spicil. observatt. ad h. l. ut alia taceam. Οἶκος autem, s. latine *oecus,* nihil aliud

est, quam quod nos dicimus *ein Saal*. Tales autem *oecos* in templo Hierosolymitano triginta fuisse, in quibus et doctores legis de rebus sacris scholas haberent, testis est *Iosephus* Ant. VIII, 3. 2. Huic tamen sententiae obstat hoc, quod Apostoli, etsi templum adire, Iudaeisque preces facientibus sese immiscere iis vetitum non esset, sine concessione peculiari magistratus Iudaici *oecum templi* vix occupare potuissent. Tale quid autem concessisse Iudaeos discipulis Christi, sibi exosis, non est credibile. Videtur igitur intelligi *domus*, ubi commorabantur tum Apostoli. Convenerant ergo illa hora Apostoli, qui non ea superstitione, qua Pharisaei horumque sectatores, ritus ad cultum externum spectantes observabant, precandi causa in ea domo, de qua sermo fuit c. I, 13. Obvertunt quidem alii (*Heinrichsius* in Excursu II, p. 318.): Si in templo haec, moderante numine acciderant, splendidiora omnia et illustriora reddebantur et ad animos permovendos efficaciora. Quae tamen coniectura exiguam habet probabilitatem. Nam si Lucas per τὸν οἶκον intelligi voluisset oecum templi, dilucidius mentem suam explicuisset. Verbum καθῆσθαι h. l. *commorari* significat. Demosthenes de corona: *Boni isti legati*, ἐκαθῆντο ἐν Μακεδονίᾳ τρεῖς ὅλους μῆνας, *per tres integros menses in Macedonia commorati sunt.*

3. Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός) *Et visae sunt illis divisae quasi flammulae ignis.* Nam γλῶσσαι haud dubie ex usu Hebraismi, ignis flammulae dicuntur, Iesaiae exemplo, qui c. V. 24. talem ignis particulam לְשׁוֹן אֵשׁ, γλῶσσαν

πυρὸς dixit. *Linguae* igitur, sunt partes illis similes, ut occulte simul ad miraculum sic alludatur. Flammulae igneae quae illis apparuerunt, dicuntur διαμεριζόμεναι, (in Medio) discursitantes in illo conclavi modo huc, modo illuc. ἐκάθισέ δε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν) Referendum est hoc ad τὸ πῦρ, ac si dicat: καὶ ἐφάνησαν αὐτοῖς ὡσεὶ διαμεριζόμεναι γλῶσσαι πυρὸς, ἐφ' ἑνάστῳ αὐτῶν καθήμεναι. Res cogitari potest sic, ut dicamus, flammulas illas ab initio discursitasse in conclavi, postea vero super Apostolis tremulo motu haesisse, non discursitasse in domo. Describit Lucas v. 2. 3. phaenomenon adspectabile, sed non definit, an fuerit simpliciter procella cum tonitribus, an vero peculiaris Dei operatio s. miraculum? Hoc autem facile intelligitur, simile fuisse hoc phaenomenon procellae et fulminibus. *Eichhornius* (in der *Allg. Biblioth. der bibl. Liter.* Tom. III. p. 232. sqq.) non agnoscit *phaenomenon* aliquod externum, sed verbis nostris *animi impetum*, et afflatum quendam, enthusiasmum, more Rabbinico significari censet. Illustrationis caussa affert similia exempla ex Rabbinorum libris, e. c. *Schir Haschirim rabba* fol. 10. 2. et *Midrasch Ruth rabba*, fol. 42. 1. „Eo tempore, quo viri docti student in lege, et inde ad Prophetas et Hagiographos pergunt, *ignis circa ipsos flammavit*, et verba ipsos *exhilararunt*, eo modo, quo idem in promulgatione Sinaitica factum est, etc" Sed vide, quae contra monuit *Storrius* in Diss. exeg. in libror. N. T. historicor. aliquot loca, P. II. pag. 73. sq. Verisimilior nobis esse videtur *Michaelis* sententia, qui electreas scintillas visas esse existimat, quae alias etiam conspiciuntur, et hominibus insidere, nec tamen urere solent. Conferre iubet *Virgil. Aen.* Lib. II, v. 680—

691. *Io. Gottfr. Lackemacher* in Commentat. *de linguis inter Apostolos distributis*, (in Observatt. eius Philologicis Helmst. 1725.) cuius summam exhibuit *Gottl. Imman. Dindorf*, (in Auctario ad Mori versionem et explicationem Actuum Apost. P. II. p. V. sq.) hoc etiam commate γλῶσσας manifeste *dialectos* esse statuit, ut v. 4. et 11. nec apparere, cur interpretes huius vocabuli significationem, quae bis adhuc in sequentibus occurrat, deserendum putent. Intelligendas igitur esse *dialectos* in Apostolorum coetu distributas. Ex eius igitur sententia pronomen αὐτοῖς referendum est ad participium διαμεριζόμεναι vertique possunt *inter eos*, ut haec esset constructio: ὤφθησαν γλῶσσαι διαμεριζόμεναι αὐτοῖς, *observatum fuit, linguas inter eos distribui*, eodem modo Matth. XXVII, 35. Luc. XXII, 7. aliisque locis. Vocabulis ὡσεὶ πυρὸς, ad quae proxime praecedens γλῶσσαι repetendum est, comparatio exprimitur, qua dialectorum quibus apostoli tunc usi sunt, vel sermonum potius ab iis habitorum vehementia ingens cum igne confertur, quo sensu ὡσεί Matth. III. 16. usurpatur. Igitur γλῶσσαι ὡσεὶ (γλῶσσαι) πυρὸς essent sermones igni similes, i. e. affectum spirantes animi vehementi gaudio plenissimi, et incredibili studio immensa Dei beneficia celebrandi flagrantes, v. 11. Credibile est, Lucam eo consilio donum Spiritus S. igni assimilasse, ut tacite simul significaret, nunc illud, quod Ioannes Matth. III, 11. praedixisset, evenisse. Postremo verba ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν sic vertit *Lackemacher*: *Siquidem consedit super unumquemvis eorum, Spiritus S.*, quod subiectum ex sequentibus hic supplendum censet, usum autem esse Lucam phrasi Iudaeis familiari, qui de ho-

mine Spiritus sancti donis imbuto dicere solerent: *habitat super eum Spiritus S.* Quare locum integrum sic interpretatur: *Animadversum fuit linguas inter eos distribui*, aut *observatum* in illis a spectatoribus, ab ipsis etiam Apostolis *fuit*, quod linguae s. dialecti peregrinae, quae in ore ipsorum *quasi* quaedam *faces essent*, inter ipsos dispertirentur.

4. Καὶ ἐπλήσθησαν — ἀποφθέγγεσθαι) *Et omnes impetu quodam divino acti coeperunt linguis exteris loqui, prouti facultas ipsis Deo operante concessa erat.* Quum *omnes*, qui tunc temporis congregati erant, acti dicantur Spir. S., statuendum est, non Apostolis tantum, sed reliquis quoque Christi sectatoribus cum Apostolis coniunctis donum peregrinis linguis loquendi fuisse concessum. De varia significatione vocis πνεύματος ἁγίου vide notata ad Matth. III, 16. IV. 1. Sed quaeritur: quo sensu hic accipienda sit phrasis ἐπλήσθησαν πνεύματος ἁγίου; De persona Spiritus sancti nemo facile cogitaverit. Quomodo enim Spiritus sanctus, omnipraesens, modo locali animos hominum occupare dici poterit? Igitur *repleri spiritu sancto* erit, operante et adiuvante Deo aliquid agere, animo magno et forti aggredi et facere, quod consuetas hominum vires superat, *Sie geriethen in Begeisterung, fühlten sich ausserordentlich gestärkt, zu reden in fremden Sprachen.* Λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, loqui *peregrinis linguis.* *Alia lingua* est, quae mihi non est vernacula. Apostolorum igitur quisque locutus est lingua, quae ipsi non erat vernacula. Hoc per se clarum est. *Herderus* tamen *(Von der Gabe der Sprachen am ersten christlichen Pfingstfeste,*

Rigae, 1794.) statuit γλώσσῃ λαλεῖν esse animo commoto loqui (begeistert sprechen,) γλώσσαις λαλεῖν, ἀποφθέγγεσθαι, magno enthusiasmo repletum loqui (viel begeistert sprechen); ἑταίραις, καιναῖς γλωσσαῖς λαλεῖν nova vaticinia atque oracula eorumque explicationem proferre; ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλεῖν ista oracula atque vaticinia atque hymnos ita proferre, ut qui ea audiat, se abreptum sentiat, atque suam ipsius explicationem, suas spes in illis animadvertat, (*jene Goettersprüche, Weissagungen u. Lobgesänge also vorbringen*, dass der Hörende begeistert, sich hingerissen fühlt, nnd seine eigenen Hoffnungen in ihnen richtig wahrnimmt.) Sed haec explicatio nec genio linguae nec contextui convenire videtur. Ergo omnino variae dialecti intelligendae esse videntur.

Addiderunt olim omnes fere interpretes, Apostolos nunquam antea didicisse has linguas. Sequeretur igitur infusum esse iis habitum novas ipsisque antea inauditas voces proferendi, iisque cogitationes animique sensus exprimendi. Quam hoc sit difficile cogitatu, nemo non videt. Nec uspiam relatum legimus, linguas istas peregrinas Apostolis antea plane ignotas fuisse. Lucas enim inter linguas peregrinas, quibus locutus esse Apostolos dicit, refert etiam dialectum chaldaico-Syriacam, quae in *Iudaea* usitata erat, ut et linguam graecam et latinam (v. 9. 10). Constat autem, dialectum Galilaeam, quae erat vernacula Apostolis, non multum diversam fuisse a dialecto Iudaeorum Iudaeam inhabitantium (Matth. XXVI, 73.), usos esse Apostolos versione graeca Alexandrina, adeoque huius linguae non fuisse ignaros (Graecorum linguam illa aetate ubivis fere terrarum, etiam in Palaestinae regionibus in usu fuisse, iam notatum est in

Prolegg. ad Evang. Io.), nec linguam latinam plane ignotam esse potuisse Iudaeis Palaestinensibus, audientibus Romanos, non tantum Hierosolymis sed in aliis etiam urbibus sua utentes lingua. Quod ad alias, e. c. Persarum et Aegyptiorum linguas attinet inusitatae quidem illae erant in Palaestina, non tamen prorsus ignotae. Constat enim magnam Iudaeorum multitudinem ex omnibus fere provinciis orbis terrarum non tantum festorum caussa ad breve tempus venisse Hierosolyma, sed multos etiam studiorum caussa adiisse hanc urbem adeoque suas sibi habuisse synagogas (infra c. VI, 9.). Ergo non omnino defuit occasio unius vel alterius peregrinae linguae notitiam aliquam sibi comparandi Iudaeis Palaestinensibus. Iam non dicit Lucas, unumquemque Apostolorum omnibus illis peregrinis linguis esse locutos, sed res ipsa docet, uni hac, alteri illa lingua loqui contigisse. Quodsi hoc sumimus, non adeo difficile fuisse videtur Apostolis ex usu et consuetudine cum exteris Iudaeis sibi familiarem reddere unam vel alteram linguam peregrinam. Saltim propriis etiam studiis eorum, qui peregrinis linguis utebantur, aliquid tribuendum esse, verosimile fit ex locis 1 Cor. XII et XIV. ubi Paulus Christianos iubet *studere* donis illis, *ζηλοῦν τὰ χαρίσματα*, 1. Cor. XII, 31. XIV, 1. 12. Divini aliquid, et consuetas humanas vires superans in hac re fuisse, equidem nullus dubito. Scribit enim Lucas, Apostolos *plenos Spiritu*, i. e. magna fiducia a Deo excitata (infra c. IV. 31.) *locutos esse καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι, prouti Deus pro sua potentia singulis vim huius vel alius linguae loquendae tribuerit.* Sed operatio et auxilium Dei usum virium naturalium non excludit. Ergo loquendi

usui Sacrae scripturae et sanae rationis principiis convenientissimum esse videtur, si dicamus unumquemque Apostolorum usu et consuetudine cum Iudaeis exteris, Hierosolymis et in aliis locis Palaestinae versantibus, comparasse sibi aliquam, licet valde imperfectam unius vel alius linguae cognitionem, die Pentecostes autem eos primum esse ausos uti facultate ista, adeo ut peregrinis linguis laudes Dei celebrarent, et de rebus divinis prompte dissererent (nam λαλεῖν saepissime esse *docere, de religione disserere*, omnibus constat, et cf Vs. 11.), quod antea nunquam ausi fuerant. Hoc omnino erat opus Dei, animos eorum excitantis et corroborantis ad ea praestanda, quae vires eorum naturales excedere viderentur. Huic sententiae non repugnat, quod Act. X, 46. XIX, 6. narratur. Non enim dicitur istos homines linguarum peregrinarum, quibus utebantur antea prorsus ignaros fuisse; nec vis miraculi in eo tantum erat, quod linguis peregrinis loquerentur, sed etiam et quidam maxime in eo, quod laudes Dei celebrarent, et de divinis rebus egregie dissererent, (μεγαλύνειν τὸν Θεὸν, c. X, 46. καὶ προεφήτευον cap XIX, 6.). Alii sumunt, non Apostolos, sed *exteros tantummodo Iudaeos*, qui in numero discipulorum fuerint, (v. 1. 2.) linguis peregrinis usos esse; quod non est de nihilo; nam permultos exteros Iudaeos Hierosolyma habitatum concessisse, ex v. 5. patet; sed certi nil constat. Cf not. ad comm. 7. *Nachtigall (Beiträge zur Erläuterung von Apostelgesch.* II, 4 — 11. in Henkii Promtuar. novo Tom. VI. pag. 113. sqq.) existimat, intelligendas esse diversas dialectos unius eiusdemque linguae nimirum Syrochaldaicae, vel Aramaeae. Idem fere etiam verisimile visum est

Lackemachero (l. c. ad v. 3.), cui sufficere videntur lingua hebraica cum dialectis cognatis, quarum nemo auditorum fuerit, qui non intelligeret: nulli enim usui fuisse, si barbararum gentium, ad quas Apostoli nunquam perventuri essent, linguae, mentibus eorum infusae fuissent; Deum autem nihil frustra facere. Sed res est incerta.

Suspicati sunt nonnulli, e. c. *Salmasius*, hoc donum linguarum fuisse momentaneum, ac statim cessasse. Haec opinio non potest probari, si verum est, quod supra sumsimus, Apostolos iam antea sibi unam et alteram linguam peregrinam familiarem reddidisse. Si vero nunquam antea hos linguas didicissent, tum statuendum foret, donum illud linguarum miraculo Apostolis concessum, alio miraculo iis fuisse ademtum. Quod sumere ineptum foret. *Anonymus* (in *Beiträgen zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion*, Fascic. 16. pag. 62 sqq.) γλῶσσας putat esse *egregias sententias*, laudes in Deum, doxologias, Psalmorum particulas, precatiunculas, dicta biblica in diversis idiomatibus, in Synagogis Hierosolymitanis usitata. Sed exempla huius significationis desiderantur. De fine et utilitate huius doni disseruit *Storr* L. c. p. 61. Eos qui charisma hoc instar *habitus* fuisse, ut quis posset omnes linguas, quandocunque vellet, docendi caussa loqui, sibi persuadent aliaque assumunt, quae nullis nituntur argumentis, bene refutavit *Ernesti de doni linguarum natura*, in *Opuscc. theol.* (Lips. 1792. ed. 2.) p. 412. sqq.

Nostra aetate plures adhuc exstiterunt (*Eichhorn-Allg. Bibl.* T. III. p. 232. sqq. *Kleinius de loquendi formula γλώσσαις λαλεῖν* etc. Ien. 1816., *Paulus Neues Repertor.* T. I. p. 266. T. II. pag. 312. sqq. *Mayerus de charismate τῶν γλώσσων* etc. Hannov. 1797., *Heinrichsius* in Excursu II. ad h. l., *Kuinoelius* in Commentar. ad h. l. aliique) qui quae h. l. traduntur, naturali modo explicare studerent. Quorum sententias omnes examinare extra instituti nostri rationem situm est. (Accuratiorem interpretationum recensum exhibet *Kuinoelius* in Commentar. p. 43 sqq. ed. 2) Neque tamen eam hunc locum explicandi rationem praetermittendam censemus, quae nostra aetate multos nacta est assentientes. „Iudaeis Palaestinensibus (verba sunt *Kuinoelii*), imprimis severioribus, invisum erat studium linguarum peregrinarum, et ab usu alius quam sanctae i. e. Hebraeae veteris et Syrochaldaicae in religione tradenda et precibus faciendis abhorrebant, lenius sentientes usum Graecae linguae concedebant. In Synagogis Palaestinensibus, ut in iis Hellenistarum, lex et Prophetae sermone Hebraeo praelegebantur, qui vero quum illa aetate vulgo ignotus esset, loci praelecti lingua patria, i. e. Syrochaldaica explicabantur. Vulgus quidem illas precum formulas (Hebr. et Syrochaldaice pronunciatas) non intelligebat, sed e decretis doctorum Iudaicorum satis erat, ad preces recitatas respondisse: *Amen*.“ Hoc verum est, uti et illud, exteras literas Iudaeos contemsisse (multa eaque aptissima Rabbinorum loca Kuinoelius attulit). Neque tamen inde sequitur, quod *Kuinoelius*, alios sequutus, concludit. Pergit enim in explicandis verbis *ἤρξαντο λαλεῖν κ. τ. λ.*: „Inter Christianos die Pente-

costes congregatos erant quoque Iudaei exteri. Quum sonus ab iis perciperetur flammaeque conspicerentur; omnes sacro enthusiasmo, sacro furore correpti, alta voce praecabantur et praedicabant *τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ*, ita, *ut quisque uteretur lingua ipsi vernacula*, *καθὼς τὸ πν. ἐδίδου ἀποφθ.*, *prout iis Spir. fari dabat, suggerebat*, enthusiasmus, animus concitatus eos loqui iubebat.“ Iudaeos igitur Palaestinenses et exteros obstupefactos opinatur, quod sua quisque vernacula lingua christianos audiret precantes; namque piis religiosisque Iudaeis offensioni fuisse preces, quae non sacra lingua efferentur. — Iam vero hac interpretatione admissa, ex nostra quidem sententia, sensus existit admodum frigidus et contextui plane repugnans. Quod enim narratur, Apostolos linguis peregrinis loquutos esse, id aperte et h. l., et in sequenti Petri oratione operante Spiritu S. factum esse contenditur. Qualis autem ille fuisset effectus Spir. S., qualis enthusiasmus furorque sacer, quo perfusi Apostoli ab eoque correpti, ad id tantum essent adacti, ut, neglecta sacra lingua, sua quisque vernacula preces funderet, laudesque Dei efferet! Effectus ipse ostendit, Apostolos inde ab illo die novas animi vires in se collatas sensisse, et, mirum in modum ad sacrum *ἐνθουσιασμὸν* excitatos, *τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ* praedicasse plane aliter, quam antea potuere vel ausuri fuissent. Non solum vernacula miro cum effectu sermones hos habitos esse, sed aliis quoque linguis, demonstrant, quae, nisi ita intellecta, torquentur. — Ceterum non possumus non consentire cum *Heinrichsio*, qui sub finem Excursus sui de difficillimo implicatissimoque hoc loco egregie dicit: Nos vero in hoc similibusque locis enarrandis non in eo

evigilabimus, ut, qui a vetere explicandi modo recedunt, eos invidioso nomine et crimine insectemur; quin agnoscimus et hic clarissima providi numinis vestigia, quo divinas humanosque res moderante, recto quaevis tempore eveniunt et suo: atque *eventus* magis et *effectus* spectamus, quibus feracissimum profecto fuit hoc spectaculum, quam in *modo*, quo acciderit, singulisque verborum apicibus rimandis versamur. Ita sane fiet, ut et huic eventui sicuti caeteris omnibus, quos ad illustranda rerum christianarum primordia progenuit divina sapientia, honorem adhibeamus suum et decus.

5. Κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι) Verbum κατοικεῖν saepe respondet Hebraeo ישב, quod et κατοικεῖν et παροικεῖν verti solet, interdum et διατρίβειν: ac dicitur non tantum de iis, qui alicubi sedem fixerunt, sed etiam de iis, qui urbem aliquam negotiorum caussa adeunt, ad tempus aliquod ibi substituri. Hanc notionem hoc quoque loco tenendam esse multi existimant, eosque intelligunt, qui ad pascha, aut ad pentecosten celebrandam Hierosolyma venissent. Sed recte monet *Wolfius* in *Curis* ad h. l. nullam adesse praegnantem caussam, cur a consueta notione (*habitare*) sit recedendum. Iudaeis enim idem tunc usu receptum fuisse videtur, quod adhuc a nonnullis eorum fieri consuevit, ut nempe singulari religione ducti, ab exteris regionibus terram Canaan, nominatim Hierosolyma adeant, domiciliumque ibi statuant, vitae finem ibi exspectaturi. Huius consilii rationes tunc temporis vel maxime inire poterant, quod hoc modo facultatem haberent, perpetuo sacrificia Deo offerendi, quod alibi non licebat, festa solemniora celebrandi, et coram videndi, quid de

populo Iudaico, Messiam exspectante, ageretur. Eandem sententiam *Michaelis* ad h. l. tuetur. Ab his infra v. 10. distinguuntur οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι. ἄνδρες εὐλαβεῖς) Est haec saepe denominatio Proselytorum; h. l. autem Iudaei etiam intelliguntur. Verte igitur: *Viri religiosi.* Apud Iudaeos illis maxime temporibus, quibus Messiae adventus exspectabatur, istis praesertim hocce praedicatum adhaesisse videtur, qui rebus ad Messiam pertinentibus lubenter occupabantur; ut Simeon, Luc. II, 25. — ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν) i. e. *ex variis nationibus orbis terrarum.* Eodem ὑφ' ἡλίῳ sive ὑπὸ τὸν ἥλιον passim dicitur; qui loquendi modus exacte respondet Hebraico תַּחַת הַשָּׁמַיִם Eccles. I, 9. et alibi. Notavit autem huius loci ὑπερβολὴν Theophilactus, et ait, παντὸς accipiendum ἐπὶ πολλῶν, de multis.

6. Γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης) φωνὴ hic idem quod ἦχος comm. 2. vel *clamor, vox,* qua coeperunt Apostoli loqui. Audiri autem a praetereuntibus potuerunt facillime, quia in subdiali aedium parti congregati erant. Minus placet eorum ratio, qui φωνὴ accipiunt pro φήμη, *fama, rumor.* Sed φήμη non tam γενέσθαι, quam διαβοηθῆναι, ἐξελθῆναι dicitur, Genes. XLV, 16. Matth. IX, 26. — συνῆλθε τὸ πλῆθος καὶ συνεχύθη) i. e. ἐταράχθη, ἐθαύμασεν, ut recte *Chrysostomus* explicat. Hesychius: συνεχύθη, συνεταράχθη. Adhibetur Verbum συγχεῖσθαι de iis, qui animo sunt perturbato. Vertendum igitur *perculsa est, obstupuit;* multitudo, novitate rei. ὅτι ἤκουον εἷς ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλούντων αὐτῶν) Unusquisque audiebat eos loquentes sua lingua, ut ἡ ἰδία διάλεκτος,

τῶν ἀκουόντων sit, non τῶν λαλούντων. Διάλεκτος hic linguam a ceteris omnibus diversam, ἑτέραν γλῶσσαν significat. Repete dicta ad comma 4.

7. Γαλιλαῖοι, i. e. *indocti*, qui ne ipsi quidem bona dialecto utuntur. Tum temporis valde rarum erat, si quis praeter vernaculam alia peregrina lingua uteretur. Non igitur mirum, si obstupuit multitudo, quod audiret homines plebeios, quales erant Apostoli, exteris loqui linguis. Quod autem *Eichhornius*, et qui eum sequuti sunt, censent, audientes hoc tantum miratos esse, quod Christiani ausi fuissent contra morem receptum Iudaeorum usum peregrinarum linguarum in orationibus sacris permittere, id cum contextu vix conciliari poterit. Vid. not. ad V. 4. Nexus commatis 7. et 8. aperte docere videtur, auditores hoc fuisse miratos, quod homines plebeii, in Galilaea nati et educati, nullis vel itineribus vel literis exculti, alii alio peregrino sermone loquerentur. Nomen Galilaeorum regnante Iuliano *sectae* potius, quam *patriae* fuisse, notavimus iam supra ad c. I, 11. Sed quod ii statuunt, quibus die illo Pentecostes non tam Apostoli quam exteri potius Iudaei peregrinis linguis usi esse videntur, nimirum iam primo illo discipulorum coetui, de quo c. I. sermo erat, Iudaeos extra Palaestinam oriundos fuisse admixtos, hoc valde incertum est. Neque hanc sententiam adoptare necesse est. Equidem primos Christi sectatores Galilaeos fuisse omnibus facile notum esse potuit. Larga quidem Galilaeam inhabitantibus fuit opportunitas peregrinarum linguarum aliquam sibi cognitionem comparandi, quum in ea regione multi variarum gentium homines, Aegyptii, Arabes, Phoenicii,

Syri', mercaturam facerent. Attamen si Interpretes quaerunt; „Quomodo ergo Iudaeis qui concurrerant miraculo esse potuit, Galilaeos linguis peregrinis loqui?" responderi iis potest: Iudaeos quaenam linguarum peritia Apostolis antea fuerit nescivisse, aut perculsos horrore illius linguarum addiscendarum opportunitatis non meminisse; recte autem spectatores miratos esse, quod Apostoli eorumque socii promte iam atque expedite linguis exteris sint usi, id quod antea nondum fecerant

9. Bene Interpretes monuerunt, recensum populorum, qui h. l. exhibetur, non nimis esse urgendum, nec statuendum, ex omnibus gentibus h. l. nominatis nonnullos interfuisse auditoribus, et totidem diversis linguis Christianos loquutos esse. Nam in pluribus provinciis nominatis eadem lingua in usu erat, ut in Phrygia, Pamphilia etc. lingua Graeca, in Iudaea et Mesopotamia lingua Syrochaldaica, in Parthia, Media, Elymaide lingua Persica. Πάρθοι καὶ Μῆδοι etc.) i. e. Iudaei, qui inter *Parthos*, *Medos* etc. nati sunt, et inter eos olim habitarunt. Ἐλαμῖται, *Persae* ab *Elam* quae est provincia Persiae ad sinum Persicum. Vid. Ies. XI, 11. et XII, 2. Conditor huius gentis fuit Elamus Semi filius, Genes. X, 22. *Iudaea* nominatur, quia dialectus Galilaeorum diversa erat a dialecto Iudaeam incolentium. Matth. XXVI, 73. Ἀσία h. l. est tractus Asiae minoris, speciatim eo nomine nuncupatus, olim *Ioniae* nomine celeber; ita et c. VI, 9. XVI, 6. XX, 16. al.

10. Οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι) Cives Romani, tam nati Iudaei, quam ascitii seu facti ex aliis gentibus. Ἐπιδημεῖν significat aliquo in populo praesentem, sicut contra ἀποδημεῖν, absentem esse, et infert non *incolatum* perpetuum, sed moram *advenae*, iterum abituri. Προσήλυτοι, οἱ ἐξ ἐθνῶν προσεληλυθότες s. τῷ θεῷ, ut *Suidas* explicat. Vid. not. ad Matth. XXIII, 15. Ceterum verba: Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, *Iudaei* nati et *proselyti*, gentiles Iudaei facti, ad omnes gentes, quorum in antegressis mentio facta est, referenda sunt. Sed respiciuntur etiam his verbis *Cretenses* (vid. Tit. I, 12) et *Arabes* postea nominati. Lucas enim in enarrandis hisce variorum hominum exclamationibus non magnam ordinis rationem habuit. Artificium tamen quoddam in eo deprehendimus, quod regiones in quibus Iudaei tum habitabant, recensuit inde ab ortu solis (*Parthiam*, *Mediam* etc,) usque ad occasum (*Libyam*, *Cyrenen*), et a septentrione (*Kappadociam*, *Pontum* etc.) usque ad austrum (*Aegyptum*). Quae res, uti et tautologiarum frequentia nonnullos induxit, ut aut populorum indicem Vs 9-11 aut adeo totum locum Vs. 7 — 11., exceptis postremis vocc. τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, ab aliena manu adiectum esse crederent. Cf. *Zieglerum über den Zweck, Quellen* etc. in *Gableri neuest. theolog. Iourn.* Tom. I. pag. 154., *Schultheſsium de Charismatibus Spir. S.* Lips. 1818. p. 127. et vid. *Kuinoelium* ad h. l.

11. Τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ) *Opera magna et illustria Dei.* Sic Ps. LXXI. 19. Dei גְּדוּלוֹת laudantur. Ergo sensus est, Apostolos celebrasse laudibus illustria

Dei opera, qualia erant resuscitatio Christi e mortuis, evectio eius in coelum etc.

12. Ἐξίσταντο — τοῦτο εἶναι) *Obstupescebant omnes, et quaerebant inter se*, sive disputabant, *quidnam illud sibi vellet? aut quonam evasurum esset.* Διαπορεῖν, *haesitare, dubium haerere.*

13. Ἕτεροι δὲ χλευάζοντες) Alii optimae notae Codd. legunt διαχλεύαζοντες. *Moto risu dixerunt.* Χλεύαζειν contumeliosum et illusorium risum innuit. Verbis tamen χλευάζειν et γελᾶν promiscue et coniunctim quum alii scriptores utuntur, tum etiam Philo. Sic de Sacrif. Ab. et Caini. γελῶσι καὶ χλεύαζουσιν ἐπιφωνοῦντες, ταῦτα εἰς αὔριον, *rident et cachinnantur, reclamantes, in crastinum ista.* ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί) Γλεῦκος, *mustum.* Lucas videtur illud musti genus intelligere, quod *Plinius* ἀειγλευκος, reliqui scriptores generis nomine γλεῦκος nuncuparunt. Veteres sic praepararunt, ut contra suam naturam, qua, quum fervet, in vinum mutatur, per longum temporis spatium integrum et incorruptum se conservaret, atque per totum annum mustum maneret huiusque iucundum saporem retineret. Vid. Io. Ern. Imman. Walchii diss. de natura et indole τοῦ γλεύκους.

14. Sequitur oratio Petri, cuius tantus fuit effectus ad animos audientium permovendos, ut eo uno die tria circiter millia hominum coetui Christianorum adiungeretur. Σταθεὶς — ἕνδεκα) Aut Petrus solus locutus est, ceteris undecim Apostolis adstantibus, et sermonem comprobantibus; aut Petrus initium fecit dicen-

di et alii eum secuti sunt. ἐπῆρε — αὐτοῖς) *Clare voce eos allocutus est;* hanc orationem ad eos habuit. ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου) Phrasis hellenistica, Iob. XXXII, 11. *In aures vestras immittite verba mea.* In oratione, quae sequitur, Petrus removet a se suisque collegis suspicionem ebrietatis, deinde vero ostendit, memorabile Ioelis vaticinium de donis spiritus sancti nunc impleri, et haec omnia Deo ita dirigente fieri ad demonstrandam veritatem, Iesum Nazarenum, nuper crucifixum, esse Messiam.

15. Οὗτοι est δεικτικῶς dictum; quasi dicat: de me ipso nil addo, oratio mea commonstrat me esse sobrium. Ἔστι — ἡμέρας) Horam diei tertiam e nostra ratione esse circiter nonam antemeridianam, omnes sciunt. Non erat credibile illa diei hora homines ebrios esse. Accedit quod ante finitas preces et oblationes matutinas, i. e. ante horam diei quartam nec cibum nec potum gustare solebant religiosi inter Iudaeos. Imo diebus festis ad sextam usque horam ieiunatum docet Iosephus in Vita sua.

16. Τοῦτό ἐστι — Ἰωήλ) *Nunc evenit, quod praedixerit Ioel.* cap. III, 1. sqq. Sequitur Lucas in huius loci et aliorum productione LXX. interpretes, non tamen ad amussim, verbis interdum mutatis aut transpositis.

17. Ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις) In Hebraeo est אַחֲרֵי־כֵן, quod significat *postea;* et sic in versione Alexandrina exprimitur. Lucas autem ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις posuit, quae formula interdum in hebrai-

co sermone *posthaec* significat (veluti Gen. XLIX, 1.), atque de tempore futuro in universum usurpatur, sive propius fuerit, sive remotius. Petrus vaticinium Ioelis manifeste ad dies Messiae refert. Sane in Prophetis phrasis ἐν ταῖς ἐσχ. ἡμ. passim ad Messiae tempora indicanda adhibetur. ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου) In textu hebraico simpliciter est, *effundam Spiritum meum*. Ergo haec Syntaxis, *e Spiritu meo*, non est urgenda. Sensus est: *Cognitione mei uberrima imbuam homines*. *Effundere*, largiter dare. *Spiritus divinus* significat omnino *vim* et *virtutem divinam*, adnexa saepe augendi et instaurandi notione. Quomodo hic quoque capiendum videtur, ita tamen, ut imprimis ad instaurandam religionem rerumque divinarum intelligentiam referatur. ἐπὶ πᾶσαν σάρκα) עַל־כָּל־בָּשָׂר, *super omnes homines*, cuiusvis sint nationis; nam בָּשָׂר, σάρξ, saepe est homo. προφητεύσουσιν) Afflatum divinum sentent. προφητεύουσιν non semper est *futura praedicere*, sed in universum: concitatiore animi impetu, quasi *afflatu divino loqui*, quo ampliore significatu h. l. accipienda est haec vox. Nam cultores Dei tempore Apostolorum non praedixerunt futura, saltim raro hoc fecerunt, sed Deo operante et afflante docuerunt. Petrus refert hoc vaticinium ad rem, quae modo contigerat. Celebraverant autem laudes Dei in omnibus linguis; et hoc etiam est προφητεύειν. Utrumque iungitur infra XIX, 6. Vid. et not. ad Luc. I, 67. Praedicitur autem illo Ioelis loco: fore tempus, quo non, ut alias solitum, paucos quosdam prophetas familiaritate sua dignetur Iehova, sed quo omnes eo honore, et cum summo numine commercio, ea

divinarum rerum intelligentia fruantur, quibus alias prophetae. Eundem sensum exhibent quae sequuntur: καὶ οἱ νεανίσκοι — ἐνυπνιασθήσονται) *Et iuvenes vestri visa videbunt, et senes vestri per somnia monebuntur*, id rursus est: Diversae aetatis homines inspirante et afflante Deo loquentur. Nam *visa videre*, *somnia somniare*, sunt revelationis, sive commercii divini genera, aut species vel exempla divinae operationis in hominibus. Quando Deus in V. T. monuit homines per visa et somnia, agnitum est inde, Deum cum huiusmodi hominibus esse, eosque inspirare. Universa igitur huius loci notio est: Omnes cuiuscunque aut sexus, aut aetatis, aut nationis, homines intimiore familiaritate dignabitur Deus, atque omnes divinorum virorum loco erunt

18. Καὶ γε — προφητεύσουσι) *Atque etiam in servos meos servasque effundam spiritum meum, ut afflatu divino loquantur.* καὶ προφητεύσουσι non est in Ioele, sed additum a Luca. Servi et servae vel omnino sunt *cultores Dei* (qui עַבְדֵי יְהוָה audiunt), vel quia per singula descendit poeta, *servile hominum genus*. Totus autem locus est poetice enunciatus. Quod primo dixerat: πᾶσα σάρξ, *omnes homines*, mox per partes eundo amplificat: *filii, filiae, senes, iuvenes, servi, servae*, quae manifestum est, nihil aliud esse, nisi distributionem poëticam. Ita et προφητεύσουσιν, ὁράσεις ὄψ., ἐνύπνια, ἐνυπν. non nisi hoc sibi volunt: effusum in eos iri Spir. Sanctum.

19 20. Ad temporum, quae Vs. 17. 18. (Joel III, 1. 2.) canunt felicitatem, potissimum pertinet, ut populus Iovae dilectus ab hostium vexationibus securus reddatur. Quod ita praestiturum Deum promittit Propheta, ut gentes Iudaeis inimicas ille horrenda strage sit perditurus. Eam vero dira praesagient prodigia, quae hunc in modum describuntur.

Καὶ δώσω — ἐπιφανῆ) *Sed patrabo mira in coelo et in terra, sanguinem, ignem et fumum; sol in caliginem, luna in sanguinem vertetur, priusquam venerit Domini dies ille illustris.* Lucas in his duobus commatibus rursus addidit quaedam, quae non sunt in hebr. textu; nempe ἄνω, σημεῖα, κάτω, quibus sensus non mutatur. Illud autem ex his levibus mutationibus intelligitur, Lucam hunc locum memoriter allegasse. Δοῦναι τέρατα, *patrare mira et res prodigiosas.* Merus Hebraismus. Quae vero hic ostenta Dei iudicis, de hostibus Iudaeorum poenas sumturi adventum praecessura enumerantur, semper magnarum calamitatum praenuncia esse existimata sunt. Veluti αἷμα καὶ πῦρ, *sanguis et ignis,* quibus nonnulli horrendas caedes, seditiones et intestina bella significari volunt. Sed Ioelis l. l. sermo est de prodigiis, quae et h. l. propie intelligenda sunt. Quemadmodum Livius *Hist.* XXII, 1. inter prodigia, quae ante pugnam ad Thrasimenum contigerunt narrat: *litora crebris ignibus fulsisse, et scuta duo sanguine sudasse; et milites quosdam ictos fulminibus, et solis orbem minui visum, et Praeneste ardentes* lampades coelo decidisse, *et Arpis parmas in coelo visas pugnantemque in luna solem; et Capenae duas in-*

terdiu lunas ortas, et aquas Caeretes sanguine mixtas fluisse, fontemque ipsum Herculis cruentis manasse sparsum maculis, et in Antiati metentibus cruentas in orbem spicas cecidisse. Initio belli Marsici *simulacra deorum sudavisse*, et *sanguinem fluxisse*, narrat Cicero *de Divinat*, I, 44. Similia retulerunt Claudianus *in Eutropium*, L. I. init., Lucanus *Pharsal.* L. I. 524. sqq. 540. sqq., Virgilius *Georg.* I, 466. sqq., Ovidius *Metamorph.* XV, 785. sqq. Cf. et Matth. XXIV, 29. — Ἀτμὶς καπνοῦ (ut versio graeca habet), *vapor fumi*, hebr. תִּימְרוֹת עָשָׁן, *palmae* seu *columnae fumi*, i. e. fumum in altum ductum, seu columnae instar recte ascendens. *Columnis fumi* autem h. l. non tam fumi incensarum urbium intelliguntur, sed crassi et atri vapores, qui insolito modo e terra escendent, hominibusque terrorem et metum incutient. Ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς σκότος, i. e. eclipsi, quae calamitatum venientium praenuncia credebatur, eius lumen deficiet. Καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα, *et luna* convertetur *in sanguinem*, i. e. in ruborem, ut in lunae obscuratione per eclipsin fieri solet. Alii explicant de crassis atrisque vaporibus, qui e terra escendunt, et solem lunamque obducunt, ut inde rubicundum (αἷμα) colorem accipiant, quod fieri solet in terrae motu. Πρὶν ἢ ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ, *antequam veniat dies Domini, magnus ille et horribilis.* Ita sensus est exprimendus. Describit enim Propheta *diem Iovae*, quo populos ad iudicium coget, deque iis, qui Iudaicum populum oppresserunt atque vexarunt, supplicia sumet, vid. Ioel. IV, 2. coll ibid. II., 11., ubi legitur: *nam magnus,*

gravis erit *dies Domini*, quo scil. summus iudex terras inviset. Voc. ἐπιφανὴς in versione Alexandr. respondet hebraico נוֹרָא, *terribilis*, *horrendus*, quod Aquila Deut. X, 21. 2 Sam. VII. 23. Ps. LXXXVIII, 8. reddidit: ἐπίφοβος. Alexandrini Participium נוֹרָא a radice ראה derivandum putarunt; hinc verterunt: ἐπιφανὴς, *conspicuus*, *illustris*. Iam vero Interpretes quaesiverunt, quonam tempore ea, quae hic praedicuntur, evenerunt. *Diem illum Domini* esse ipsum tempus, quo Deus effusurus sit Spiritum suum, quod nonnulli opinati sunt, nullo pacto potest probari, quum iis, quibus hic vates utitur, imaginibus, tristissima tempora describantur. Neque etiam, quae aliorum est sententia, Prophetae vaticinium urbi Hierosolymitanae a Romanis excisae et eversae aptari potest. Huic enim explicationi obstant, quae a Ioele mox Vs. 5, de Zione et Hierosolymis, ut locis, ad quae confugientes salvi sint futuri, praenunciantur. Frustra igitur laborant, qui quonam tempore ea, quae hic praedicuntur, evenerint, inquirunt. Ad sua tempora, maxime diviniorem illum furorem, quo peregrinis linguis locuti erant discipuli locum adhibet Petrus, et accomodatissime id quidem. Rata et impleta in Apostolis eorumque sociis erant, quae Vs. 17. 18. et 21. e vetere Propheta recitavit. Auditus erat (Vs. 2.) strepitus, terrae motui aut vehementissimae procellae ingruenti similis; visa erant (Vs. 5.) meteora ignita, quorum splendore domus repleta erat. Cetera, quae Vs. 19. 20. de aliis ostentis e Ioele affert, nonnisi augendi et amplificandi loci causa ex consueto more addita viden-

tur. De toto hoc loco Vs. 17 — 21. plura vid. in *E. F. C. Rosenmülleri* Scholiis ad Ioelis cap. III.

21. Καὶ ἔσται — σωθήσεται) *Quicunque vero invocaverit nomen Domini*, i. e. eum pro Deo vero agnoverit, eiusque auxilium imploraverit, *felix et salvus erit.* Hebraica phrasis ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου significat *Deum colere* קָרָא בְּשֵׁם יְהוָה. Gen. IV, 26. XII, 8. Veri Dei cultores, inquit Propheta, felices sunt et salvi, etiamsi omnia metu et miseriis fuerint plena. Hoc vaticinium habuit eventum in omnibus veris Dei cultoribus, quibuscunque temporibus et locis vixerint. Potuit igitur Petrus illud etiam suo tempori accommodare, hoc sensu: Qui nunc doctrinam Christi susceperit, illi bene erit; Deus ei favebit.

22. 23. Ostendit Petrus, quomodo nunc acciderit, quod Ioel praedixerat. Iesus, inquit, quem vos sustulistis, effudit hodie acceptum a Patre Spiritum; et sic evenit, quod Propheta eventurum esse praedixerat. Ἄνδρες Ἰσραηλῖται) Nomen honoris, quo gloriabantur Iudaei, quia illud a Deo ipso Iacobo impositum dicitur Gen. XXXII, 28, ut esset gratiae divinae symbolum. Comprehenduntur autem hoc prisco gentis nomine Iudaei omnes, et Palaestinenses et exteri. Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον) Nomine utitur, quo Christus vulgo vocatus fuerat. Marc. XVI, 6. Io. XV, 5. Act. III, 6. X, 38. al. Appellat autem Iesum ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον, *virum a Deo comprobatum.* Quae verba arcte cohaerent; nec cum non-

nullis post Θεοῦ interpungendum est, quasi sensus esset: *Iesum Nazarenum quidem* (contemtim), *sed tamen virum divinitus missum* (ut subaudiatur ὄντα), *certissimis indiciis vobis comprobatum* etc. Sed sensus simpliciter ita procedit: Iesum, virum a Deo comprobatum omnimodis iisque clarissimis signis, quae Deus per eum patravit inter vos Cf. Io. X, 37. et vid. not. ad Io. V, 36. Non esse insolens apud optimos quosque auctores ἀπὸ poni loco ὑπὸ, (ut Iac. I, 13.) viri docti dudum probarunt. Ἀποδεδειγμένον saepe dicitur id, de quo certa extant documenta: quae notio etiam hic locum habet. Nam miraculis a Deo per Iesum patratis demonstratum et comprobatum est Iesum esse legatum divinum, filium Dei et Messiam. Cf Rom, I, 4. Δυνάμεις, τέρατα καὶ σημεῖα esse varii generis miracula, id satis constat. Τοῦτον ἀνείλετε) *Hunc certo ac definito consilio Dei vobis traditum interfecistis, cruci eum affigendo per impios*, i. e. Romanos. Πρόγνωσις h. l. est *consilium*, *decretum*, et idem quod βουλὴ significat. Non enim solum Hebraico verbo יָדַע verum etiam Graeco γνῶναι, loquendi usu ea significatio attributa est, ut per Metonymiam caussae pro effectu denotaret *decernere*, *statuere*. Hac significatione nihil frequentius est apud Philonem, e. g. in Flacc. ἐγνωκὼς ἀνθρώπου κατηγορεῖν, *quum hominem accusare decreveris;* de Leg. ad Cai. διέγνωκε πλεῖν, *decrevit navigare*. Alii voc. πρόγνωσις vertunt: *praescientia*, quum tamen Christi mors a *decreto divino* penderet. *Deus constituerat, ut Christus per perpessionem in gloriam intraret*, Luc. XXIV, 26., idemque ostenditur Luc. XXII, 22. Petrus autem his

ipsis verbis tacite respondet iis, qui quaerere poterant, si Iesus Messias fuit, quomodo in crucem agi potuit? — Ἔκδοτον λαβόντες) *quum vobis traditum* vel *proditum in potestatem recepissetis.* Ἐκδοῦναι unde ἔκδοτος est, significat *tradere aliquem in alterius potestatem ut serviat, vel ut in vinculis teneatur*, vel *dedere hostibus, ut de eo pro arbitrio statuant.* Iosephus Ant. VI, 13, 9. Σαούλος γνωρίσας τὴν Δαυίδου φωνὴν, καὶ μαθὼν ὅτι λαβὼν αὐτὸν ἔκδοτον ὑπὸ τοῦ ὕπνου καὶ τῆς τῶν φυλαττόντων ἀμελείας οὐκ ἀπέκτεινεν, *Saulus agnita voce Davidis, quod, quum eum a somno, et negligentia custodum proditum, in suam potestatem accepisset, non tamen occiderit.* Διὰ χειρῶν ἀνόμων coniungi potest vel cum ἔκδοτον, ut sensus sit: *per manus impiorum vobis traditum*, ut de Iuda proditore cogitetur, vel cum προσπήξαντες, ut sensus sit, *interfecistis eum cruci affigendo per impios.* Hoc praefero; nam Iudaei omnino per impios i. e. per Romanos Iesum interfecerunt. Vocantur autem omnes gentiles ἄνομοι, quod Dei legem nullam observarent; 1. Cor. IX, 21. Pro χειρῶν nonnulli Codd. habent χειρὸς, non male; nam διὰ χειρὸς, ut hebr. בְּיַד, simpliciter notat *per.* Vulgaris lectio Χειρῶν e glossemate existisse videtur. Προσπήξαντες dictum breviter pro προσπήξαντες σταυρῷ. Ceterum non illi quidem manus intulerant Iesu, quos Petrus alloquitur, quippe, qui maximam partem Iudaei exteri essent; sed macula ista toti Iudaeorum genti adhaerebat. Vid. et Matth. XXIII, 35.

24. Ὃν ὁ Θεὸς — ὑπ' αὐτοῦ) *Quem Deus ab inferis ita excitavit, ut diluerit vincula mortis* (vin-

cula quibus mors ipsum impeditum tenebat), *quippe quum fieri non posset, ut ab ipsa teneretur.* Pro θανάτου alii legunt ἅδου, qua voce significatur locus, in quem omnes manes cogi, communis fuit Iudaeorum opinio. Lectio tamen θανάτου praeferenda esse videtur. Vox ὠδὶν significat *dolorem partus* 1. Thess. V, 3. LXX. posuerunt pro חֶבֶל, Ies. XXVI, 17. XXXVII, 3. Deinde transfertur ad *mala acerbissima, calamitates gravissimas*, Matth. XXIV, 8. Marc. XIII, 9. Quo sensu LXX. voc. חֶבֶל sumserunt Iob. XXI, 17. Hinc nostro loco ὠδῖνας τοῦ θανάτου multi verterunt: *dolores mortis.* Quae vero sententia admitti non potest; nam Petrus h. l. non de doloribus agit, quibus Christus ante mortem cruciatus est, sed contextus docet, Apostolum hoc voluisse: Deus Iesum statui mortis, in quo per triduum mansit, exemit, in vitam eum revocavit. Rectius igitur ὠδῖνες τοῦ θανατοῦ vertuntur: *vincula mortis,* quibus etiam verba λύειν atque κρατεῖσθαι optime conveniunt, ad dolores autem commode transferri non possunt. Ita vox ὠδὶν respondet hebr. חֶבֶל, quod proprie *vinculum*, *funem* denotat. Et LXX. saepius phrasin: חֶבְלֵי מָוֶת vertunt ὠδῖνες θανάτου, e, c. Ps. XVIII. 5. 6. (e quo loco haec repetita videntur) CXVI, 3. 2. Sam. XXII, 6. Sed in his locis חֶבְלֵי non derivandum a חֶבֶל, *dolor parturientium;* sed a חֶבֶל, *funis, vinculum.* Alibi LXX. voc. חֶבְלֵי reddunt σχοινία, *funis*, e. c. Ps. CXIX, 61. Difficultas inde orta esse videtur, quod חֶבְלֵי, *funes* et חֶבְלֵי, *dolores*, vel in unum quasi vocabulum coaluerunt, vel vertendo con-

fundebantur. Petrus igitur locum illum Ps. XVIII, 5. respiciens, usus erat verbis חבלי מות, Lucas autem LXX. sequutus, scripsit ὠδῖνας θανάτου, ita tamen, ut ipse quoque vincula mortis intelligeret. Notandum praeterea, imaginem esse Hebraeorum, qua mors sub venatoris effigie sistitur retia tendentis hominesque captantis; vid. Ps. XCI, 3. Varias variorum explicationes verborum חבלי מות recensuit *E. F. C. Rosenmuellerus* in Schol. ad Ps. XVIII, 5. 6.

25. Δαβὶδ γὰρ λέγει εἰς αὐτὸν) Εἰς αὐτὸν plerique interpretantur: *de illo;* nam voculam εἰς pro *de*, inquiunt, etiam Graeci usurpant, si praepositio haec cum verbis loquendi iungitur. Xenophon L. I. de fact. et dict. Socratis: λέγων εἰς τοιαύτην τοιάδε, *sequentia de illa dicens.* Plutarch. in Cic. λέγειν ἀεί τι καινὸν εἰς τὸν ἄνδρα. Locus, qui nunc sequitur, desumtus est e. Ps. XVI, 8. sqq. Sed quaeritur, an illo carmine sit vaticinium de Messia? Plerique interpretes existimant, in eo loqui Messiam, qui primum in malis, quibus urgeatur, fiduciam suam in Dei benignitate repositam declaret, deinde (v. 4. 5.) Iehovae sacerdotem se esse profiteatur, et denique a Deo se e mortuis resuscitatum, corpusque suum a corruptione servatum iri confidat. Sed fatendum sane est, multa in hoc carmine occurrere, quae non nisi fidiculis adhibitis, (ut v. 1. 4. 5. 6. 10. 11.) ad Christum referre possis. e Ps. XVI, 8. sqq. Neque illa interpretatio notioni Messiae, qualem Iudaei ab omni tempore sibi informabant, respondet. Hi enim Messiam sibi heroem, victorem regemque potentissimum, non sacerdotem, vel hominem, cum adversa fortuna multisque aerumnis conflictantem fingebant.

Clericus et alii Psalmum nostrum sensu literali, aperto et historico de Davide, mystico autem, allegorico et sublimi de Christo agere arbitrantur; quae interpretandi ratio etiam *Lowtho*, *Dathio*, *Grotio*, aliisque magni nominis viris arrisit. Quae tamen interpretandi ratio, qua una eademque oratione, dispari sensu accepta plures simul eventus, disjunctos tempore, natura dissimiles designari statuatur, ab omnibus rectae interpretandi artis praeceptis aliena est. Quare recentiorum interpretum haud pauci negant, Petrum verba huius Psalmi tanquam vaticinium proprie sic dictum allegare voluisse. Vid. *Eckermann* (theolog. Beiträge, Fasc. II. p. 98. sqq.) Cf. *Eichhorn* (allgem. Bibl. der bibl. Lit. Tom. II. pag. 947. sqq. et Tom. III. 920 sqq.), *Paulus* (Memorabilien, Fasc. IV. pag. 96. sqq.), *Behn* (über die Lehrart Iesu und seiner Apostel. Lub. 1791). Formulam λέγειν τι εἰς τινά, *Eckermannus* statuit, significare in N. T. etiam, verbis uti, quae non proprie quidem de aliquo agant, sed a illum accommodari possint, ut Eph. V, 32., et Petrum verbis Psalmistae eloqui, quod suis verbis non potuisset tanta cum vi commemorare. — Secutus esse videtur Petrus morem Iudaeorum, qui in ea erant sententia: Quicquid magnum, eximium, mirabile de certis quibusdam hominibus in V. T. dictum esset, id multo magis, et sensu maxime proprio valere de Messia. Vid. *Schöttgenium (lib. de Messia*, Tom. II. Hor. Hebr.), qui neminem Iudaeorum Psalmum XVI. de Messia exposuisse affirmavit. Quod argumentum carminis attinet, vates, in extremo fortunae ac vitae discrimine ardentes ad Iehovam preces fundit, velit eum conservare, periculumque ab ipsius capite propulsare. Certissima spe

fretus, se conservatum iri, tanquam perfunctus esset periculis, celebrat divinam benignitatem, quae ipsum beata hac vita ulterius frui sinat. Vid. *E. F. C. Rosenmülleri* Scholia ad Ps. XVI., et alios, quorum scripta ibi laudantur, illius carminis interpretes. Προορῶμην — παντὸς) *In Iehovam semper oculos defixos habeo*, i. e. illum tanquam viae ducem continuo sequor. Vel: Deum semper cogito adesse mihi praesentem atque auxiliatorem. ἐκ δεξιῶν μου ἐστίν) i. e. *opitulatur mihi* tanquam παραστάτης. Qui nempe ad textram nostram est, is nobis est propinquus, nobisque opitulari potest. ἵνα μὴ σαλευθῶ, *ne commovear*, i. e. non movebor, seu vacillabo, tanquam in via difficili et periculosa. Dextra quodammodo manu iniecta me, ne prolabar, sustinet, ut stem firmus. Firmus autem stare dicitur is, qui felix est, tutus ab omni miseria. Hoc igitur commate exprimitur fiducia in Dei auxilium.

26. Διὰ τοῦτο — γλῶσσά μου) Sensus in universum est: *Propterea* (quod te mihi adesse sentio) *gaudeo, laetor mente et ore.* Pro ἡ γλῶσσά μου, in hebr. textu est כְּבוֹדִי, *gloria mea.* Videntur igitur Alexandrini in suis codicibus legisse לִשׁוֹנִי. *Gloria mea gaudet*, i. emens mea gaudet. Hunc loquendi usum confirmat locus Gen. XLIX, 6. Voc. כָּבוֹד, quod alioque *gloriam* et dignitatem significat, Hebraei unanimi consensu *animam, mentem*, interpretantur, ut Ps. III, 4., quod ea nihil sit in homine praestabilius; in mente enim est omnis hominis dignitas. *Lingua mea gau-*

det, i. e. lingua et verbis exprimo meum gaudium. Ἔτι δὲ — ἐπ' ἐλπίδι) *Insuper vero etiam corpus meum cubabit in spe.* Verbum שָׁכַן, quod Lucas per κατασκηνόω reddidit proprie denotat: *quievit*, deinde *quievit noctu, dormivit*, tum etiam *habitavit*, *commoratus est*. Igitur sensus huius loci est: ego tutus ab omni malo habitabo, i. e. tutus ero ab omni periculo; vel: noctu quoque mihi nihil adversi continget, quoniam Deus me tuetur. Allegorici quidam ex Hebraeis interpretes acceperunt haec verba de corpore post hanc vitam, *in sepulcro*, *secure*, salvo et illaeso a vermibus vel putredine, *quiescente*: Quod quum in Davidem non cadat, de Christo haec intelligenda esse existimarunt. Eodem sensu Petrus Psalmi l. l. transtulit ad Iesum. Ex Nostri igitur sententia ultima huius Versus verba reddenda sunt: *corpus meum commorabitur* seu *quiescet*, scil. in sepulchro, *in spe* i. e. *secure*; tutum erit a putredine.

27. Ὅτι οὐκ — ᾅδου) *Etenim non derelinques animam meam orco*; non ita destitues me, ut morti iam concedam, sed longam adhuc, spero, dabis mihi vitae usuram. Τὴν ψυχήν μου, נַפְשִׁי, hic positum pro simplici pronomine, *me*. Sed Hebraeorum quidam interpretes vocabulum illud propria significatione, totumque locum de *animae immortalitate* acceperunt. *Non relinques me in statu mortis apud inferos.* — Εἰς pro ἐν, et post ᾅδου suple οἶκῳ vel τόπῳ. Usitata figura quoque Latinis, ut: ad opis; in concordiae. Cf. hic annotata ad Luc. XVI, 23, Οὐδὲ διαφθοράν) *Non*

permittes, ut pius tuus videat (sentiat) *corruptionem.* Hebraicus textus habet: חַסִידְךָ לִרְאוֹת שָׁחַת לֹא־תִתֵּן. Vox שָׁחַת respondet voci שְׁאוֹל in membro priori, atque significat vi sua primigenia *foveam,* et de sepulchro usurpatur (Iob. XXXIII, 18. Ps. XXX, 4. coll 10.). Sed LXX, quos sequitur Petrus διαφθορὰν *corruptionem* reddidit, voc. שָׁחַת ad radicem שָׁחַת, *corrumpi* referens, qua notione nusquam in Codice Hebraeo occurrit. Ἰδεῖν, hebr. רָאָה, *videre,* in antiquis linguis est *sentire, experiri.* Itaque phrasis רְאוֹת שָׁחַת significat: *descendere in foveam,* i. e. mori Cf. Ps. XLIX, 10. 11. Ὅσιος, חסיד *omnem* omnino *bonitatis studiosum* significat, et hoc loco *pium in Iehovam,* pium eius cultorem, ut Ps. IV, 4. Vox, quae in hebraico textu legitur, instituenda est his vocalibus: חַסִידְךָ ut sit numerus pluralis. Masorethae autem *singularem* ponere iubent, dum literam Iod ante ךָ redundare (יתירו) et חַסִידְךָ efferendum monent. Sed *Io Fr. Fischer* in *Proluss. de Vitiis Lexicori N. T.* Lips. 1791. p. 191. lectionem חֲסִידֶיךָ defendit, ut pluralis positus sit pro singulari, ad indicandam Messiae summam dignitatem. Vid. de hac lectionis varietate *E. F. C. Rosenmülleri* Scholia ad h. l.

28. Ἐγνώρισάς μοι ὁδοὺς ζωῆς) *Notas mihi facis vias vitae* vel *doces me viam ad vitam.* Ambigua est haec phrasis, cuius sensus esse potest: Instruis me, quomodo vitam conservare, mortis periculum eva-

dere queam; vel etiam, instruis me, quomodo felix fieri debeam. Nam voc. ζωὴ saepius *felicitatem* denotare, constat Vid. Luc. XII, 15. Hoc loco via ad vitam est *ratio accipiendae vitae, reddis me vivum*, in Psalmo: conservas me vivum. πληρώσεις — προσώπου σου) *Replebis me laetitia tecum*, ut laetus apud te sim; proprie: replebis me laetitia cum facie tua. Omisit Lucas nonnulla quae in textu hebraico extant, et sensum tantum expressit.

29. Ἄνδρες — ἡμέρας ταύτης) Iam ostendit Petrus, illum locum Psalmi de Davide accipi non posse; sed vatem, a Spiritu Dei actum, animo praevidisse reditum Messiae in vitam, adeoque sensu sublimiori de Messia esse intelligendum. ἐξὸν εἰπεῖν) ἐξὸν scil. ἔστω, *liceat, licitum sit.* Παῤῥησία saepissime in Act. Apost. est *libertas dicendi;* ergo μετὰ παῤῥ. εἰπεῖν) *libere loqui, profiteri.* Benigna est compellatio, concilians audientium animos, quod singularis esset et eximia de Davide existimatio Iudaeorum, de quo tamen illa recitata accipi non posse, Petrus erat demonstraturus. Quasi diceret: salvo respectu, quem Davidi debeo et ipse, id tamen libere profiteri licebit etc. τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν) i. e. παρ' ἡμῖν, *apud nos.* Quum alia sepulchra extra urbem essent, monumentum Davidis et familiae eius in ipsa urba est (vid. Neh. III, 16.), et hodienum monstratur, teste *Maundrello*, p. 75. 76. *Iosephus* sepulcri Davidis haud semel meminit, e. g. Ant. XIII, 8. 4. Ὑρκανὸς τὸν Δαϋίδου τάφον ἀνοίξας, ὃς πλούτῳ τοὺς πώποτε βασιλεῖς ὑπερέβαλλε, τρισχίλια μὲν ἀργυρίου τάλαντα ἐξεκόμισεν. Herodes M. ex hoc

sepulcro aurea ornamenta multumque supellectilis pretiosae abstulit, narrante eodem *Iosepho*, Antiqq. XVI, 7. 1. Totum locum *Michaelis* in notis ad h. l. exhibet.

30. Προφήτης — θρόνου αὐτοῦ) Desunt verba τὸ κατὰ σάρκα ἀναστῆσαι τὸν χριστὸν, in nonnullis Codd. Verss. et Patrr. Si retineas, ita ordinanda sunt, ut coniungatur cum eis participium προειδὼς, vel sicut alibi reperitur, προιδὼν ut sit sensus: *Quum Propheta esset David, et meminisset, sive sciret, sibi abs Deo fidem iureiurando esse firmatam, fore, ut e posteris eius Messias, qua homo esset, nasceretur, et collocaretur in Davidis solio, ita de Christi resurrectione locutus est.* Si verba supra memorata, quae valde suspecta sunt, et nonnisi glossema esse videntur, omittas, sensus est: — *et sciret sibi iureiurando promisisse se collocaturum quendam ex posteris eius in solio eius.* Nimirum καθίζειν est *collocare*, et post verba ὀσφύος αὐτοῦ supplendum est τινὰ, participium autem προϊδὼν novam periodum inchoat. ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεός) Quando Deus in literis sacris iurasse dicitur, declaratur, Deum *fidem*, seu *promissionem* dedisse sanctissimam, quam nunquam violabit. ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, est merus Hebraismus, qui significat *e posteris eius*. In Psalmo CXXXII, 11. ad quem Petrus respexisse videtur, extat: בִּטְנְךָ מִפְּרִי, ubi interpretes Graeci verterunt: ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας σου. Similis locus est 2 Sam. VII, 12. ubi extat מִמֵּעֶיךָ. Sed ubi de liberorum procreatione agi-

tur, promiscue fere usurpantur vocabula בֶּטֶן, *venter*, חֲלָצִים *lumbi*, מֵעִים *viscera*. *Excitare* h. l. non est suscitare ex mortuis, sed facere ut aliquis nascatur. Cf. Matth. XXII, 24. καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, *ut eum collocaret in throno eius*, sc. Davidis. Promiserat Deus Davidi successorem cuius regnum futurum esset aeternum, 2. Sam. VII, 13. Illa autem vaticinia, quae Petrus ex memoria et mutatis nonnullis laudat, constanti istius aevi consuetudine de Messia intelligebantur. Nunc igitur dicit Petrus, Davidem, quum de hoc aeterno successore cogitasset, praedixisse de eo haec. Ut nempe Messias in aeternum regnare posset, resuscitatus est e mortuis, et evectus in coelum.

31. Ἡ ψυχὴ αὐτοῦ) Desunt haec in nonnullis optimae notae codicibus et versionibus. Si retineas, ψυχὴ est *anima* Christi, quae non relicta est in *Scheol*, loco animarum a corporibus separatarum, et ἡ σὰρξ αὐτοῦ, *corpus eius*, quod non relictum est in sepulcro.

32. Τοῦτον τὸν Ἰησοῦν) Bene *Heinrichsius*: τοῦτον noli iungere cum sequ. Ἰησοῦν, sed post τοῦτον subaudi Χριστὸν ὄντα, ut τοῦτον praedicati loco habeatur, Ἰησοῦν autem subiecti loco, proferaturque emphatice: suscitavit Deus Iesum, qui est hic Messias. Οὗ — μάρτυρες) Non urgendum illud πάντες. *Testes* fuerunt, non quod resurrectionis actui interfuerant, sed quod ex apparitionibus sermonibusque Iesu de resur-

rectione eius erant edocti. Poteris tamen illud μάρτυρες etiam reddere *praecones*, ut Io. I, 15.

33. Τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ θεοῦ ὑψωθείς) *Dei igitur potentia exaltatus*, sc. in coelestem regiam sublatus (Io. XX, 17.) Τῇ δεξιᾷ scil. χειρὶ, i. e. *vi et omnipotentia Dei*, ut infra V, 31. Alii minus recte τῇ δεξιᾷ positum esse putant pro: πρὸς τὴν δεξιὰν, *Deus eum ad dextram suam exaltavit.* Sed bene *Lutherus* vertit: *Durch die Rechte Gottes erhöhet.* Petrus enim haec dicens, ad eiusmodi loca Vet. Test. (in cuius lectione ille multum erat versatus) respexit qualia sunt Ps. LIX, 5. CVII, 6.: Σῶσον τῇ δεξιᾷ σου, καὶ ἐπάκουσόν μου. Ps. XVII, 38. CXXXVII. 8.: ἡ δεξιά σου ἀντελάβετό μου — ἔσωσέ με ἡ δεξιά σου. Ps. CXVII, 16.: δεξιὰ κυρίου ἐποίησε δύναμιν — δεξιὰ κυρίου ὕψωσέ με. Τήν τε ἐπαγγελίαν τ. ἁγ. πν. λαβὼν) Impetrato iure mittendi Spiritum sanctum, quod Pater ei promiserat. Ἐπαγγελία τοῦ ἁγίου πν. *promissus Spiritus sanctus.* Λαβεῖν ἐπαγγελίαν, *accipere rem promissam. Promissum*, i. e. promissum nobis a Iesu, volente Patre. Vid. Io. XIV, 16. 26. XV, 26. XVI, 13. 14. 15. Ἐξέχεε τοῦτο, scil. πνεῦμα *effudit*, impertitus est. Ὅ, *id quod* nunc cernitis et auditis. Intelligitur tota illa res, quae tum agebatur. Hoc enim Petrus voluit demonstrare, Iesum fuisse Messiam, cui a Deo concessa fuerit potestas, sectatoribus suis Spiritum S. impertiendi, in iisque eventus insolitos proferendi, qualis erat donum linguarum.

34. Οὐ γὰρ — οὐρανούς) *Neque Davides in coelum adscendit.* Subaudi: ergo ibi non regnat et

imperat. De alio potius se superiore, nempe de successore suo dixit illud, quod nunc sequitur: εἶπεν ὁ κύριος κ. τ. λ. Locus extat Ps. CX, 1. Ad Messiam Iudaeos aetate Iesu carmen illud retulisse, constat ex quaestione illa Pharisaeis a Domino proposita, Matth. XXII, 42. Marc. XII, 35. Luc: XX, 41. De loco Ps. CX. xide Schol. ad Matth. XXII, 42. sqq.

36. Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω) *Certo norit.* Ἀσφαλὲς est τὸ μὴ σφάλλον, et μὴ σφαλλόμενον, habetque significationem eius quod certum firmumque et stabile, et cautione tutum est. οἶκος Ἰσραὴλ) *Domus*, i. e. *familia*, universus populus Israeliticus, distributus in tribus XII. ὅτι καὶ κύριον — ἐσταυρώσατε) Methathesis est, et simplex ordo verborum talis: ὅτι τοῦτον τόν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, ὁ θεὸς ἐποίησεν αὐτὸν καὶ κύριον καὶ χριστόν. Redundat αὐτον hebr. more. Particulam καὶ ante κύριον, in textu recepto h. l. omissam, recentiores N. T. Editores admonitu plurium optimae notae codicum rescripserunt. Illud autem ἐποίησεν est κατέταξε καὶ κατέστησε, i. e. *ordinavit et constituit*, ut Marc. III, 14. ἐποίησε δώδεκα et *facere consulem*, latine dicitur. *Iustinus* X, 1. Darium — per indulgentiam pater *regem* vivus *fecit*. *Herodianus* VIII, 4. 25. καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ὃν πεποίηκε καίσαρα. Declaratus est autem Iesus et Dominus et Messias, seu Rex per reditum in vitam. Hanc Messiae resurrectionem et dignitatem locis illis V. T. illustrare voluit Petrus, propter Iudaeos, qui argumentis e V. T. desumtis convincendi erant de veritate, Iesum esse verum Messiam. Hanc igitur conclusionem orationi suae Petrus adiecit: Sic ergo persuasum habeat omnis gens Israelitarum,

eundem *Iesum* quem vos in crucem egistis (Vs 23.), nunc iam (postquam revixit atque in coelum rediit) a Deo et *Dominum* et *Regem* esse constitutum. Illum videlicet *Christum* vel *Regem* vocans, ad promissa respicit Davidi data (vid. Vs. 30.), de Messia ab huius posteris oriundo, regnumque aliquod divinum instauraturo; *Domini* vero nomen e Ps. CX, 1. derivat, ubi ipse Davides Messiam ad Dei dextram considentem, hoc est, divini consortem imperii, *suum* quoque *dominum* appellet: qua eadem sententia ipse Christus locum illum accepit (Matth. XX, 41. sqq). Atque ita evenit, ut illud Κυρίου nomen, Christo homini, *in coelum recepto*, ibidemque cum Deo imperanti, peculiariter tributum, apud Christianos solemne et sanctum haberetur. Cui nomini quanta insit vis, quantumque momenti ac ponderis, pluribus verbis edisseritur Phil. II, 9—11.

37. Ἀκούσαντες δὲ) sc. τοῦτο, non tantum virum innocentem, sed ipsum adeo Messiam a gente Iudaeorum esse interfectum. κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ) *Compuncti sunt corde*, i. e. *intima tristitia affecti sunt*, quo sensu vox κατανύσσειν apud LXX. interpr. occurrit. Respondet verbis הִתְעַצֵּב, *contristatus*, *anxius fuit*, Gen. XXXIV, 7. et נִכְאַת. Cf. Ps. CIX, 16. et Sirac. XIV, 1. De sermonibus inprimis, qui animum valde afficiunt, aut tristitiam animo incutiunt, Graeci dicunt, eos animum *compungere*, *mordere*, *transfigere*, Sic *Plutarchus* de auditione: *Morsum*, inquit, *bonae indolis adolescentibus a philosophia inflictum* αὐτὸς ὁ τρώσας λόγος ἰᾶται, *eadem quae sauciavit*, *sanat oratio*. Alio sensu peiori occurrit nomen κατά-

νυξις Rom. XI, 8., ubi vid. not. Τί ποιήσωμεν;) Quaerunt, an aliqua spes restet, et quae.

38. Μετανοήσατε) *Mentem mutate.* Agnoscite, vos in errore versatos esse, et ingens peccatum commisisse, dum Iesum hunc Nazarenum reiecistis, tantaque ignominia affecistis, eundemque nunc agnoscite Dominum et regem, a Deo ad salutem vestram missum. καὶ βαπτισθήτω — ἁμαρτιῶν) *Et singuli suscepto baptismate profitemini vos cultores esse velle Iesu Messiae, ut peccata vobis remittantur.* Baptisma, ut symbolum mutandae mentis cognoverant Iudaei iam ex Ioanne, cuius lavacrum sub nomine βαπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν predicabatur, Luc. III, 3. Commodissime ergo post μετανοήσατε statim affert Petrus καὶ βαπτισθήτω κ. τ. λ. — Βαπτισθῆναι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, baptismate suscepto fieri sectatorem et cultorem Iesu, qui est Messias. Εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *ut vobis remittantur peccata*, non tantum illud peccatum, quod reiiciendo Messia commisistis, sed et alia omnia peccata. Promittitur igitur remissio peccatorum et favor divinus iis, qui religionem christianam suscepturi et mutaturi essent mentem. καὶ λήψεσθε — πνεύματος) *Sic enim accipietis Spiritus sancti donum*, vel dono accipietis Spiritum sanctum. Illud Πνεῦμα, quia per Iesum divinitus erat missum et quasi donatum, vocatur δωρεὰ, *donum*, *beneficium.* Hoc autem beneficium divinum describit Apostolus tanquam ad omnes Christianos pertinens, prouti id quisque capiat. Vid. not. ad Io. XIV, 16. (pag. 705. edit. sext.) Sensus huius loci est: Iesum iam pro vestro Messia habetote, omniaque peccata vobis condonabuntur, vosque et ipsi iudicabi-

mini digni, quibus vis divina per varios effectus se exserat.

39. Ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία) *Ad vos enim pertinet promissio.* Sic Demosth. adv. *Macartat. Aperte o iudices lex dicit,* οἷς δεῖ τὴν κληρονομίαν εἶναι, *ad quos haereditas pertinere debeat.* Ἡ ἐπαγγελία, nempe donorum Spiritus sancti, de qua Ioel vaticinatus est. Eodem beneficio afficiemini, quo nos iam fruimur. καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν) *et ad remotissimos quosque.* Quae verba alii de regione et loco, alii de tempore intelligunt. Nec sine idonea ratione temporis gradationem verbis istis inesse sumitur, quum praecedat: ὑμῖν et τέκνοις ὑμῶν; ut igitur sensus sit: Pertinet illa promissio ad *vos,* ad *liberos* vestros, et ad omnes *posteros* vestros, quotquot futuro tempore Deus advocabit. Alii ad vocc. εἰς μακρὰν subaudiunt: χώραν οὖσι, intelliguntque aut *Gentiles,* qui a sancta Iudaeorum terra et lege remotissimi erant; aut *Iudaeos inter gentes dispersos,* quum Petrus tunc temporis de gentilibus ad religionam christianam adducendis nondum recte statuerit (Vid. infra Cap: X.); aut etiam de *gentilibus ad religionem Iudaicam transgressuris.* Iudaei enim opinabantur, e gentilibus eos regni Messiani cives fore, qui Iudaicam religionem suscepissent. Quare iis qui postremae sententiae favent, Petrus quoque putasse videtur, ad proselytos tantum, ad sacra Iudaeorum transituros, beneficia Christi spectare. προσκαλέσηται) προσκαλέσασθαι est, *advocare, ad societatem cum aliis ineundam invitare.* Imago est saepius obvia, qua homines ad amplectendam religionem christianam a Deo, aut Christo *vocati* et quasi *invitati* dicun-

tur. Vid. Gal. I, 6. Rom. VIII, 30. IX, 24. Ceterum isti, qui susceperunt religionem christianam, Iudaei et Proselyti, non tantum extraordinaria, quae dicuntur, sed etiam, et quidem potissimum, ordinaria dona acceperunt, utpote notitiam uberiorem religionis, vires ad meliorem vitam, quas accipiunt, qui doctrinam divinam in animum admittunt.

40. Ἑτέροις — ταύτης) *Aliis insuper multis verbis eos obtestatus et cohortatus est, ut se liberare sinerent ab illa perversa natione*, ut mores istius perversi seculi exuerent Σώζεσθαι *servari, liberari*, h. l. se liberare sinere, *sich retten lassen.* Patiminī, ut avocemini a societate perversorum. Γενεὰ saepissime notat *homines* eiusdem aetatis, simul viventes, *generationem*, ut lat. *aetas, seculum;* plerumque autem malo sensu accipitur, ut Matth. XI, 16. XXIII, 36. al. Γενεὰ σκολιὰ dicitur et Deut. XXXII, 5. 20. Significat σκολιὸν *obliquum* et *contortum* transferturque ad omnem perversitatem.

41. Οἱ μὲν ἀσμένως ἀποδεξάμενοι τὸν λόγον αὐτοῦ) *Libenter institutionem eius recipientes.* Ἀσμένως i. e. μετὰ χαρᾶς, ἡδέως, προθύμως ut *Hesychius* explicat. Tota phrasis notat, eos cum gaudio sermonem approbasse. Sic Iosephus Ant. Lib. XII, c. 15. de Iudaeis obsessis oblatam pacem et libertatem ratam habentibus, dicit: οἱ δὲ ἀσμένως δεξάμενοι τοὺς λογους. Sed noetiam ista phrasis eos, *qui libenter sermoni morem gerunt.* Ioseph. Ant. IV, 4. de puellis Midianiticis ad stupra ab Israëlitis sollicitatis dicit, αἱ τὲ ἀσμένως δεξάμενοι τοῦς λόγους συνήεσαν αὐτοῖς. — Ἐβαπτίσθησαν) Baptismate in primordiis ecclesiae christianae inaugurati sunt, quicunque Iesum *Messiam* esse profiterentur,

Accuratior institutio de religione christiana baptisma non praecedebat, sed sequebatur. Cf. *Eichhorn* in *Allg. Biblioth.* T. III. p. 409. Καὶ προσετέθησαν — τρισχίλιαι) *Ter mille illo die adiunxerunt sese*; nempe discipulis Iesu Christi, coetui illi CXX. hominum. Προστίθεσθαί τινι, *ad partes alicuius accedere.* Sic Scriptores graeci de urbibus vel nationibus ad Romanos deficientibus: προσετίθεντο τοῖς Ῥωμαίοις. Qui incredibile esse putant, 3000 homines uno die Christianis se adiunxisse, quod una domus tot auditores capere haud potuerit, tanquam certum praesupponunt, omnes simul admissos esse ad audiendum Petrum et alios Apostolos; quod nec Lucas dicit, nec verisimile est. Alii difficultatem ita tollunt, ut dicant haec evenisse in *Oeco* templi Hierosolymitani. De hac sententia vide notata supra ad v. 2. Quaerunt etiam, quo modo fieri potuerit, ut in una domo vel oeco baptizarentur tria millia hominum? Sed omnes homines illos eodem in loco, una eademque hora baptizatos esse, Lucas non dicit. Potuerunt undecim Apostoli homines illos baptizare pluribus locis urbis Hierosolymitanae.

42. Sequuntur quaedam ecclesiae primae instituta. Ἦσαν — ἀποστόλων) *Perrexerunt uti institutione Apostolorum.* De verbo προσκαρτερεῖν vide supra I, 14. Διδαχὴ saepe est *res* quae docetur; hoc autem loco ipsa institutio. τῇ κοινωνίᾳ) Κοινωνία h. l. nihil aliud significat, quam communicationem et societatem. Videtur referenda esse ad Apostolos, sicut antecedens vox διδαχῇ, ut significetur, novos illos Christianos non solum Apostolis *docentibus* adhaesisse, et ex ore eo-

rum pependisse, sed cum iisdem in ceteris quoque vitae negotiis familiariter versatos fuisse. Alii intelligunt sacram coenam; alii communicationem bonorum, *beneficentiam* seu *eleemosynas*, quo significatu voc. κοινωνία occurrit Rom. XV, 26. 2. Cor. VIII, 4. IX, 13. Hebr. XIII, 16. Alii verba τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου per hendiadyn prolata esse putant, et de communi convictu accipiunt; ita Vulgatus: *et communicatione fractionis panis.* Notum est enim Hebraeos victus communionem per *fractionem panis*, sicut Graeci convivium a *potu* tantum συμπόσιον appellant indicare. Cf. not. ad Vs. 46. An his epulis S. coena subiuncta fuerit, dubium est; saltim verbis expressis non dicitur. Eucharistiae mentionem hic fecit Syrus.

43. Ἐγένετο δὲ πάσῃ ψυχῇ φόβος) Hebraismus. *Timor omnes homines invasit*, i. e. omnes admirati sunt; nam timoris et admirationis affines sunt affectus. Cf. Luc. VII, 16.

44. Ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ) Quae verba ob tantam hominum multitudinem de uno loco intelligi non possunt. Interpretandum igitur: summo animorum consensu coniungebantur; uno eodemque consilio regebantur. καὶ εἶχον ἅπαντα κοινά) οὐ κτήσει ἀλλὰ χρήσει. Notissimum est Graecorum Proverbium, *amicorum omnia esse communia.* Non fuit absoluta bonorum communio in eccelesia Hierosolymitana; et si fuit, saltim non diu duravit. Nam ipsorum Apostolorum tempore collectae in usum pauperum ex Apostolorum praescripto, 1 Cor. XVI. frequentatae sunt, quibus certe opus non fuisset, si bonorum a singulis facta universo-

rum extitisset collatio. Immo liberum cuique fuit, facere hoc aut non facere, ut ostendit Ananiae exemplum, c. X, 4. Describitur ergo et hoc et aliis locis beneficientiae et liberalitatis studium acre et eximium. Neque ea bonorum communio apud Christianorum societates obtinuit, quae olim fuit Pythagoraeis et Essenis. Vide *Kuinoelium* ad h. l., qui plura de hac re attulit. Cf. et not. ad IV, 34. 35.

45. Καὶ τὰ κτήματα καὶ τὰς ὑπάρξεις ἐπίπρασκον) Non omnia bona sua vendebant, sed quantum opus esset ad sustentandos egenos. Vide not. ad VI, 34. 35. Κτήματα h. l. *bona immobilia*, qualia sunt agri, vineae, domus, praedia etc. καὶ διεμέριζον — εἶχε) Nempe aegrotis ad medicamenta, et alias res necessarias; item ad alimenta infantium. Non novum erat hoc inter Iudaeos. De *Essenis* refert *Philo*, Lib. *quod quod omnis probus liber*: ἐστί ταμεῖον ἓν πάντων καὶ δαπάναι, καὶ κοιναὶ μὲν ἐσθῆτες, κοιναὶ δὲ τροφαὶ συσσίτια πέποιημένων — οἵτε νοσηλεύοντες, οὐχ ὅτι πορίζειν ἀδυνατοῦσιν ἀμελοῦνται, πρὸς τὰς νοσηλείας ἐκ τῶν κοινῶν ἔχοντες ἐν ἑτοίμῳ etc.

46. Ἐν τῷ ἱερῷ) Quamquam coetus habebant peculiares, tamen communes in templo populi coetus non deserebant. — Κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον) Phrasis κλᾶν τὸν ἄρτον, *frangere panem* non per se significat *panem* seu *cibum distribuere*, aliis dare; quod si volueris exprimere, obiecto opus esset: κλάειν ἄρτον εἴς τινα. in usum alicuius, ut Marc. VIII, 19. H. l. igitur, quum obiectum desit, significantur simpliciter *epula communia*. Fal-

luntur ergo, qui hunc locum ita explicant: *Panem frangebant*, scil. *pauperioribus*, ut de epulis cogitetur in usum potissimum pauperum exstructis *(Armenmahlzeiten)*, quibus tamen interfuerint divites ipsi. Sermo potius est de epulis communibus sacris, quae dicebantur ἀγάπαι, quae ad omnes Christi sectatores pertinebant, ita tamen, ut ditiores in subsidium pauperiorum necessaria conferrent. Pauperes divitum munificentia sustentabantur, nec tamen hoc solo concilio epula illa exstruebantur. Κατ' οἶκον, scil. ἕκαστον i. e. singulis in domibus, modo in hac, modo in illa, ut recte monuit *Io. Chr. Gottl. Ernesti* in Gloss. sacr. Hesychii not. ad κατ' οἶκον. Μεταλάμβανον — καρδίας) *Cibum capiebant animo laeto atque sincero.* Qui nempe dabant, libenter dabant, et qui alebantur, pio et grato animo accipiebant beneficia. Laetitia non fucata erat, sed ex mutuo amore et animorum consensu enata. Nomen ἀφελότης, quod hoc tantum loco legitur, denotat *sinceritatem animique integritatem*, et synonymum est frequentiori ἁπλότης, Rom. XII, 8. Eph. VI, 5. Col. III, 22.

47. Αἰνοῦντες) *Collaudantes Deum.* Αἰνέω, *praedico, hymnis celebro*, non nisi de Dei celebratione adhibetur. Ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαὸν) Erant gratiosi etiam apud τοὺς ἔξωθεν, ob bonitatem, modestiam, patientiam, quarum virtutum ea vis est, ut amorem etiam a disparis vitae hominibus extorqueat. ὁ δὲ κύριος — ἐκκλησίᾳ) *Dominus autem quotidie coetui adiungebat, qui salutis participes fierent.* Σωζόμενοι hic dicuntur ii, qui accedunt ad religionem chri-

stianam, qui servantur, et felicitatis fiunt participes. Cf. supra Vs. 40.

Cap. III.

1. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ) Notat haec phrasis h. l. idem quod hebraicum יַחְדָּו, *una, simul,* cui et in versione graeca illa respondere solet. Simillimus huic est locus Iosephi Ant. XVI, 8. 6. ubi de Herode et Archelao dicit: μέχρις Ἀντιοχείας ἐπὶ τὸ αὐτὸ παρῆλθον, *una Antiochia profecti sunt.* ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς, τὴν ἐννάτην) i. e. ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς, ἥτις ἦν ἡ ἐννάτη τῆς ἡμέρας, *circa precationis horam, quae erat nona diei:* hora nostra fere tertia pomeridiana. Horae precationis tres erant, *tertia, sexta, nona.* Tertia vocabatur תפלת שחרית, *precatio matutina* (Act. II, 15.), quam Abrahamum instituisse Iudaei perhibent; sexta dicitur תפלת מנחה *precatio muneris,* et תפלת צהרים *precatio meridiana,* instituta, ut aiunt, ab Isaaco (Act. X, 9.); nona vocatur תפלת ערבית *precatio vespertina,* quam Iacobus instituisse fertur (Act. X, 3. 30. et h. l.). *Tanchuma* fol. XV, 3.: *nemo hominum per diem pluries, quam ter orare potest, quas preces patriarchae invenerunt.*

2. Πρὸς τὴν θύραν — ὡραίαν) *Ad ianuam templi, quae dicitur pulcra.* Solent plerumque in descriptione templi πύλαι dici, sed interdum et θύραι, ut 2 Chr. IV, 22. Ez. XL, 13: Sub *porta formosa Wetstenius* intelligit portam orientalem, Corinthiam

et Maximam, Nicanoris dictam, per quam introibant ex atrio mulierum, in atrium Israëlitarum, Vid. *Ioseph. de B. I.* V. 5. 3. ubi refert, portarum templi novem quidem auro et argento ubique tectas fuisse, una cum postibus et superliminari, unam vero extra templum ex aere Corinthio, quae multum argento inclusas et inauratas dignitate superaverit, πολὺ τῇ τιμῇ τὰς καταργύρους καὶ περιχρύσους ὑπεράγουσα. *Io. Ern. Imman. Walchius* (dis. *de claudo a Petro sanato*) cum aliis intelligit eam portam, quae alias *Susan* fuerit dicta, ab urbe eiusdem nominis, sede quondam Persarum regia; nam urbs illa, teste *Athenaeo* διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου, a liliis nempe, quae ibi admodum frequentia erant, et urbis situm iucundissimum reddebant, *Susan* dicta fuit. Ad hanc vero portam maxima erat hominum frequentia, quoniam ibi erant tabernae, in quibus vinum, sal, farina, oleum, columbae aliaque in sacrificiis necessaria vendebantur. Larga igitur mendicantibus fuit stipem colligendi opportunitas, „Hoc quidem certum et exploratum videtur, per τὴν θύραν τὴν λεγ. ὠρ., non intelligendam esse portam quae ex atrio mulierum in atrium Israelitarum ducebat, ipse enim contextus, si quid video, lectorem cogitare iubet de spatio montis Moriae extimo, quod per murum ab atrio gentium separata fuit. Parum praeterea etiam probabile est, Iudaeos nomen origine Graecum portae templi imposuisse.“ Haec *Kuinoelius*, cui ipsi eorum (*Lightfooti*, *Boltenii*, *Schotti*) praeplacet sententia, qui significari existimant portam atrii gentium, vocatam *Chulda* חוּלְדָה, sic dictam a חלד *tempus*, *ae-*

aevum, ut adeo voc. ὡραία reddendum sit *tempestiva*. De voce ἱερὸν vid. not. ad Matth. XXI, 12.

3. Ἠρώτα ἐλεημοσύνην λαβεῖν) i. e. *stipem petiit*; λαβεῖν post verba *petendi* ex Graecorum loquendi more redundat. Cf. *Wineri Gramm. d. neutestamentl. Sprachidioms.* §. 54 2.

5. Ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς) *Intuebatur eos*, ita ut subaudiendum sit, τοὺς ὀφθαλμούς. In aprico enim est respicere phrasin ad βλέψον εἰς ἡμᾶς v. 4. quibus verbis postulabat Petrus *liberiorem intuitum*, ut animi nihil male sibi conscientis, et spei cuiusdam ac fiduciae testem.

6. Ὃ δὲ ἔχω) Habebat autem Petrus facultatem miracula edendi vi et potestate a Iesu sibi concessa. τοῦτό σοι δίδωμι) Te sanando auctoritate et vi mihi a Iesu concessa. ἐν ὀνόματι Ἰ. Χρ. τοῦ Ναζ. subaudi: *dico tibi.*

7. Πιάσας) πιέζειν, sive πιάζειν *prehendere manu*, alias de violenta (infra XII, 4.), h. l. de clementi apprehensione accipitur. αἱ βάσεις) Βάσις proprie est *gressus*, *passus*, tum *planta pedis*. H. l. ipsos pedes dicit, quibus ceu basibus nititur totius corporis pondus; etenim plantae imi pedes sunt. Sic Iosephus Antiq. VII, 10. gigantem quendam Philistaeum *sex* dicit habuisse δακτύλους ἐν ἑκατέρῳ τῶν βάσεων, *digitos in utroque pede*. Apollodor. Bibl. I, 3. πεσόντα δ' Ἥφαιστον ἐν Λήμνῳ καὶ πηρωθέντα τὰς βάσεις διέσωσε Θέτις, *deiectum vero Vulcanum in Lemno insula et claudum pedibus factum Thetis servavit*. Σφυρὰ *malleolos*, *talos*, denotant, quibus in iis, qui pedibus capti

sunt, *infirmitas* tribuitur. Sic apud Lucianum *Tragopod.* podagricus lentum suum incessum describens dicit: διάλυτος δε μου ἔσυρεν ὀπίσω πηλὸς ασθενῆ σφυρὰ *solutum retrahit, malleolos male firmos illico coenum reto.*

8. Ἐξαλλόμενος ἔστη) *Exsiliens,* nempe e *fertoria* vel *grabato,* in quo hactenus ab uno loco ad alterum portatus erat (v. 2.) *stetit firmus.* ἁλλομενὸς, non tantum prae gaudio, sed et in signum, se perfecte esse sanatum.

11. Κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ τὸν Π. κ. Ἰω.) Pro τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ nonnulli codd. ut et Verss. αὐτοῦ habent. Κρατεῖν est *tenere. Retinebat* nempe claudus sanatus Apostolos, eis adhaerebat, eorum societate diutius frui cupiens, ut iam Theophylactus ex Chrysostomo explicavit. Sic Achilles Tatius L. V. ἡ μέν ἐπεχείρει με κρατεῖν ἐκεῖ κοιμηθησόμενον, *illa me retinere conabatur, ibi dormiturum.* Hinc *tenebat Apostolos* idem est ac *dimittere illos a se nolebat,* illos socios habebat. ἐπὶ τῇ στοᾷ τ. καλ. Σολομῶνος) Vide de hac porticu not. ad Io. X; 23.

12. Τί θαυμάζετε — περιπατεῖν αὐτὸν) *Quid miramini hanc rem, aut nos quid intuemini? quasi nostra virtute aut pietate effecerimus, ut hic ambulare possit.* Negat Petrus a se et Ioanne propria potestate sanatum esse claudum. Addit: *nec pietate nostra.* Nolite, inquit, existimare, esse hoc praemium aliquod pietatis nostrae aut virtutis, quod Deus per nos huic homini restituit sanitatem. Pro εὐσεβείᾳ le-

gunt nonulli ἐξουσίᾳ, quoniam alias quoque δύναμις et ἐξουσία iunguntur, ut Luc. IV, 36. Sed vulgaris lectio proba est, altera ex interpretamento orta. τοῦ περι πατεῖν αὐτόν) Alias ποιεῖν coniungitur cum ἵνα, hic cum Infinitivo, addito in locum Hebr. ל genitivo Articuli. Cf. *Wineri Gramm.* §. 38, 4.

13. Ὁ Θεὸς — Ἰησοῦν) *Sed Deus maiorum nostrorum filium suum Iesum glorificavit*, i. e. dignitatem filii sui manifestavit et illustravit. Ex eo, inquit Petrus, quod nunc Deo volente, fit, apparet, Iesum non fuisse impostorem, sed Messiam; eum vivere, potentem esse, atque promissa praestare. Sanatio claudi omnino documentum erat huius dignitatis Iesu. Nam vi et potestate a Iesu sibi concessa patraverant hoc miraculum, v. 16. Quomodo autem ille Apostolis potestatem hanc tribuere potuisset, nisi viveret et potens esset? Τὸν παῖδα, i. e. *υἱὸν*, ut Vs. 26. IV, 27. 30. coll. Matth. III, 17. ἠρνήσασθε αὐτὸν) Ἀρνεῖσθαι et ἀπαρνεῖσθαι est *repudiare*, *aversari*, *renunciare*, i. q. ἀπειπεῖν 2 Cor. IV, 2. Sic Callimachus *hymn.* in *Delum* v. 100 de Latona dicit, ἀλλ' ὅτ' Ἀχαιϊάδες μιν ἀπηρνήσαντο πόληες ἐρχομένην, *quum Achivae civitates illam respuissent venientem;* in Thessaliam illam rediisse. κατὰ πρόσωπον Πιλάτου) *coram Pilato.* κατὰ πρόσ. i. q. hebr. לִפְנֵי. Cf. Luc. II, 31. κρίναντος ἐκείνου ἀπολύειν) *Quum* (Pilatus) *eum dimittere decrevisset.* Κρίνειν apud optimum quemque scriptorem aeque ac γινώσκειν est *statuere*, *velle*, *decernere.* Sic e. c. *Ioseph.* Ant. I, 4. ἀφανίσαι ἐκ παντὸς οὐκ ἔκρινεν, *omnes omnino perdere noluit.* Ib. d.

VII, 1. 5. κρίναι Ἀβένηρον ἀποκτεῖναι. Et II, 12. ταῦτα τοῦ Θεοῦ κρίναντος περὶ τῶν Σοδομιτῶν, *quum haec Deus de Sodomitis decrevisset.* Sensus igitur huius loci est: Illum Iesum, cuius dignitatem divinam Deus manifestavit, vos repudiastis, nec pro Messia accipere voluistis; quin adeo, quem ipse Pilatus nullius criminis reum invenit, eum vos absolvi et vivum servari noluistis.

14. Ὑμεῖς δὲ ἠρνήσασθε) *Vos autem sanctum et iustum repudiastis*, eumque morti tradidistis. Ὁ ἅγιος, seu ὁ ἅγιος Θεοῦ et ὁ ἅγιος παῖς Θεοῦ nominatur Messias, interpres Dei omnium excellentissimus. Vide infra IV, 27. 30. Luc. IV, 34., et cf. not ad Io. X, 36. Nomine quoque δίκαιος insigniebatur Messias, quatenus innocens est et omnis labis expers. vid. Ies. XI, 4. 5. LIII, 11., et hoc loco opponitur reo. Cf. et 1. Petr. III, 18. ᾐτήσασθε ἄνδρα φονέα χαρισθῆναι ὑμῖν) *Rogastis, ut homicida vobis donaretur*, h. e. *in gratiam vestram a morte liberaretur.* Hoc sensu χαίρεσθαι utitur etiam Paulus ad *Philem.* v. 22. *Ioseph.* Ant. II, 6. 9. et aliis locis. Φονέα scil. Barrabam, homicidam et seditionis auctorem, coll. Matth. XXVII, 21. Luc. XXIII, 18. 19.

15. Τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς) *Vitae et felicitatis auctorem*, principem. Vox ζωῆς sensu latissimo accipi potest, ita ut includatur omnis hominum salus et beatitudo, ut sensus idem sit, quo Christus Hebr. II, 10. ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας vocatur. In utroque loco acumen latet atque emphasis. Hic *morti* datus dicitur auctor *vitae.* Iesus ipse professus erat, se omnibus

ipsi confidentibus aeternae salutis auctorem esse et largitorem. Vid. not. ad Io. XIV, 6. Ἀρχηγὸς auctor; quo sensu reperitur in Isocratis *Orat. de permut.* τῶν παρόντων ἀγαθῶν ἁπάντων αὐτοῖς ἀρχηγοί, *omnium bonorum praesentium ipsis auctores.* Heraclides Ponticus allegor. Hom. Homerum vocat, ἀρχηγὸν πάσης σοφίας. De phrasi μάρτυρές ἐσμεν vid. not. ad II, 32.

16. Καὶ ἐπὶ — ὄνομα αὐτοῦ) *Atque, ut in eum credaretis, ipse restituit hunc, quem hic videtis et novistis.* Ὄνομα Ἰησοῦ h. l. est *Iesus ipse*, ut saepe in V. Test. שֵׁם יְהוָה lehovah, venerandum Numen. Ἐπὶ, *propter, ad.* ἐπὶ cum Dativo saepius finem et scopum indicat, ut 1. Thess. IV, 7. 2. Tim. II, 14. Eum in finem Iesus hoc miraculum per nos edidit, ut et vos convinceremini eum esse verum Messiam. Quae tamen interpretatio *Kuinoelio* aliisque minus commoda videtur, qui potius verbis ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ hunc sensum tribuendum arbitrantur; propter fiduciam *nostram* in Christi auxilio repositam. Certi quid statuere difficile est ob Graecae constructionis ambiguitatem. Priorem autem explicationem praefero, quum de Apostolorum fiducia in subsequentibus commodius cogitetur. Altera interpretatione admissa non intelligitur, cur in utroque hemistichio eadem fere sententia proponatur. καὶ ἡ πίστις — ὑμῶν) *Et fiducia in eum* (Iesum) *effecit, ut hunc* claudum *integrum restitueremus in conspectu omnium vestri.* Ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ, fides vel fiducia Apostolorum in Iesu collocata. Fidem habebant Apostoli promissis quae acceperant, e. c. Io. XIV, 13. (ubi vid. not.)

Matth. XXVIII, 20. Alii intelligunt *fidem a Christo productam in claudo*, fidem per notitiam Christi ortam in ille homine. Ὁλοκληρίᾳ *integritatem, incolumitate* corporis designat, cum nulla pars corporis aut deficit, aut vitio laborat. Ioseph. de B. I. L. VI, c. 15. opponit Sacerdotes, ὅσοι διὰ πήρωσιν οὐκ ἐλειτούργουν, *qui ob mutilationem sacra non obibant*, τοῖς ὁλοκλήροις, *integris*.

17. Κατὰ ἄγνοιαν) *Per ignorantiam*, i. e. ignorantes. Ignorarunt nimirum arcanum consilium Dei aeterni, sive mysterium redemtionis generis humani. ὥσπερ καὶ οἱ ἄρχοντες ὑμῶν,) Principes Iudaeorum potuissent quidem scire, Iesum esse Messiam, si diligentiam omnem adhibuissent. Sed praeiudiciis et malis affectibus impediti non agnoverunt eum. Haec ignorantia, quamvis vincibilis, crimen eorum non excusabat quidem, tamen imminuebat. Cf. not. ad Luc. XXIII, 34. Ceterum non nimis haec Petri verba sunt premenda; etenim (scite monente *Heinrichsio*) nil sibi vult, quam emollienda facinoris atrocitate captare audientium benevolentiam.

18. Πάντων non urgendum; πάντες saepius ponitur pro πολλοί, ut Marc. I, 37. Io. III, 26. Ἐπλήρωσεν οὕτω) *Hoc modo exsequutus est.* Vos quidem graviter peccastis, reiiciendo et interficiendo adeo Messiam; sed Deus hoc vestro errore usus est ad optimos fines.

19. Μετανοήσατε — ἁμαρτίας) *Mutate igitur mentem, et redite, ut peccata vestra deleantur.* Monet eos Petrus, ut Iesum spernere desinant, redeant

potius ad eum, quem antea repudiaverunt, eumque pro Messia agnoscant. De hac mutatione mentis, de hoc Iudaeorum ad Iesum reditu h. l. est sermo. Cf. not. ad II, 38. *Ut peccata vestra deleantur*, i. e. vobis remittantur. Intelligitur inprimis illud peccatum, quo Messiam repudiarunt. Ἐξαλειφθῆναι, *expungi, oblitterari.* ὅπως ἄν — τοῦ κυρίου) *Quo fiet, ut veniant Deo auctore tempora* etiam vobis *laetissima*, ut vos quoque felicitate civibus regni Messiani promissa fruamini. ὅπως ἄν, *eum in finem, ut;* nam Particula ὅπως cum Coniunctivo iuncta, notat *ut, ita ut,* vid. Matth. VI, 5. XXIII, 35. Act. XV, 17. Rom. III, 4. Ἀνάψυξις, proprie *respiratio, recreatio a laboribus et afflictionibus, quies;* tum ἀνάψ. significat *statum feliciorem beatioremque* imagine ex Oriente petita, ubi quies in summa felicitate ponebatur, Apoc. XIV, 13. Hebr. III, 11. Sap VI, 2. 8. Syr. VI, 28. Hesychius: ἀναψυξις· ἀνάπαυσις. Itaque καιροὶ ἀναψύξεος sunt *tempora quietis*, i. e. summae felicitatis in regno Messiae exspectandae, quod Christus e coelo rediturus olim inaugurabit. Cf. not ad Vs. 21. ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου) *Auctore Deo*, h. e. (recte explicante *Kuinoelio*) ut Deus venire, exoriri iubeat. ἀπὸ h. l. ut saepius, causam, auctorem indicat et πρόσωπον redundat.

20. Καὶ ἀποστείλῃ τὸν προκεχειρισμένον ὑμῖν Ἰησοῦν Χριστὸν) *Et mittat* (repet. ὅπως ἄν) *destinatum vobis Iesum Messiam.* ὑμῖν, emphatice, in vestrae nationis gratiam. Προκεχειρισμένον legendum esse pro προκεκηρυγμένον, probat propemodum omnium Codicum consensus. Hanc lectionem habent etiam multi Patres qui hunc locum allegant, et antiquissima versio

latina, Προχειρίζεσθαί τινα, *eligere aliquem ad aliquid, constituere, destinare.* Ergo Christus Iudaeis destinatus esse dicitur. Scientissime *Heinrichsius* ad h. l. observavit haec: „In omni hoc loco et eatenus torserunt se interpretes, sed frustra, credo, quod hic adventaturus postea demum dicitur Messias, qui iam in terris adfuerit. Impeditiora fiunt omnia, si καιροὺς ἀναψύξεως de beatitate per religionem christ. orbi illata acceperis. At si de regno Messiano, βασιλείᾳ Θεοῦ, τῶν οὐρανῶν eo sensu acceperis, quo id saepius in N. T. venit, omnia fluunt facillime. Ex ea enim sententia Messias, ut homo, ad breve tempus in terris apparuit quidem, sed et ad tempus in coelum revocatus est, rediturus inde suo tempore ad solennem regni sui inaugurationem. Id infertur Vs. 21."

21. Ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι) Ambigua est loquutio. Potest esse aut: *Iesus occupavit coelum*, tanquam sedem sibi propriam; aut: *Iesum excepit coelum* eumque retinuit. Sensus eodem redit, nisi argutari in his verbis velis, quod factum est ob controversias dogmaticas. Posteriorem autem interpretationem praeferendam esse ratione satis idonea ostendit *Kuinoelius* ad h. l. Δεῖ pro ἔδει, h. l. exprimit necessitatem *destinationis et voluntatis Dei*, ut supra I, 16. infra IV, 12. Io. IX, 4, X, 16. Δέξασθαι positum est pro δέχεσθαι, quod verbum, cum loco iungitur, eiusdem est attributum, et notat *capere, excipere, exceptum retinere*, idemque valet quod ἀναλαμβάνειν, κατέχειν. Verba igitur ὃν δεῖ οὐρ. μ. δεξ. vertenda sunt: *quem ex decreto divino coelum excipere debebat.*

Ceterum (bene monente *Winzero* in Comm. mox commemoranda) *regnandi* notio, quam verbis istis plerique fere omnes tribuunt, quasi adprime respondeant verbis Paulinis, 1. Cor. XV, 25: δεῖ αὐτὸν βασιλεύειν, et formulae καθίζειν ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ, ea phrasi inesse vix recte dicitur. Solent quidem N. T. scriptores adsensum Christi in coelos cum eiusdem sessione ad Dei dextram, seu communi cum Patre imperio, arctissime coniungere (II, 33. 34. Marc. XVI. 19. 1. Petr. III, 22.); attamen differunt hae res uti antecedens et consequens, vel ut causa et effectus; nec de eo, cur in coelum susceptus fuerit quidque ibi faciat Iesus, hic agitur, sed unum hoc significatur, *esse* et *manere* eum in coelo debere ad certum quoddam tempus de consilio divino. Finis autem huius temporis exprimitur in verbis quae sequuntur: ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, in quibus explanandis insignem deprehendimus sententiarum diversitatem, quarum potiores collegit et examinavit *Kuinoelius* in Commentar. ad h. l. Fuerunt nempe, qui ἄχρι χρόνων reddi iuberent: *per tempora*, s. *quamdiu durabunt tempora*, statuentes quippe, χρόνους non esse temporum *terminos*, qui potius καιροὶ dicuntur, sed temporum *continuationes* denotare, Idem illi ἀποκατάστασιν putarunt appellari, quae διόρθωσις vocetur Hebr. 9. 10. et opponatur veteri disciplinae Iudaicae, per legem ritualem constitutae. Τὰ πάντα vero, quorum ἀποκατάστ. promissa fuerit, ad ipsam religionis disciplinam referenda esse monuerunt, provocantes potissimum ad locum Matth. XVII, 11. Interpretati igitur sunt ἀποκατάστασιν πάντων *doctrinae Mosaicae emendationem cultusque religiosi perfectionem*; χρόνους ἀποκ. π. autem *tempora N. T.*, *qui-*

bus Evangelii doctrina ab omnibus figurarum et rituum umbris libera, ad salutem hominum tradatur et quaquaversum propagetur. Verum nulla subest idonea ratio, cur usitatiorem Partic. ἄχρι significationem abiiciamus. Nam χρόνος et καιρὸς ab Hellenistis promiscue adhibentur, et χρόνος *terminum* quoque temporis indicat, e. c. in Vers LXX, Iob. VI 11. Ier. XXXVIII, 28. coll. Luc. I, 57. Itaque ἄχρι χρόνων verti debet *usque ad tempora*; in qua interpretatione multi quidem consentiunt, dissentiunt autem de reliquorum verborum constructione. Plures enim, inter quos *Kuinoelius* (nec non *Heinrichsius*, qui tamen fluctuat), Pronom. ὧν referunt ad πάντων, ἀποκατ. autem pro καταστάσει positam statuunt et *consummationem* vertunt, Hesychium secuti, qui ἀποκατάστασιν explicat τελείωσιν, et Oecumenium, qui scribit: ἀποκαταστῆναι δεῖ, φησὶ, καὶ εἰς πέρας ἐλθεῖν ἅπαντα. Vertunt igitur: *usque ad tempus, quo plane perficientur omnia, quae Deus per prophetas sanctos* (ἁγίων legendum est non πάντων) *praedixit.* Petrum autem *alii* intellexisse arbitrantur inaugurationem regni Messiani et eventa, quae eam praecedent, laetiorem doctrinae Christi propagationem, resuscitationem mortuorum, iudicium extremum etc.; *alii*, qui verbis ὃν δεῖ οὐρ. μ. δέξ. *regnandi* notionem tribuunt, eum hoc voluisse putant: *Christus potentissime regnare debet, donec subiectis omnibus Messiae adversariis melior Dei cultus per terrarum gentes propagatus fuerit.* Per sanctos prophetas, inquiunt, praedictum esse (e. c. Ps. CX.), Christum regnaturum esse, donec omnes hostes ei fuerint subiecti. Provocant ad loca 1 Cor. XV, 25. 26. Hebr. X, 12. 13. Quae omnia, quamvis quoad sensum

non plane sunt de nihilo, propriam tamen verborum vim non nisi per ambages attingunt. Aliorum de hoc loco sententias adducere non est huius loci. Verum, haud dubitamus, vidisse *Winzerum*, qui duobus Commentatt. (*de ἀποκαταστάσει πάντων in N. T. scriptis tradita*, Lips. 1821) hunc locum illustravit. Is recte monet, Pron. ὧν in subsequentibus non ad πάντων, sed ad χρόνων respicere, quod ex Vs. 24. intelligitur, ubi post Mosen, antea memoratum, omnes etiam reliquos vates τὰς ἡμέρας ταύτας annuntiasse declarat Petrus, sicque manifesto docet, se ad *tempora* futura, neutiquam ad *res* tum eventuras, illorum vaticinia hic referri voluisse. Structura autem verborum etiam nostro loco postulat, ut ὧν ad χρόνων reiiciatur. Porro Winzerus observat, ad Iudaeos orationem habere Petrum, eosdemque argumento non novo sed ipsis iam cognito ac perspecto, ad mutandos animos hortari. Scilicet tanquam praemium fidei in Christum sperare eos iubet καιροὺς ἀναψύξεως et χρόνους ἀποκ. πάντ., quae phrases inter se non differunt. Iam vero ἀποκαθιστάναι et ἀποκατάστασις de *restitutione in pristinum statum, in integrum*, ut Graeci ita Iudaei scriptores dicere consueverunt. Vid *Polyb.* IV, 23, 1. *Diod. Sic.* XX, 34. Vers. LXX. Gen. XLI, 13. Iob. VIII, 6. Ier. XXIII, 8. coll. Mt XII, 13. Mc. III, 5 VIII, 25. Luc. VI, 11. Act. I, 6. Haec igitur voc. ἀποκατ. significatio hic utique tenenda, et talis quidem cogitanda erit *restitutio* quae post reditum Christi sit futura. Tum idem V. D. ratione satis probabili ostendit Iudaeos illa aetate exspectasse: 1) redemtionem ab imperio gentium (λύτρωσιν, σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν) et domestici propriique regi restitutionem; in cuius spei societatem

Apostoli quoque, per aliquod certe tempus, venerunt, atque etiam Petri animo, quum ipsa verba III, 21. proloqueretur, ista reipublicae et libertatis Iudaicae ἀποκατάστασις obversata, et quamquam non sola ad ἀποκ. πάντων ab eo relata est; 2) restitutionem veri Dei cultus et vitae sanctitatis per Messiam; 3) renovationem mundi physici. — Iam vero subiungamus, quod Ven. *Winzerum* fugit, illam videlicet interpretationem egregie confirmari iis, quae Ezechiel, Propheta, cecinit, cui persuasum fuit, felicissimo illo aevo, quod tristia exilii tempora sequuturum sperabat, non solum quae ad cultum religiosum civitatemque instituendam atque administrandam spectant, omnibus numeris absolutissima fore, sed etiam totius regionis statum habitumque plane novum, eumque florentissimum ornatissimumque exstiturum. (Egit Ezechiel de hac re inde a Cap. XXXI.) Talia ferebat opinio illa, quae per plurimas antiquitatis gentes pervaserat, de rediturο seculo aureo, revolventibus sese atque redeuntibus quatuor mundi aetatibus. In hunc sensum Ezech. XVI, 53. legitur, *Deum restituturum Sodomam in pristinum statum.* Quod explicandum est ex opinione illa de rerum omnium ἀποκαταστάσει. Qua de re Servius ad *Virgil. Eclog.* IV. (quae ad istam sententiam est intelligenda) ad Vs. 4.: „*Dixit finitis omnibus seculis rursus eadem renovari; quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, completo magno anno omnia sidera in suos ortus redire, et referri rursus eodem modo. Quod si est, idem siderum motus, necesse est, ut omnia, quae fuerunt, habeant iterationem; universa enim ex astrorum motu pendere manifestum est. Hoc sequutus Virgilius,*

dixit aurea secula reverti, et iterari omnia, quae fuerunt. Alter erit Tiphys. (Vs. 34.). *Videtur hic locus dictus κατ' ἀποκατάστασιν, i. e. per omnium rerum volubilitatem ex siderum ratione venientem.*" Plura de hac re vid. in *E. F. C. Rosenmülleri* Scholl. ad Ez. XVI, 53. et in Eiusd. Prolegg. ad Cap. XL. — Recte igitur *Winzerus* contendit, Iudaeos Messiae temporibus exspectasse *renovationem mundi physici*, seu ἀποκατ. πάντων. Erat nempe haec iis sententia, universam rerum naturam, perfecte a Deo conditam, per peccatum primorum hominum labe veluti adspersam esse, corruptam et imperfectam redditam; sed hanc corruptionem, pariter ac malum morale, aliquando sublatum iri; adeoque fore, ut quando Messias advenerit, omnis mundus, igne destructus, restituatur in pristinam illam perfectionem. Pertinet huc locus in Bereschith rabba fol. 11. 3.: *S. Berachiach nomine R. Samuelis dixit: quamvis creatae fuerint res perfecte, tamen, quum primus homo peccaret, corruptae sunt, neque redibunt in statum suum congruum, donec veniat Pherez* (Messias). Similiter R. Bechai in Schilchan Orba fol 9. 4: *tempore illo* (Messiae) *mutabitur totum opus creationis in melius, et redibit in statum suum perfectum ac purum, qualis erat tempore primi hominis, antequam peccasset.* Ipsum vero etiam Petrum illam opinionem amplexum esse, aperte docent eius verba 2. Petr. III, 7. sqq. coll. Apoc. XXI. 1. Iudaei autem, iam antequam in terras exteras deportarentur, quotiescunque magnis publicis malis oppressi essent, ultimae sive ferreae aetatis finem adesse sperabant, quam felicissima aurei seculi exceptura

sint tempora, auspice rege magno e stirpe Davidica oriundo. Quae spes ἀποκαταστάσεως, (ex Petri doctrina in secunda Christi in terris apparitione una cum Messiani regni inauguratione ἀποκατ. illa est exspectanda), propagata est inter Iudaeos; et inde enata opinio de mille annorum regno, in quo Iudaei Hieronymi aetate, ut ipse in Commentar. ad Ez. XVI 55. refert, somniarunt: „Sodomam esse restituendam in antiquum statum, ita ut sit quasi paradisus Dei, et quasi terra Aegypti. — — Ierusalem quoque tunc esse fabricandam, et omnes filias eius, urbes videlicet, et urbes, et castella, quae sub ipsius sint potestate, florituras ut prius floruerunt, et ipsam Ierusalem auro et argento, et pretiosis lapidibus exstruendam, de qua et Iesaias vaticinetur (I. 26.): *Constituam iudices tuos sicut prius, et consiliarios tuos sicut a principio, et post haec vocaberis civitas iustitiae, mater civitatum, fidelis Sion.*" — Loquutionem, quae in fine loci nostri exstat: ἀπ' αἰῶνος hebr. מעולם, denotare *iam olim, ab antiquissimis inde temporibus*, satis est notum.

22. Μωσῆς μὲν — εἶπεν) Haec cum antecedentibus non cohaerent, sed in eo est Petrus, ut ostendat, Prophetas de Messia eiusque temporibus vaticinatos. Exordiitur a Mose. In mente autem habet et memoriter laudat locum Deut. XVIII, 15. *Prophetam mei instar e medio tui ex fratribus tuis excitabit tibi Iova, Deus tuus; huic auscultate.* In hoc autem Deut. loco, si contextum consulas, non agitur de Messia (cf. *E. F. C. Rosenmülleri* Scholia ad eum locum), nec eo arrogantiae processit Moses, ut Messiae se conferret;

sermo potius est de Prophetarum serie, ut adeo in Hebraeo Sing. (נָבִיא) positus sit pro Plur., cuiusmodi enallages exempla obvia sunt; aut נָבִיא collective sit sumendum.

Monuerat enim Moses in praecedentibus Israelitas, ut caverent, ne hariolos adirent, et hanc addit nunc rationem, quod Deus ipsis veros Prophetas sit excitaturus; quos quomodo a falsis Prophetis discernendi sint, docet Vs. 20. sqq. Sed profecto non cohaeret: Nolite adire hariolos; nam Deus vobis prophetam Messiam excitabit. Quod autem Moses dicit: Prophetam *mei similem*, id sic intelligi debet: Prophetam, cui Deus eadem ratione ut mihi voluntatem suam patefaciet, quique eam ad vos perferet, ut ego retuli, talem, inquam Prophetam, semper per futura tempora vobis excitabit Deus. Post verba ὡς ἐμὲ subaudiri videtur: *misit*, Quemadmodum Deus me misit, sic in posterum etiam mittet Prophetas. At vero quamvis in hebr. textu de pluribus divinae voluntatis interpretibus agitur: Iudaei tamen, qui Christi et Apostolorum aevo vixerunt, *unum* solummodo eumque Messiam, intellexere (vid. infra VII, 37.). quem hanc ob causam τὸν προφήτην τὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον appellarunt (Io. VI, 14). Haud enim concedebant, alium Prophetam cum Mose posse comparari. Et sic manifesto Petrus ipse sensit, adeoque intelligi voluit promissum Iudaeorum maioribus Messiam, qui, pariter ac Moses, Dei consilia ipsis patefacturus, legesque ad res agendas Numinisque cultum spectantes laturus esset.

23. Ἔσται δὲ — τοῦ λαοῦ) *Eveniet autem, ut unusquisque, qui non paruerit illi Prophetae, deleatur e populo.* Ἔσται, ut hebr. וְיִהְיֶה. Πᾶσα ψυχή, נֶפֶשׁ כֹּל, *quilibet.* Ἐξολοθρεύειν est vox Alexandrinae dialecto propria, quam in Atticorum scriptis forte frustra quaesieris, occurrit illa quidem apud Iosephum, *Antiq.* VIII, 11, 1. πᾶν ἐξολοθρεύσω σου τὸ γένος, sed hoc, non dubium est, quin a LXX. Senioribus hauserit. In textu hebr. (Deut. XVIII, 19.), quem Noster respexit, legitur: אָנֹכִי אֶדְרֹשׁ מֵעִמּוֹ, Alexandrini verterunt: ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ, *ego in eum animadvertam, eum puniam;* Vulgatus: *ultor existam.* Petrus nec verba hebr., nec versionem Alexandr., sed sensum tantum, et fortioribus quidem verbis reddidit. In Vers. Alex. verbum ἐξολοθρεύειν occurrit Gen. XVII, 14. Ex. XII, 15. Lev. XVII, 4. al nec non in libris scriptorum recentioris aetatis, veluti Sap. XII, 8. 1. Marc. II, 40. Hoc autem Petrus voluit, eiusmodi hominem non agnosci pro cive regni Dei, excludi beneficiis per Messiam pro missis et partis.

24. Καὶ πάντες — ἡμέρας ταύτας) Recte iam Casaubonus monuit, verba ita esse construenda: καὶ ὅσοι τῶν καθεξῆς ἐλάλησαν et recentiores N. T. Editores incisi notam post καθεξῆς induxerunt. Vertendum igitur est: (Non Moses solum,) *verum et omnes Prophetae inde a Samuele, quotquot nimirum deinceps oracula ediderunt, etiam haec tempora annuntiarunt.* „Verissime (inquit *Heinrichsius*) haec profert Petrus. Siquidem Messias, sperataque ab eo temporum felicitas magna illa erat meta laborum, quo collineabant omnia vota, in prophetis expressa; nec fa-

cile quemquam prophetarum invenies, qui in futura felicitate depingenda non exsultaverit. Item tamen frustra laborabis, si e singulo quovis prophetarum aliquid eruere annisus fueris, quod ad Iesum refert nostra dogmatice. Quodsi Petrus diserte ait, κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας, non quidem necessario is erit sensus: *haec nostra tempora mente praeviderunt*, sed κατήγγειλαν aliquid, quod ἐν ἡμέραις ταύταις ratum est, ita est omnes moderante sapientissimo numine, ut quaecunque de futuro nationis sospitatore cecinerunt vates, in neminem quadrarent melius et convenientius, quam in Iesum. „Λαλεῖν saepius est *vaticinari*, coll. infra XXVI, 22. 2. Petr. I, 21. Pro vulgari προκατήγγειλαν rectius a ii legunt κατήγγειλαν.

25. Ὑμεῖς ἐστε — πατέρας ἡμῶν) *Vos ii estis, ad quos pertinent vaticinia prophetarum, atque illud promissum, quod Deus dedit nostris maioribus.* Hebraico more בֵּן, υἱός alicuius rei saepe dicitur is, qui cum illa re ullo aliquo modo coniunctus est, ad quem illa res pertinet. Διαθήκη, ברית, *promissio.* In V. T. *filii prophetarum* sunt *discipuli* prophetarum. Hoc autem loco omnes Iudaei ita vocantur, quia Prophetae ad eos missi erant, et quia libros Prophetarum legebant. καὶ τῆς διαθήκης,) scil. υἱοὶ, *ad quos promissio pertinet.* Gen. XII, 3. XVIII, 18. et imprimis XXII, 18. καὶ ἐν τῷ σπέρματι σου — τῆς γῆς) *Per posteros tuos* (unum ex posteris tuis) *felices erunt omnes nationes terrae.* Τὸ σπέρμα, זֶרַע et *posteros* num. plur. et unum posterum significat, ut Gen. IV, 25. ubi זֶרַע de *uno filio* usurpatur. Petrus quoque de *uno* postero, Iesu, hoc nomen collectivum ac-

cipit, ut Paulus Gal. III, 16. Πατριαὶ τῆς γῆς h. l. non sunt familiae consanguinitate coniunctae, sed simpliciter *nationes terrae*. LXX. illis Gen. locis posuerunt τὰ ἔθνη et αἱ φύλαι Si ille Abrahamo promissus benefaciet omnibus gentibus, quanto magis consanguineis suis, si modo hi impedimenta auferant.

26. Ὑμῖν — ἀπέστειλεν αὐτὸν) *Vestro inprimis bono misit Deus quem excitavit, filium suum.* Ἰησοῦν in multis Codd. deest. *Excitare* hic non est e mortuis ad vitam revocare, sed *conspicuum facere*, prophetia aliisque donis. Respiciuntur enim ea quae praecessere, προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει, Vs. 22. Sic et surgere tribuitur prophetis Deut. XIII, 1. XXXIV, 10. Sirac. XLVII, 1. Sic h. l. ἀναστῆναι est *prodire, iubere.* Ὑμῖν *vestro commodo.* Πρῶτον, *inprimis.* εὐλογοῦντα ὑμᾶς, *ut vobis benefaciat, felices vos reddat.* ἐν τὸ ἀποστρέφειν — ὑμῶν) *Si quisque vestrum se avertat a malitia sua et vitam emendet.* Alii ἀποστρέφειν transitive sumunt, et ita coniungunt cum antecedentibus, ut sensus sit: ut felices vos reddat, *dum unumquemque vestrum abstrahit a sceleribus suis.* Vid. Rom. XI, 26. 2. Tim. IV, 4. Quum hoc fiat per doctrinam, sunt, qui vocc. ἀπέστειλεν αὐτὸν explicent *de doctrina Iesu Christi;* vobis Iudaeis misit primum misit doctrinam de Iesu.

CAP. IV.

1. Ἐπέστησαν αὐτοῖς) *Supervenerunt ipsis*, eo sensu quem hoc verbum apud Latinos habet, quo *celeriter*

praeterque spem venire denotat. Id enim eleganter Graecis ἐπιστῆναι τινι denotat. Vid. et Luc. XX, 1. ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ) *Praefectus templo.* Erant στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ *praefecti excubiarum Leviticarum*, quorum erat munus cavere, ne quis tumultus in templo oriretur. Solebat nempe certus numerus sacerdotum per singulas hebdomadas die noctuque excubias agere in templo, ut pararent ea, quae ad victimas et ornatum templi paranda essent. His praeerat unus ex sacerdotibus, qui ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ audiebat, et cui id muneris incumbebet, ut ordini consuleret. Cf. not. ad Luc. XXII, 4.

2. Διαπονούμενοι) *aegre et graviter ferentes.* Cf. infra XVI, 18. καταγγέλλειν ἐν τῷ Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν) Annunciare probatam exemplo Christi mortuorum resurrectionem. Ἐν τῷ Ἰησοῦ *in persona, in exemplo Iesu.* Sadducaei, ut ait Iosephus, fatum negarunt, atque omnia nostro arbitrio subiecerunt; animas mortales esse, et propter ea resurrecturas non esse, dixerunt. Quamobrem aegre ferebant Sadducaei (a quorum secta ipse tunc fuit Pontifex maximus, V, 17.) quique tum ab horum partibus starent, primores Iudaeorum, quod Apostoli, suo more, Iesu Christi exemplo atque auctoritate declaraverant, mortuos et *posse* in vitam redire, et *esse redituros;* ideoque in Christi resurrectione, resurrectionis nostrae argumentum et pignus inesse, ut iam pro certo credi debeat, eum idcirco revixisse, ut nobis quoque spem reviviscendi faceret (cf. 1. Petr. I, 3. 4.). Iesus in terris vivens acerrimos hostes Pharisaeos habuit, sed redivivus et redux in coelum factus, Sadducaeos. Pharisaei enim sub ecclesiae primordiis mitio-

res se praebuere causae Christi; quin etiam Christianorum patrocinium interdum adversus Sadducaeos susceperunt. Vid. V, 17. sqq. XXIII, 6. sqq. Resurrectionem mortuorum Pharisaei ipsi profitebantur; sed *Iesum Nazarenum* e mortuis revixisse, id pernegabant. Sacerdotes h. l. commemoratos (qui non e secta Sadduc. fuisse videntur, quum interiecta sint verba καὶ ὁ στρατ. τ. ἱεροῦ) hoc male habuit, quod homines idiotae docerent populum in templo.

3. Εἰς τήρησιν) *In custodiam.* τήρησις rarius dicitur pro φυλακή. Thucydides VII, 86. ἀσφαλεστάτην τήρησιν. Schol. ἤγουν φυλακήν. De variis huius vocabuli significationibus accurate disputavit *Io. Fr. Fischer* in Supplem. ad *Vorstii* Comment. de Hebraismis N. T. Spec. I. ἦν γὰρ ἑσπέρα ἤδη) *Erat enim iam vespera.* Nam hora *nona* ascenderant Apostoli (III, 1.); atque iam multum temporis per ea, quae cap. II, narrata sunt, praeterierat.

4. Πολλοὶ δὲ — πέντε) *Multi autem eorum, qui audiverant doctrinam, susceperunt religionem christianam, et fuit numerus illorum hominum circiter quinque mille.* Ὁ λόγος, *doctrina*, institutio Apostolorum. Πιστεύειν h. l. est *suscipere religionem christianam.* ὡσεὶ χιλιάδες πέντε) Vel universorum, ut comprehendatur hoc numero etiam illa tria millia c. II. vel eorum, qui tunc audierunt Petri concionem tantus numerus accessit ad priores. Quum autem verisimile haud sit, 5000 homines Christo nomen dedisse, et vix tantam multitudinem ceperit porticus Salomonis, hoc potius dicit Lucas, numerum Christianorum tum accrevisse ad quinque hominum millia.

5. Τοὺς ἄρχοντας) Ἄρχοντες, qui v. 8. disertius vocantur ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, non alii sunt, quam *Synedrii Magni assessores*, qui 1. Macc. I, 11, dicuntur ἄρχοντες τοῦ ἔθνους. Cf. et Luc XXIV, 20. Io. III, 1. Apud Iosephum XX. 1. 2. ἄρχοντες Ἱεροσολυμιτῶν. Hi autem ἄρχοντες a πρεσβυτέροις, qui ipse quoque non exigua pars illius senatus erant, hic distinguuntur, quia illorum dignitas, auctoritasque haud dubie maior, quam πρεσβυτέρων erat. Εἰς Ἱερουσαλὴμ, pro ἐν Ἱερ. ut codices nonnulli habent. Alii suspicantur plerosque Synedrii assessores aestivo tempore in villis prope urbem degisse ideoque, h. l. addi, eos Hierosolymis convenisse. Sed Praepp. ἐν et εἰς centies inter se permutantur.

6. Καὶ Ἄνναν τὸν ἀρχιερέα καὶ Καϊάφαν) *Annas*, socer Kaiphae, vocatur Pontifex M. sed ex Iosepho (Antiq. XVIII, 2, 2. et Lib. eod. 4, 3.) constat, *Caipham* tum temporis proprie fuisse summum Pontificem. *Annas* igitur, qui ipse hic ἀρχιερεὺς vocatur, fuisse videtur Caiphae, Pontificis Maximi, vicarius. Neque quicquam dubitationis habet, quin Pontifex M. suum sibi interdum habuerit Vicarium, qui dicebatur כֹּהֵן מִשְׁנֶה ἀρχιερεὺς ὁ δεύτερος, quaemadmodum ille כֹּהֵן הָרֹאשׁ ἀρχιερεὺς ὁ πρῶτος. Vid. *Krebsii* observatt. ad h. l. Sed fortassis eam ob caussam οἱ ἀρχιερεῖς numero plur. nominantur, quia pontificatus dignitas tum temporis valde ambulatoria erat, ut ex Iosepho discimus, et abdicari iussi non tantum manebant Assessores Synedrii, sed etiam dignitatis pristinae nomen retinebant. Cf. et not. ad Luc. III, 2, et Io. XVIII, 13.

Ioannes, quis fuerit, incertum est *Lightfootus* in Hor. Hebrr. et Talmudd. opinatur esse Iochananen Zaccai filium, e stirpe sacerdotali oriundum, summae auctoritatis tunc temporis hominem. Ἀλέξανδρος) *Alexandrum Lysimachum*, Fratrem Philonis Iudaei, cuius filius Alexander Tiberius duxit Berenicen, Agrippae maioris filiam (Ioseph. Ant. XIX, 5, 1.) intelligit *Mangey* in praefatione *Philoni* suo praeposita. Memorat hos Lucas ad monendos lectores, quos adversarios, (potentissimos nempe,) habuerint Apostoli. γένους ἀρχιερατικοῦ) *Kuinoelius* intelligit Synedrii assessores, Hannano et Caiphae cognatione propinqua iunctos. *Heinrichsius*: gens, ex qua oriundi ad summum sacerdotium adspirare poterant. Ita ferme apud Romanos dicebatur: *viri consulares.*

7. Καὶ στήσαντες — τοῦτο ὑμεῖς;) *Et postquam eos in medio stare* (i. e. coram iudicio comparere) *iusserant, quaesiverunt: Quo iure aut cuius iussu fecistis vos illud?* ut nempe auderetis in templo docere. Ἐν ποίᾳ δυνάμει; *quo iure?* Non videtur quoad sensum differre ab eo quod sequitur: ἢ ἐν ποίῳ ὀνόματι) *Quo iubente*, qua auctoritate? Non enim licitum erat publice docere inscio Synedrio. Neque tamen rejicienda est *Kuinoelii* aliorumque interpretatio, qui quaestionem illam ad sanationem aegroti referunt, coll. Vs. 9, ut sensus sit: *quanam vi* (num naturali an magica) *et cuiusnam auxilio freti?* ut III, 6. XVI, 18. Io. X, 25. coll. Act. III, 16. (ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ), nam pro hac formula Vs. 9. legitur ἐν τίνι, *per quem;* Vs. 10. ἐν τούτῳ, *per hunc.* „Usi autem sunt Synedri," inquit *Kuinoelius*, „formula: *cuius no-*

mine freti? quoniam exorcistae Judaeorum illis temporibus daemonia eiiciebant, et morbos graviores sanabant, ita, ut praeter medicamenta, etiam varii generis formulas et incantationes adhiberent, atque nuncuparent nomen Salomonis, aut Abrahami, Isaaci et Iacobi, aut Dei.“ Vid. *Iosephi Ant.* VIII, 2, 5. *Origenes* Lib. IV, *Irenaeus* adv. haer. II, 6, 2.

8. Πλησθεὶς πνεύματος ἁγίου) Diviniore pro re christiana quidlibet audendi enthusiasmo correptus, fiduciaque et παῤῥησίᾳ plenus, coll. Vs. 13. Matth X, 19. Luc. XII, 11. 12.

9. Εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα) *Quandoquidem hodie in nos inquiritur;* si interrogamur. Habet enim ἀνακρίνεσθαι significationem interrogandi et inquirendi, quum alibi apud auctores graecos, tum apud Platonem Lib. IX. de legibus. ubi ἄρχεσθαι ait, in iudicio, τὸν γεραίτατον ἀνακρίνεσθαι, ordiri maximum natu *inquisitionem*, quae ibidem ἀνάκρισις dicitur. ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς) Pro εἰς ἄνθρωπον ἀσθενῆ. Est enim Genitivus obiecti, non subiecti. Sic apud Philonem: ἐπ' εὐεργεσίᾳ τοῦ γένους ἡμῶν, *ad benefaciendum nostro generi.* Miratur Petrus, ob beneficia homines in carceres trahi, quum id ob malefacta tantum soleat ac debeat. Verum, inquit, si de hac re quaestio est, parata nobis est responsio (Vs. 10.). ἐν τίνι οὗτος σέσωσται) *Per quem hic sanatus est.* σώζεσθαι saepius dicuntur qui a *morbo* liberantur, in vita servantur.

10. Γνωστὸν — ὑγιής) *Scitote vos omnes et universus populus Israeliticus, per Iesum Nazare-*

num, quem vos in crucem egistis, et quem Deus ex mortuis excitavit, per hunc, inquam, huic homini valetudinem esse restitutam. Ex ultimis huius comm. verbis patet, hominem sanatum simul in Synedrium ductum esse. Ceterum haec Petri verba erant ut libera, ita plena gravitatis. Quid enim hoc erat aliud, quam summum senatum arguere summi parricidii? Παρέστηκεν, *adstat erectus*, ut infra v. 14.

11. Οὗτός ἐστιν) Vid. not. ad Matth. XXI, 42. Adde *Eckermanni* observationes ad Ps, CXVIII, 22. in *Symb. th.* Vol. I. fasc. 1. p. 95. et fasc 2. p. 131. cui assentitur *Eichhornius* in *Allg. Bibl.* Vol. III, p. 70. Οὗτος, nempe Iesus coll. Vs. 10. Haud raro Pron. demonstr. ad nomen remotius referendum est. Vid. *Winer Gramm*, §. 17.

12. Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία) *Et in alio nemine sita est salus; a nullo alio est exspectanda salus.* Sic Iosephus *Ant.* L. III, c. 1. Mosen pro sublevanda Israelitarum commeatus et aquae penuria Deo ita supplicantem sistit: ἐν αὐτῷ γὰρ εἶναι τὴν σωτηρίαν αὐτοῦ καὶ οὐκ ἐν ἄλλῳ, *in illo enim* (Deo) *sitam esse salutem eius populi et non in alio.* Quaenam vero ea est σωτηρία, quam Petrus hic praedicat? Quae sequuntur ostendunt non tantum de aegrotis corpore, eorumque sanatione sermonem esse. Significat potius ἡ σωτηρία, quamvis adiecto articulo, indeterminate, *quamlibet salutem*, quamlibet ex malis vel expertis vel formidatis liberationem adeoque etiam liberationem a poenis peccatorum, et salutem aeternam. Idque h. l. probabile fit magis ex eo, quod *morbi* semper

pro *peccatorum poenis* habiti sint. Sensus igitur verborum Petri est: *Christus unicus est sospitator hominum; ab illo solo ut auctore hominibus obtingit liberatio ab omnibus vitae praesentis calamitatibus; eatenus saltim, ut mala physica et externa a vere Christianis non amplius consideranda sint ut poena peccatorum*, i. e. *ut indicia irae divinae; inprimis vero [in solo Iesu sita est salus animarum.* ὄνομα) *Persona*, ut supra I, 15. III, 16. Ὑπὸ τὸν οὐρανὸν) Eorum, qui in terris conspecti sunt; non patriarchae non prophetae, non sacerdotis, non regis. *Michaelis* vertit: *Durch keinen andern ist die Gesundmachung geschehen, und es ist auch kein anderer Name unter dem Himmel dazu gegeben, dass man dadurch gesund werden kann.* Ἡ σωτηρία igitur ex eius sententia hic est *sanatio*, et σωθῆναι significat *sanitatem recuperare.* Sic haec verba explicanda esse putat proterea, quia Vs. 7. non fuerit quaestio, per quem homines salutem aeternam consequantur, sed potius, per quem claudus sanitatem recuperaverit? Verum (ut taceamus, gravi duritie hanc interpretationem laborare praesertim in Pronom. ἡμᾶς,) ad hanc quaestionem Petrus iam responderat Vs. 9. 10. Addit Vs. 11. 12. eundem Iesum, cuius vi et auctoritate fiant miracula, esse verum Messiam, per quem solum homines possint consequi veram salutem, felicitatem perennem. Alii utrumque Apostolum complecti opinantur; sic *Heinrichsius*: „siquidem, inquit, occasio huius sententiae proferendae erat aegroti sanatio: qua arrepta ad altiora ducit, et de sublimiore quoque illa σωτερία a Iesu exspectanda admonet, unde et definitius loquitur addito articulo ἡ σω-

τηρία." Haec autem explicandi ratio, ut recte monuit *Ravius* (a *Kuinoelio* laud.), cautis interpretibus non facile placere poterit, quum nulla urgeat necessitas ut in verbis σωτηρία et σωθῆναι quaeramus emphasin. Ἐν ἀνθρώποις positum est pro τοῖς ἀνθρώποις.

13. Παῤῥησίαν) *Libertatem loquendi, confidentiam, constantiam.* καταλαβόμενοι) *Scientes.* Verbum habet significationem comprehensionis, ut *Herodotus* ait se executurum narrando ea, quae alii οὐ κατελάβοντο, i. e. omiserunt. Quia autem, quae comprehensa tenemus, certa habemus, transfertur verbum ad cognitionem et scientiam, et ea quae sunt comperta et explorata. ἀγράμματοί εἰσι καὶ ἰδιῶται) *Homines imperiti litterarum et rerum*, i. e. indocti et privati atque plebeii. Ἀγράμματος, qui γράμματα, litteras non didicit; indoctus. In ore Iudaeorum ἀγράμμ. est, qui non habet doctam et subtilem literarum sacrarum cognitionem, easque interpretandi peritiam; qui in scholis Rabbinorum non institutus est. Est autem ἰδιώτης in mentione magistratuum, privatus; in mentione artificiorum studiorumque, *imperitus*: in mentione dignitatis et praestantiae, *humilis et inhonoratus.* Indocti et plebeii homines, si ad iudicum subsellia protrahantur, sunt plerumque timidi, nullius animi atque consilii, ac saepe paene exanimati. Miratur igitur Synedrium mentis constantiam, fiduciam atque dicendi vim, qua legati divini caussam suam defendunt; mox tamen ἐπεγινώσκον, Iesu asseclas eos fuisse, qui eadem illa παῤῥησία locutus erat et similia beneficia aegrotis praestiterat. ἦσαν, *fuerant*, Imperf. pro Plusquamperf. Cf. *Winer*i *Gramm.* §. 34, 2.

14. Οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν) *Nihil poterant respondere.* Nec refellere poterant quod factum erat, nec probare volebant.

15. Συνέβαλον πρὸς ἀλλήλους) *Consultarunt inter sese, contulerunt sententias;* subaudiri enim potest βουλὰς, aut βουλεύματα aut γνώμην. Sic Plutarchus in *convivio 7. sapient. Itaque censeo debere vos denuo de reipublicae popularis forma,* γνώμην τινὰ συμβαλέσθαι, *in commune consultare.*

16. Τί ποιήσομεν τοῖς ἀνθρ. τούτ.;) Quomodo hos homines tractabimus? num eos puniemus, an dimittemus? Ὅτι μὲν — ἀρνήσασθαι) *Etenim perspicuum per eos patratum est miraculum, quod manifestius est Hierosolymitanis, quam ut possimus negare.* Γνωστὸν h. l. est *certum, omnia veri signa habens, indubitatum.* Φανερὸν, *manifestum,* quod aliis innotuit.

17. Ἀλλ' — λαὸν) *Attamen ne hoc latius divulgetur.* Διανέμειν proprie est *distribuere inter plures,* hinc *divulgare.* Cod. Laud. et versio Syra posterior in marg. addunt: τὰ ῥήματα ταῦτα. Interpp. alii subaudiunt: λόγος, φημὴ, διδαχὴ, ne ulceris instar plurium animos quasi depascat, coll. 2. Tim. II, 17., alii: τὸ σημεῖον, ne fama eventi latius dissipetur. Priorem sententiam praefero; nam Vs. 18. Apostolis interdicitur, ne omnino amplius de Iesu verba faciant coram populo. Απειλῇ ἀπειλησώμεθα αὐτοῖς) *Minis interpositis, prohibeamus,* absterreamus, *eos.* Loquutio est Hebraeis familiaris (Luc. XXII, 15. infra V, 28. XXIII,

14.), usitata vero etiam Graecis et Romanis. *ἐπὶ τῷ ὀνόματι τούτῳ*) *Mentione nominis istius.* Ne quid verborum postea facientes meminissent nominis istius, vel personae, scil. Christi, ita videlicet, ut eum eiusque doctrinam populo commendarent.

19. *Εἰ δικαιόν ἐστιν*) Vos statuite iudicio vestro, an iustum sit coram Deo, vos potius audiri, quam Deum ipsum? Provocant Apostoli simpliciter ad naturaliter omnibus insitam cognitionem. *ἐνώπιον τ. Θ.*, i. q. *παρὰ τῷ Θεῷ*, Deo iudice, בְּעֵינֵי.

20. *Οὐ δυνάμεθα — λαλεῖν*) *Non possumus non* etc. non fas est, vetat illud spirans in nobis nosque stimulans *πνεῦμα*. Verba: *quae vidimus et audivimus*, non tantum ad reditum Christi in vitam, sed etiam ad reliqua omnia, quae Apostoli per triennium Iesum facere atque docere viderant et audiverant, referenda sunt. Non possumus, inquiunt, tacere ea, quae nobis sunt certissima ex usu triennii, quod nos cum Iesu peregimus. Cf. 1. Io. I, 1.

21. *Διὰ τὸν λαὸν* connecte cum *ἀπέλυσαν αὐτούς*. Metus orientis tumultus in populo saepe coercuit Synedrii potestatem. *Τὸ πῶς*, quasi vernacule dicas; *das Wie.* Lubenter synedri Apostolos castigassent, neque tamen sciebant, quomodo sic possent in eos animadvertere, ut populus non tumultuaretur.

22. *Ἐτῶν — ἰάσεως*) Quum sic natus esset, et tot annis ostentasset mendicus suum malum, nemo calumniari poterat, vitium fuisse simulatum.

23. Ἦλθον πρὸς τοὺς ἰδίους) *Venerunt ad suos*, in coetum videlicet ceterorum Apostolorum, aliorumque, qui societati christianae adscripti erant.

24. Δέσποτα, σὺ ὁ θεὸς) Est locutio hellenistica, per σὺ interpositum significans Vocativum. Sensus est: O tu Domine, opifex coeli, terrae et maris, et omnium quae in iis. Universum hoc apud Hebraeos modo tribus nominibus, ut hic, modo duobus, ut coeli et terra, exprimitur. Ceterum recte observarunt Interpp., non omnes simul hanc praecationem elata voce pronuntiasse. Qui enim fieri potuisset, ut omnium cogitationes ita consentirent, ut non modo idem, sed iisdem plane verbis omnes peterent. Sed sensus est: omnes ad precandum se componebant, unus autem Apostolorum alta voce precationem sequentem pronunciabat.

25. Ὁ διὰ — εἰπών) Παιδός σου, *servi, cultoris tui.* ἵνα τί ἐφρύαξαν ἔθνη) Locus laudatus desumtus est e Ps. II, 1. 2. atque e versione LXX. expressus. Verbum *Φρυάσσειν* proprie adhibetur de equis, qui collo altius sublato *hinniunt*, *fremunt* et *ferociunt*. Si vero ad homines transfertur, optime vertas: *ferocire*. Notat enim 1) *inflatum esse, et altos sibi spiritus sumere*. 2) ob animi fastum, *verbis vel factis insolenter agere*. Philo de *charitate* hominem superbum ita describit: *Incedit in summis pedum digitis*, καὶ τὸν αὐχένα μετέωρον ἐξαίρει Φρυαττόμενος, *et cervicem in equi morem erigens ferocit*. In Psalmo extat Verbum רָגַשׁ, quod Arabibus denotat: *tremuit fragore concussum coelum*, tum usurpatur

de *barritu cameli vehementiore*, *strepituque ac fremitu maris* .Hinc apud Hebraeos translatum ad strepitum tumultuantis multitudinis, quae murmura miscet, et in dira ac minantia verba erumpit, atque in aliorum capita irruit. καὶ λαοὶ ἐμελέτησαν κενά; *et nationes meditantur inania?* capiunt inania rebellionis consilia? Aliis verbis repetitur, quod in priori membro dictum erat. Verba hebr. sonant: *Quid tumultuantur insano cum strepitu gentes? et nationes aestuant inania?* Ergo sensus huius versiculi est: Quare nationes rebellant adversus Deum? In quo sit haec rebellio, mox dicitur.

26. Παρέστησαν — Χριστοῦ αὐτοῦ) *Consistunt* (consurgunt) *reges terrae*, *et principes in foedera coëunt, adversus Dominum* (Iehovam) *et Messiam eius*, i. e. adversus regem ab eo constitutum Παρέστησαν, sc. deliberandi caussa. Hebr. הִתְיַצְּבוּ cum עַל constructum, quod saepe *apparere* et *ministrare* significat, ponitur etiam in malam partem de iis, qui *oppugnant* alios, qui *coëunt*, *coniurant*, atque adeo *consilia adversus aliorum salutem capiunt.* Rebellare igitur populi eorumque reges dicuntur, quod rejicerent regem ad Deo ipso constitutum. Iam vero de quonam rege in isto Ps. agatur dissentiunt Interpp. *E. F. C. Rosenmüllerus* in Scholl. ad Ps. II. eorum sententias examinavit atque refutavit, qui aut de Davide, aut de Salomone, aut de alio quopiam sermonem esse crederent. Ipse autem tutissimum esse ostendit, vetustiorum Hebraeorum sententiam sequi, canere Psalmum magnum illum regem, חמשיח, *Unctum* κατ

ἐξοχὴν dictum. Tam magna enim et praeclara sunt quae de rege, de quo vates loquitur, praedicantur, ut in nullum regem cadant, nisi in eum, quem Hebraei sperabant futuro aliquo tempore rem ipsorum multo ampliorem et augustiorem, quam unquam antea fuisset, restauraturum, orbisque terrarum populos una cum suis regibus, sub potestatem suam redacturum. Illorum igitur vanos conatus, tanti regis a Iova ipso constituti et adiuti, imperio sese subtrahendi, iugumque ipsis impositum excutiendi, forma dramatica vates describit (Cf. *das alte und neue Morgenl.* P IV. p. 783.). Ceterum Messiam hoc Pscani persuasum erat ei, qui nostro loco precatus est, nec non Paulo, Act. XIII, 33., et ei, qui Epist. ad Hebr. (I, 5.) scripsit; sed accomodarunt carmen illi, quem verum Messiam praedicarunt. (Nisi ipsis etiam Apostolis persuasum fuerit, esse in iis librorum sacrorum locis, qui tunc temporis ad Messiam referebantur, Iesu Nazaretani personam adumbratam; quae res nondum satis est explicata. Cf. tamen quae scripsit V. D. quidam in literis ad Eichhornium datis, insertis *der Allg. Bibl.*, Vol 5, Partic. 3. p. 420 sqq.) Ipsum tamen Iesum Salvatorem, vatis menti, dum carmen hocce componeret, obversatum fuisse, nemo credat, qui, nulla praeconcepta opinione occupatus, secum reputet, quae Vs. 9. de crudeli, quod in populos devictos rex ille exerciturus sit, imperio, leguntur.

27. Ἐπ' ἀληθείας) Q. d. et quam vere haec dicta sunt!

Nam vere consurgunt contra Messiam. Addunt ἐν τῇ πόλει ταύτῃ Codd. antiqui nonnulli, cum multis iunioribus, versiones Syriacae, Vulgatae et aliae, Patrumque loca. Quam lectionem recentiores N. T. Edi-

tores in textum receperunt. Sic augetur vis rei: in hac urbe, quae est urbs primaria, ubi Deus templum habet, ubi est mons Sion. In hac ipsa urbe rex ille, Messias est repudiatus. ὃν ἔχρισας) Quem tanta potestate ornaveras, sanandi morbos, expellendi daemones, mortuos resuscitandi. *Ungere* i. e. donis exornare, vel simpliciter, *muneri consecrare*, ut sensus sit: quem tu ipse Regem constituisti. Respici videtur locus Ps. II, 6. *Convenerunt, autem*, i. e. communia consilia ceperunt adversus Messiam Herodes et Pontius Pilatus σὺν ἔθνεσι καὶ λαοῖς Ἰσραήλ, *cum paganis hominibus*, i. e. Romanis quos Pilatus secum habuit; *et populo Iudaico*, qui sub Herodis imperio erat. Non argutandum est in plurali numero λαοῖς. Vera lectio videtur esse λαῷ, quam versio antiqua latina exhibet. Error facile oriri potuit, quum praecedat σὺν ἔθνεσι. Aut λαοῖς positum est pro sing. λαῷ, quo accuratius verba σὺν ἔθνεσι καὶ λαοῖς responderent verbis Vs, 25. e Psalmo allatis.

27. Ποιῆσαι — γενέσθαι) *Ut facerent, quae tua potentissima voluntas decrevit, ut ita fierent.* Ἡ χεὶρ τοῦ Θεοῦ, יַד יְהוָה *potentia Dei. Potentia Dei et voluntas*, i. e. potentissima voluntas. Quod ad rem attinet, hoc dicitur: Interfecerunt quidem Iesum, Regem a Deo constitutum, sed tantum abest, ut consilium divinum turbaverint, ut potius totum illud factum sit volente et moderante Deo. Cf. II. 53. Voluit quidem Deus permittere, ut Iesum morti traderent, sed voluit etiam reddere irrita consilia eorum, quibus impedire voluerunt, ne Iesus Rex agnosceretur, eiusque doctrina propagaretur.

29. 30. Καὶ τὰ νῦν — παιδός σου Ἰησοῦ) *Et nunc* (in praesentia), *Deus, respice minas eorum, et concede ministris tuis, ut confidentissime tradant doctrinam tuam, eo ut illis adsis ad sanationem* (aegrotorum) *et ad miracula patranda per sanctum filium tuum Iesum.* Ἔπιδε ἐπὶ τὰς ἀπειλὰς αὐτῶν, *respice minas eorum,* ne id quod comminati sunt, exsequi possint; irritas fac minas eorum, Ἐπείδω ex Hebraismo Deo tribuitur, quatenus rationem habet alicuius, et quidem in utramque partem, scil. aut ut *auxilium* ferat, benefaciat (Gen. XVI, 13. Ex. II, 25. Ps. XXXI, 7.) aut ut *punial*, vindicet (Gen. XXXI, 49. Ez. XVI, 50.), Priori modo Luc. I, 25., posteriori h. l. Δὸς, vox in precibus adhiberi solita (Marc. X, 37. Rom. XV, 5. *Hom.* Il. III, 351. *Virg. Aen.* II. 789.); *hoc nobis largiaris, precamur.* Μετὰ παῤῥ. πάσ. λαλ. τ. λ. σου, *confidentissime tradere doctrinam tuam.* Ista παῤῥησία augebatur, quotiescunque Deus eos roborabat ad miracula patranda, quibus fidem faciebant se esse legatos divinos. *Manum extendere*, i. e. *potentiam exserere.* Τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ, *nomen Iesu.* i. e. Iesus ipse, qui hic et V. 27. vocatur ἅγιος, *venerabilis;* nam hanc significationem habet קדש, quum de Deo usurpatur. Fatentur Apostoli, se non sua vi, sed vi a Iesu concessa miracula patrare.

31. Καὶ δεηθέντων — συνηγμένοι) *Quum finiissent preces; commotus* (tremefactus) *est locus, ubi congregati erant.* Nempe tanquam fuisset terrae motus. Rata fiunt vota; adest numen, et insigni phaenomeno praesentiam arguit. Inopinatus terrae motus congregatis signum est divinae benevolentiae ac singularis

providentiae quam experturi essent. Cf. II, 2. καὶ ἐπλήσθησαν — ἁγίου. *Et repleti sunt omnes Spiritu S.*, i. e. magna et plane divina fiducia repleti sunt, καὶ ἐλάλουν κ. τ. λ., *ita ut doctrinam divinam summa cum fiducia praedicarent.* Bene *Heinrichsius* ad h. l. monuit: „Otiosa est quaestio, cur christiani homines h. l. πλησθῆναι πν. ἁγ. dici possint, qui iam ἅπαντες ἐπλήσθησαν αὐτοῦ (II, 4.): num forte, ut Michaelis credit, illi h. l. intelligendi sint, qui tum nondum adfuerint, et postea demum conversi sint. Intelligendi autem sunt ii, qui Vs. 23. 24. aderant, sive et in illo phaenomeno c. II. adfuerint, sive minus. Quasi non iteratis vicibus sacro quodam ardore et enthusiasmo corripi posset mens. Erit ergo sensus: Novo hoc rerum eventu praesentius numinis auxilium comprobante redditus eis est animus et παῤῥησία, quae carceribus minisque Synedrii facillime potuerat infringi.“

32. Quae iam sequuntur Vs. 32 — 37., interposita narrationis ordini a Luca sunt, ad illustranda Theophilo ea, quae Cap. V, 1. sqq. narratur. Ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία) Significatur intimus inter fideles animorum consensus et amicitia. Sic enim de Aristotele haec narrat *Diogenes Laërtius* L. V. c. 1. §. 11. ἐρωτηθείς τί ἐστι φίλος; ἔφη μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα. Cognoscimus autem ex hoc loco, ratas fuisse Christi preces Io. XVII, 20., ad quem locum, uti ibid. ad Vs. 11. nec non ad Io. XIII, 34. cf. annotata nostra. Καὶ οὐδὲ — κοιναὶ) *Ac ne ullus quidem aliquid opum sibi dicebat esse proprium, verum iis erant omnia communia.* Cf not. ad II, 44. sq. De Essaeorum communione bonorum, valde diversa ab ea,

quae aliquamdiu Christianis Hierosolymitanis placuit, vid. *Magaz. f. christl. Dogm. u. Moral*, fasc. VII pag. 130. sqq *Bemerk. üb. d. Vers.*, *d. Christenth. a. d. Essaeismus abzuleiten.*

33 Μεγάλῃ δυνάμει) *Magna efficacia.* Δύναμις saepius ponitur de orationis vi et efficacia ad commovendos audientium animos. Τὸ μαρτύριον τῆς ἀναστ. τ. Κ. Ι.) *Testimonium resurrectionis J Chr.* ipsam doctrinam christ. significat. Multis enim in locis N. T. doctores christiani solius ἀναστάσεως nominatim mentionem faciunt, quia doctrinam de Christi in vitam reditu ad ipsa fundamenta evangelicae institutionis perpetuo referunt Sic enim argumentantur, omnibus quae Jesus docuisset egissetque hominum causa, per ressurectionem ejus ab ipso Deo plenam fidem factam esse; nec fieri unquam potuisse, ut Deus illum, si falsa de se professus esset, e morte revocaret Illuc redeunt omnia in iis orationibus, quas Apostoli ad Judaeos et exteros habuerunt, quarum summa in Actis exhibetur, Cap. II, 31. sqq. III, 15. sqq. V, 30. 31. X, 40—43. XIII, 32. sqq. XVII, 3. 18. 31. rel. Χάρις τε μεγάλη) scil aliorum hominum extra christianum coetum degentium. *Multo aliorum favore fruebantur* (II. 47.).

34. Κτήτορες χωρίων ἢ οἰκιῶν). *Qui possidebant fundos aut domus*, vel, in quorum facultatibus erant fundi et domus. Ὅσοι ὑπῆρχον,) Ex usu nominis ὅτοι, recti monentibus Interpp., non colligi potest, omnes ac singulos possessiones suas vendidisse; non enim legitur πάντες ὅσοι, ut V, 36. Mtt. VII, 12 XIII, 44. et solet alias quoque ὅσοι sensu indefinito poni, ut IX, 39. Cf

not. ad II, 44. τῶν πιπρασκομένων) Nempe agrorum et domuum, ut praecedentia ostendunt.

35. Καὶ ἐτίθουν παρὰ τούς ποδας τῶν ἀποστόλων) *Deponebant apud Apostolos.* Quod signum erat pecunias illas subiicentium Apostolorum arbitrio. Sic *Heliodorus* IV. πάντα τὰ ἑαυτοῦ τιθέναι παρὰ τοὺς πόδας τοῦ βασιλέως. *Cic.* Orat. pro Flacco, c. 28. *ante pedes Praetoris in foro expensum est auri pondo centum.* Non omnia vendiderunt et contulerunt omnes, sed partem bonorum, qua sine magno incommodo carere poterant. Libertati cuiusque relictum erat, an aliquid contribuere vellet, nec ne. Quum autem inter Christianos Hierosolymitanos multi essent egeni, et omnes Christi cultores popularibus tanquam Apostatae essent invisi, sine divitum liberalitate in maximum discrimen venturae fuissent res Christianorum. Nec poterant melius existimationem suam tueri, quam singulari beneficentia, quae semper laudatur. Quumque praeviderent, vexationes, exilia et mortem ipsis imminere, aut se in regiones peregrinas ad praedicandum Evangelium mittendos esse; denique bellum instare, quo praedia et domus essent vastandae, nihil consultius erat, quam in tempore ea, quae inutiliter alias peritura erant, vendere, atque ita amicos sibi parare, istisque vinculis sese expedire. Ceterum observandum, illud institutum. quandam videlicet bonorum communionem, non nisi in ecclesia Hierosolymitana obtinuisse, et quidem non nisi in primis ejusdem incunabulis. Postea autem, ut par erat, cessavit.

36. Βαρνάβας — υἱὸς παρακλήσεως) בַּר נְבוּאָה Graeco sermone contracte Βαρνάβας. Quum vero נְבִיא

notet *vaticinari*, *prophetam agere*, fuerunt qui *υἱὸς παρακλ.* explicarent *filius propheticae*, i. e. propheta, atque Apostolos hoc nomen homini dedisse putarent in omen doni prophetici. Alii vertunt *filius consolationis*, ob solatium, quo Ioses animos Christianorum doctrina sua et institutione, vel liberalitate repleverat. Alii aliter interpretati sunt. Rectius tamen in vulgari derivatione acquiescimus. Quum enim נבא omnino notet *docere*, nom. Βαρνάβας, seu *υἱὸς παρακλ.* apte redditur *filius doctrinae*, i. e. doctor, docendo idoneus; ut hoc nomen acceperit Ioses ab Apostolis, quum in eo deprehendissent virtutes, quae ad doctoris munus subeundum aptum eum redderent. Alias hnius nominis explicationes vid. in *Io. Simonis Onomast. N. T. p.* 38. Λευίτης) Ex tribu seu familia Levitica. Κύπριος τῷ γένει) Ortus parentibus, qui in Cypro habitaverant.

37. Τὸ χρῆμα) i. e. *τὴν τιμὴν*, ut modo est locutus, rem partam ex agri venditione, pretium agri. De pecunia quidem Graecis usitatius est uti plurali numero, *χρήματα*. Licuisse Levitis agros emere in Iudaea, exemplo patet Prophetae Ieremiae, qui et ipse ex tribu Levi fuit. Ierem. XXXII. 7.

CAP. V.

1. Sequitur narratio de Anania, qui pietatis ac liberalitatis speciem tantummodo prae se tulit, sed re vera fraudulenter egit, satis stolide et impudenter fraudes istas fugere Apostolos posse opinatus. *Sm. Glo. Frischius*

(*de ratione, dicta factaque Iesu et Apostolorum commemorandi* etc. Vid. *Commentatt. theoll.* a Rosenmuellero; Fuldnero et Maurero editt. T. I. P. I. p. 284. sqq.) hanc narrationem inter eas refert, quas non uti re vera res acciderint, sed arte quadam exornatas, aut ad certum quoddam consilium delectas, Lucam protulisse arbitratur. — Κτῆμα, quod h. l. commemoratur, fuisse *fundum*, mox nomine χωρίου indicatur.

2. Καὶ ἐνοσφίσατο (scil. μέρος, seu τὶ ἀπὸ τῆς τιμῆς) Νοσφίζεσθαι proprie *separare*, improprie, ut h. l. est *intervertere*, et ita praecipue adhibetur de iis, qui de rebus communi plurium usui destinatis aliquid subripiunt, et sibi vindicant. Sic apud *Plutarch* in *Lucullo*, Lucullus ex praeda πολλὰ νενοσφισμένος, multa *intervertisse* dicitur. Παρὰ — ἔθηκεν) *Apostolis tradidit*, quasi hoc totum esset pretium venditi agri, coll. Vs. 8. 9. Fuerunt, qui statuerent, eos, qui omnia bona vendidissent, et pretia communitati Christianorum tradidissent, e publico aerario fuisse alendos; magnam itaque fraudem admisisse Ananiam diminuta pretii numerati summa, qua indigentiis Christianorum consulendum erat; nec si plures hoc exemplum secuti fuissent, res Christianorum diu consistere potuisse. Verum de hac re certi nihil definiri potest; nec h. l., recte monentibus Interpp., Ananiam praeter agrum illum nullas habuisse possessiones legitur. Plurimi Interpp. quod Ananias consentiente uxore fecerat, *sacrilegii* nomine insigniunt, quatenus pecunia, communi usui societatis sacrae destinata, res sacra habenda erat et ipsa. — Omnino grave facinus Ananias commisit, qui quamvis societati christ. adscriptus, tam mendacem se et frandulentum gereret. Maximum au-

tem Ananiae crimen in eo fuit, quod vellet ψεύσασθαι τὸ πνεῦμα ἅγιον, vid. ad Vs. sq.

3. Διατί — τοῦ χωρίου;) *Quare Satanas animum tuum replevit, ut fallere velles mendacio Spiritum sanctum, et detrahere aliquid de pretio agri?* Quod Satanas replevisse animum Ananiae dicitur, id proprie sumi non potest. Explicant igitur alii sic, ut dicant, Satanam excitasse in Anania eiusque uxore propositum fallendi; alii volunt Satanam eos in proposito confirmasse. Sed Vs. 4. Ananias ipse dicitur animum induxisse, Apostolos fallere. Videtur igitur describi tantum consilium Satanicum, ut sensus sit: Cur plenus est animus tuus Satanico isto sensu? Nempe tam foeda est cogitatio fallere velle Deum, ut ab homine vix exspectari posse videatur. Ex notissima autem Scripturae loquendi ratione, Satanae, principi illi daemonum malorum omnia consilia mala et regno Dei adversa tribuuntur. Phrasis ψεύδεσθαι τὸ πνεῦμα ἅγιον non uno modo ab Interpp. explicatur. Primum quidem notandum, non differre phrasin Vs. 4. ψεύδεσθαι τῷ θεῷ, nisi quod verbum ψεύδεσθαι, Vs. 3. ex usu graecae linguae cum Accusativo, Vs. 4. autem ex usu hebraizantis sermonis cum Dativo construitur, ut Ps. LXXVIII, 36. Infra Vs. 9. eadem haec res exprimitur phrasi πειράζειν τὸ πνεῦμα κυρίου, nisi quod fortior sic est sententia, et magis exaggeratur. *Tentare* dicitur homo *Deum*, quando sic agit, ut videatur dubitare de omnipotentia, veracitate, aut alio attributo Dei. Quum autem h. l. sermo sit de fraude, quam latere voluerunt Ananias et uxor, *tentare Deum* h. l. erit, sic agere, quasi Deus non esset omnipotens et omniscius, quasi non posset detegere et punire hanc fraudem. Phrasis igitur ψεύδεσθαι τὸ πνεῦμα ἅγιον

eundem habet sensum; nam tentatio Dei est, si quis ei mentitur, et Numen falli posse credit. Utriusque autem Ananiae et Sapphirae idem fuit crimen; quare phrasibus πειράζειν τὸ πν. et ψεῦ. τὸ πν. seu θεῷ eundem sensum inesse apparet: et quum τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον Vs. 3. et ὁ Θεὸς Vs. 4. invicem permutantur, *Spiritum sanctum fallere* idem est ac fallere Deum, qua est omnipotens et omniscius. Verba activa saepe indicare *conatum*, adeoque de voluntate et consilio fallendi h. l. sermonem esse, vix est cur moneamus Iam vero non potuit Ananiae et uxori in mentem venire fraude fallere ipsum Deum, voluerunt potius fallere Apostolos. Ergo per se intelligitur, Petrum hoc voluisse: incidisti in Satanicam illam cogitationem, ut fraude fallere velles nos Apostolos, Spiritu sancto repletos. Alii sensum hujus loci sic acceperunt, quasi Ananias ejusque uxor experiri voluissent, an Apostoli fraudem detecturi essent. Fecisse autem hoc eos pessimo consilio, ut ludibrio exponerent Apostolos, quasi non essent divinitus edocti, non participes donorum Spiritus sancti. Quae tamen interpretatio, recte observante *Kuinoelio*, e narratione ipsa probari nequit. Sane nihil in textu legitur, ex quo colligi posset, Ananiam et Sapphiram infensos sese, aut in Apostolos, aut omnino in rem christianam, gerere voluisse. Neque tamen ipsi Kuinoelio adstipulari possumus, qui verbo πειράζειν generaliorem *offendendi Deum* notionen tribuit. Haec autem sunt V. D. verba: »Verissime monuit *Pottus* Exc. I. in ep. Iacobi: πειράζειν in N. T. pereunte omni *tentationis* notione, de hominibus ita adhibetur, ut plerumque nil amplius sibi velit, quam, *Deum* omnino *peccatis*, vel *eo imprimis peccato offendere*, *de quo*

ex nexus ratione sermo est. (Sed haec istius Verbi significatio e locis Hebr. III, 8. 9. 1. Cor. X, 9. neutiquam probari potest.) Itaque πειράζ. τὸ πν. κ. est *offendere Deum fallendo nos quos Deus adjuvat*, ut adeo sit i. q. ψεύσασθαι τὸ πν. τὸ ἅγ.« Verissima contra est *Limborchii* interpretatio (quam Kuinoelius per ambages factam dicit): »Tentarunt Spiritum Dei in et per Apostolos loquentem et operantem, quia hoc suo facto experimentum ceperunt, utrum spiritus fraudem ac hypocrisin suam nosset. Non quod hoc directe intenderint: sperarunt illi fraudem suam latere posse. Sed quia hanc fraudem committebant contra Apostolos Spiritu Dei donatos, eamque occultam fore sperabant, factum ipsorum sua natura eo tendebat, ut *quasi* experimentum capere vellent scientiae spiritus in Apostolis operantis; ideoque non proprie ex intensione sua, sed juxta naturam facti sui, dicuntur *tentare spiritum* domini.«

4. Οὐχὶ μένον, σοὶ ἔμενε) Vel ἔμεινε, *nonne si retinuisses, possessio tua fuisset.* Licebat tibi per nos non vendere praedium. Καὶ πραθὲν ἐν τῇ σῇ ἐξουσίᾳ ὑπῆρχε;) *et quum venditus esset, tuo arbitrio erat relictum*, nempe τιμὴ, pretium. Etiam postquam vendideras fundum, pretium totum retinere tibi licebat ac de eo nihil vovere. τί ὅτι — τοῦτο;) *Quid est, quod reposuisti in corde tuo?* Quid caussae fuit, cur hoc in animum tuum induceres? Indicatur consulta et deliberata fraus. οὐκ ἐψεύσω — τῷ θεῷ) Interpp. fere omnes vertunt: *Non tam nos, quam potius ipsum Deum fallere ausus es;* ut οὐκ — ἀλλὰ sit: *non tam — quam*, vel etiam: *non solum — sed.* Verum adstipulor *Winero*, qui (*Gramm.* § 48, 4.) recte contendit, Nega-

tionem οὐκ, non tantum h. l. (ubi, quum de spiritu Dei sermo sit, Apostoli persona non respicitur), sed etiam omnibus N. T. locis, ad quos Interpp illi provocare solent, propria sua vi accipiendam esse. Sensus ergo est: Non nobis, sed ipsi Deo, cujus spiritu nos agimur, mentiri eumque tentare ausus es, coll. Vs. 3.

5. Ἐξέψυξε) ἀπέψυξε, *animam exhalavit; subito exspiravit.* »Tale quod non opinatus erat Ananias, dolum suum illico detectum ipsumque publicae ignominiae traditum iri. Vehementissimis simul verbis in se invectum audit Petrum. Subito ergo terrore perculsus animam efflat, *mirante forsan Petro ipso.*« Ita *Heinrichsius* et Idem ad Vs. 9. haec observavit: »Petrus haec effatur, ex eis, quae viro acciderunt, concludendo ad ea, quae indubie et uxori imminere existimat, persuasissimum habens, ob tantum scelus, in quo duo conspiraverant, neutrum effugere posse divinam vindictam.« Alii quoque Interpp., veluti *Morus*, *Hezelius*, *Stolzius*, *Ammonius (krit. Journ.* B. 1. p. 249.) etc. Ananiae et Sapphirae mortem e legibus naturalibus explicari posse statuunt, quum experientia doceat, haud raro fieri, ut homo repentino terrore vel e vestigio vita privetur. Iidem tamen Interpp. concedunt, haec non nisi divina providentia moderante accidisse. Nos quidem cum iis consentimus; qui Ananiam et Sapphiram singulari Dei interventu interemtos fuisse credunt. Magnum enim fuisse crimen ab An. et Sapph. commissum, patet ex iis, quae ad Vss. 2. 3. monuimus. Peccarunt autem eo gravius, quod id fecerunt scientes ac volentes, re deliberata, nullo periculo aut metu urgente. Iusta ergo et opportuna et necessaria erat eorum poena, ne fraus suis autoribus esset utilis, et ut omnes intelligerent,

hanc novam societatem esse bonorum honestorumque hominum coetum. Alia, et multo gravior caussa poenae erat, ut insigni hoc exemplo auctoritas Apostolorum confirmaretur. Quodsi enim fraus ista successisset Ananiae eiusque uxori, et fama huius rei sparsa esset, haud dubie orta esset suspicio, mentiri Apostolos, dum dicebant, se frui auxilio Dei, et afflari Spiritu sancto; qua re imminuta fuisset eorum auctoritas. Ceterum volunt nonnulli, in eo quod hic narratur, esse exemplum eius promissionis, quam dederat Iesus Apostolis Io. XX 23. Nimirum phrasin κρατεῖν τὰς ἁμαρτίας explicant: miraculosis modis infligere poenas peccantibus. Hoc Petrum fecisse dicunt quum denunciaret hominibus illis subitam mortem. Sed Petrus uxori tantum, non ipsi Ananiae denunciavit mortem; nec liquet, num Petri ea fuerit mens, ut Ananias et Sapph. extinguerentur: id certe dissertis verbis non dicitur.

6. *Οἱ νεώτεροι*) *Iuvenes* e coetu Christianorum, tum congregatorum, qui Vs. 10. *νεανίσκοι* vocantur. Vel significantur *servi*, apparitores, qui בַּחוּרִים, *νεανίσκοι*, *pueri* audire solent. *Moshemius*, in Commentario *de rebus Christianor ante Constantin. M.*, Apostolorum et ecclesiae ministros fuisse arbitratur. »Tales« inquit p. 114. b »nisi hos juvenes fuisse statuas, intelligi nullo modo potest, quamobrem soli sine mora surrexerint atque cadavera Ananiae, uxorisque ejus extulerint atque humaverint. Homines autem si fuisse cogites publico in ecclesia ministerio fungentes, rationem vides, quare ne moniti quidem triste illud officium sibi sumserint. Et fuisse publicos ejusmodi ministros in primo coetu Christianorum, nemo certe dubitaverit, qui

vel statum ejus, et formam conventuum aetatis illius ante oculos sibi posuerit. Loci nimirum conventuum purgandi, sedes et mensae collocandae, libri sacri afferendi et tollendi, convivia amoris celebrantibus christianis dapes apponendae et patinae tollendae, multa denique alia agenda erant, quae certos flagitarent homines.« *Συνέτειλαν αὐτὸν)* *Sepulturae praepararunt eum*, ut apud Iosephum. Ant. XVII, 3. 3. *θανόντα δὲ περιστείλας, ἐπὶ Ἱεροσολύμων ἀγόμενος, ταφῆς ἠξίου*, *mortuum quum sepulturae praeparatum Hierosolymas deportasset, sepultura dignatus est.* *Συστέλλειν* et *περιστέλλειν* (nam utrumque promiscue usurpatur) significant *obvolvere*, de cadaveribus, quae fasciis et linteis sepulcralibus obvolvebantur. Tum vero *συστέλλειν* generatim adhibetur ad denotandam *omnem curam, quam pollinctores cadaveribus adhibent*, *ut*, *membra collocare*, *ungere*, *componere faciem, fasciis involvere*, *vestes induere*, de qua re vid. *Cuperum* in Observatt. Lib. II, c. 9, *Kuinoelio* praeferenda videtur ea Verbi potestas, qua denotat *linteis obvolvere* »Parum, ait, probabile est, Ananiam, cujus vitae finis ita comparatus erat, ut omnem operosum apparatum et honorificam sepulturam dissuaderet, more solenni fuisse compositum.« Sed de hac re certi quid vix definiri potest. *ἐξενέγκαντες)* *ἐκφέρειν* quoque est Verbum de re funebri proprium. *ἔθαψαν)* Notum est, Iudaeis hodie in more esse positum, mortuos aut eodem die quo mortui sunt, aut quamprimum id fieri possit, terrae mandare. Si funera interdum aliquot demum post mortem diebus efferebantur, factum est id propter exsequiarum apparatum.

8. *Εἰ τοσούτου)* Tantine fundum vendidistis, commemorata scilicet pecuniae summa, quam vir ipsius

attulisset. Verbum ἀποδίδωμι, proprie *reddere*, in forma media significat *vendere*; nam qui aliquid vendit, jubet sibi reddi pro eo pecuniam aliudve quid.

9. Τί (sc. γέγονεν) ὅτι) *Cur?* συνεφωνήθη ὑμῖν) In hoc conspiratis. συμφωνεῖν, *concinere*, *consentire*, h. l. *convenire cum aliquo de aliqua re. Wie? habt ihr euch gleichsam verschworen?* Ceterum vid. not. ad Vs. 3. οἱ πόδες τῶν θαψάντων (i. e. οἱ θάψαντες) τὸν ἄνδρά σου) *Ii qui sepelierunt maritum tuum.* Est mos Hebraeorum, quem et Scriptores N. T. secuti sunt, homines exprimere per partes corporis, quarum qualiscumque coniunctio sit cum ea re, quae iis tribuitur idque quum faciunt, totam personam contuentur, non cogitantes de istis partibus. Vid. *Ernesti* Prolus. de vestigiis linguae ebraeae in lingua graeca.

10. 11. Ἔπεσε — ἐξέψυξεν) In muliere terror eo maior erat, quod audiret, maritum esse mortuum, et mox ipsam elatum iri mortuam. — 11. Καὶ ἐγένετο φόβος μέγας κ. τ. λ.) *Magnus timor invasit totam ecclesiam, et omnes qui haec audiebant*; omnes reverebantur Apostolos; ex iis enim, quae evenerant, colligebant, Deum singulari auxilio Apostolis adesse, eos non impune laedi.

12. Διὰ τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων) בְּיַד i. e. per Apostolos; Hebraismus frequens. De porticu Salomonis vid. ad Io. X, 23. Sequentia verba: καὶ ἦσαν — γυναικῶν parenthesi sunt includenda. Cohaeret enim hic Vs. cum Vs. 15. Illam tamen parenthesin psychologicis legibus adversari contendit *Zieglerus* (in *Gableri Journ.*

f. theol. Lit. 1801. p. 155.) quum in parenthesi oratio uno tenore procedat, neque ut h. l. constet brevibus sententiis, cum oratione, quam interrumpit, non cohaerentibus. Itaque ab alia manu haec verba inserta fuisse putat. Cum Zieglero consentiunt *Eichhornius (Einl. i. d. N. T.* P. II. p. 96.), *Beckius (Observv. exeg. crit.* P. V. p. 17.), nec non *Heinrichsius* et *Kuinoelius* ad h. l.

13. Τῶν δὲ λοιπῶν — ὁ λαὸς) *Reliquorum quidem nemo audebat eos assectari; sed populus eos magni faciebat.* Κολλᾶσθαι τινί, non hebr. est *adhaerere alicui, assectari aliquem.* Οἱ λοιποὶ oppositi esse possunt τῷ λαῷ, populo, plebi. Reliqui igitur videntur esse proceres, vel etiam divites moribus et ingenio similes Ananiae, ut dicatur, neminem porro ausum esse lucri caussa sese adiungere Christianis. Ex *Heinrichsii* sententia οἱ λοιποὶ sunt *christiani novissime conversi,* quorum nemo (οὐδεὶς populariter *non multi*) ausus sit, familiariorem cum Apostolis consuetudinem inire, quia crederent, Apostolis inesse supernaturale quid et divinum, hominique propius accedenti noxium. Quae interpretatio *Kuinoelio* nimis longe petita esse videtur; ipse vero arbitratur, τοὺς λοιποὺς opponi Apostolis in porticu Salomonis versantibus, et significari reliquos in porticu praesentes, sive christiani fuerint, sive Iudaei. Nam ἐγένετο Φόβος ἐφ' ὅλην τὴν ἐκκλησίαν, et ἐπὶ πάντας τοὺς ἀκούοντας ταῦτα, Vs. 11. Obscurior est verborum nexus, quam ut certi quid de sensu eorum definire possemus. Quae ipsa dictionis obscuritas eorum sententiae favet, qui haec verba ab aliena manu adjecta esse arbitrantur.

14. Μᾶλλον δὲ προσετίθεντο) Multo etiam magis quam ante. Respicitur enim hic id, quod dictum est supra IV, 4.

15. Ὥστε — τινὶ αὐτῶν) *Ut adeo in plateas efferrent aegrotos, eosque ponerent in lectis et grabbatis, ut veniente Petro saltem umbra eius unum et alterum eorum obumbraret.* Connectenda haec sunt cum λαῷ πολλά Vs. 12. κλίνη *lectum pretiosiorem* significat; κράββατος autem *lectum viliorem et humiliorem;* ex quo utriusque voc. discrimine intelligitur, non tantum homines pauperes, sed etiam ditiores auxilium Apostolorum implorasse. Quod de umbra Petri dicitur, id non accipiendum est sic, quasi umbra Petri revera habuerit vim salutiferam ad sanandos aegrotos. Petrus enim et reliqui Apostoli non sua vi sed potentia et facultate a Iesu sibi concessa se miracula patrare fassi sunt. Referenda igitur sunt haec ad hominum fidem; talem autem fidem nec ab Apostolis nec a Luca probatam videmus. Similia fiduciae nimiae et ad superstitionem proxime accedentis exempla vid. XIX, 12. et Matth. IX, 20. 21.

16. Συνήρχετο — ἀκαθάρτων) *Conveniebat etiam multitudo urbium vicinarum, afferens aegrotos et daemoniacos.* Τῶν πέριξ πόλεων, sc. κειμένων. Ὀχλεῖσθαι, *turbari, vexari, dolore affici.* Sed Alexandrini saepe hebr. נָלָה, *aegrotans* vertunt ἐχλούμενος, ut Gen. XLVIII. 1. Mal. I, 13. 1 Sam. XIX, 14. Ὀχλούμενοι ὑπὸ πν. ἀκαθ. sunt *Daemoniaci*, quorum in Evangeliis saepe fit mentio.

17. Ἀναστὰς — ζήλου) *Iam vero Pontifex Maximus, et quicunque cum illo erant, coeperunt vehementer indignari.* Οἱ σὺν αὐτῷ non sunt assessores Synedrii, a quibus Vs. 21. clare distinguuntur, sed ii, qui in domum eius convenerant eius salutandi caussa. Ab hac sententia sensu non differt *Kninoelii* interpretatio, qui phrasin σύν τινι εἶναι recte observat adhiberi *de iis, qui a partibus alicujus stant.* Significantur ii, qui cum pontifice faciebant, qui eadem religionis placita cum eo profitebantur. Ἀρχιερεύς, qui h. l., nullo nomine addito, commemoratur, et qui Synedrium convocavit Vs. 21.. ipse Kaiaphas, sacerdotum omnium princeps, fuisse videtur. Utrumque autem, et Kaiapham et Ananum, Sadducaeorum sectae addictum fuisse verisimile est. Hujus sectae ergo eo anno fuerunt praesides Synedrii, quod ex hoc loco, coll Vs. 21. (ἀρχιερεὺς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ συνεκ. τὸ συνέδρ.) apparet. Ceterum cf. not, ad IV, 2. 6. Ἀναστὰς, hebraico more redundat, et omittendum est in versione. Sensus est: Tum coepit Pontifex M. cum omni comitatu suo vehementer indignari.

18. Καὶ ἔθεντο — δημοσίᾳ) *Eosque in custodiam dederunt publice.* i. e. publico iussu. De voc. τήρησις vid. ad IV, 3.

19. Ἄγγελος — φυλακῆς) Quum Iudaei omnia, quorum causae proximae laterent, ad auctores invisibiles, ad genios, quorum ministerio Deos ad sua mandata exsequenda uteretur, referre solerent (Io. V, 4.); Interpp. nonnulli (veluti *Thiessius*, *Eckermannus*, *Heinrichsius*) hanc Apostolorum liberationem naturali

modo effectam esse arbitrantur. Et alii quidem cōgitarunt de *fulmine*, cujus vi aperta esset carceris janua; alii *terrae motu* fores effractas esse statuerunt; alii ipsum *carceris custodem*, vel alium quendam, assentiente carceris praefecto, Apostolos liberasse conjecerunt. *Eichhornius* quoque (Allg. Bibl. T. III. p. 400. in Commentat. *von den Engelerscheinungen in der Apostelgesch.*) contendit, non angelum, sed casum quendam felicem, in quo Apostoli vim providentiae divinae agnovissent, facultatem iis e carcere elabendi dedisse, eosque inde collegisse, se a Deo ita provocari ad novam doctrinam in posterum etiam tradendam. Contra disputavit *Storrius* (Diss. exeg. in libror. N. T. histor. aliquot loca P. 2. pag. 81.) hanc liberationem *arti humanae* tribuendam esse negans. Certe ex scriptoris mente liberatio miraculosa, angeli ope facta, intelligi videtur. Plura de hac re vid. apud *Kuinoelium*.

20. Πορεύεσθε — ζωῆς ταύτης) *Itote in templum et docete populum omnem doctrinam felicitatis huius*, quam sc. ab ipso Christo iussi estis docere. Τὰ ῥήματα, *doctrinae*. Ζωὴ *felicitas*. Πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης per hypallagen dictum esse videtur, pro: πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα τῆς ζωῆς. Similis verborum constructio occurrit c. XIII, 26. Doctrinae felicitatis sunt doctrinae quibus monstratur via ad veram felicitatem.

21. Τὸ συνέδριον καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ) *Synedrium et totum Senatum Israeliticum*. Nam γερουσία significat *senatum*, cui e singulis tribubus erant quicunque aetate et prudentia ad iudicandum idonei viderentur, nec sacerdotum, nec Levi-

tarum classi adscripti essent, verbo presbyteri, ut monet *Seldenus* Vx. Hebr. I, 15. Sic Philo de Specc. Legg. הָעִיר זִקְנֵי Deut. XXII, 15 explicat ἡ γερουσία πᾶσα. Supra IV, 8. iidem vocati sunt πρεσβύτεροι τοῦ Ἰσραήλ.

23. Τὸ μὲν — ἀσφαλείᾳ) *Carcerem quidem reperimus accurate clausum.* Ἀσφάλεια, *firmitas*, diligentia et cura, qua aliquid munitur et custoditur. Ἐν πάσῃ ἀσφαλ. igitur est *firmissime*, *summa cum diligentia.*

24. Ὁ ἱερεὺς) *Pontifex Max.* (coll. Vs. 27.), qui h. l κατ' ἐξοχήν dicitur ὁ ἱερεύς, Hoc quidem est valde rarum; reperitur tamen sic 1. Macc. XV, 1. 2. Ioseph. Ant. VI, 12. 1. Ipse Christus Hebr. V, 6. vocatur ἱερεύς, sed ib. III, 1. IV, 14. ἀρχιερεύς. Οἱ ἀρχιερεῖς sunt quatuor et viginti classium sacerdotalium principes, Vid. ad Matth II, 4. Διηπόρουν — γένοιτο τοῦτο;) *Ambigebant*, dubio haerebant (de Apostolis), *quidnam tandem hoc futurum esset*, quorsum hoc sit evasurum; cf II, 12.

28. Οὐ παραγγελίᾳ — ἀνθρώπου τούτου) *Nonne severe iussimus vos, ne doceretis de persona hac* (IV, 18. 21.)? *Ecce vero, replevistis Hierosolyma doctrina vestra, et vultis nos onerare crimine interfecti hominis istius.* Ἐπὶ τῷ ὀνόματι τούτῳ, *de persona hac*, i. e. doctrinam de Iesu. Vid. ad IV, 17. Βούλεσθε — τούτου.) *vultis inducere in nos sanguinem huius hominis*, qui a nobis interfectus est; vultis efficere, ut videamur innocentem interfecisse, adeoque poena digni esse. *Sanguinem*, *caedem in cliquem*

inducere per notum Hebraismum est, *poenam caedis sacrae alicui contrahere.* Quaerunt igitur Pontifex M. et assessores: *Vultisne nobis contrahere poenam interfecti huius hominis?* Hoc non intelligunt de poena a Deo infligenda: nam innocentem a se interfectum esse, non credebant; sed hoc dicunt: Vultisne occasione hominis huius interemti turbas dare in populo, facere ut fiant hominum concursus, et res vergat in rebellionem, adeoque nos exponere furori plebis? Metuebant igitur, ne plebs concitata adversus eos rebellaret, tanquam auctores caedis in Iesu perpetratae. *Heinrichsius* Pontificem ita loquentem cogitat: Video, vos id agere, ut vere ratae fiant istae dirae, quas sibi imprecata fuerat nostra gens; quum quippe Judaeorum turba (Mt. XXVII, 25.) exclamasset: τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τέκνα ἡμῶν. Sed h. l. sermo est non de populo, sed de ipso Pontifice et Synedrii assessoribus.

30. Ὁ θεὸς τῶν πατέρων ὑμῶν) Provide hoc addidit, ne quis alium Deum ab Iesu praedicatum crederet, quam eum, quem coluerant Patriarchae. *Kuinoelius* Petrum his verbis innuere voluisse arbitratur, Iesum esse Messiam, Patriarchis promissum, coll. Io. VIII, 56. ὃν ὑμεῖς διεχειρίσασθε) Verbum διαχειρίζεσθαι generatim notat, *occidere*, *interimere*, quocunque mortis genere, sive sua manu, sive alterius, et praesertim de iis adhibetur, *qui necem aliorum vel iubent, vel promovent.* De Herode, qui Hyrcanum *interfici iubebat*, Iosephus *Ant.* XV, 9. scribit, διεχειρίσατο τὸν ἄνδρα.

31. Τοῦτον — ἁμαρτιῶν) *Hunc Deus principem eumque servatorem exaltavit dextra sua, ad dan-*

dam poenitentiam Israeli et remissionem peccatorum. Ἡ δεξιὰ τοῦ θεοῦ est *potentia et maiestas* Dei. τῇ δεξιᾷ autem h. l non est i q. πρὸς τὴν δεξίαν (Deus eum ad dextram suam exaltavit); sed *potentia sua;* vid. not. ad II, 33. Ἀρχηγὸς, *dux*, hinc Dominus, imperans. Est autem ἀρχηγὸς i. q. κύριος, vid. not. ad II, 36. et III, 15. Phrasis vero ὕψωσε ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα posita est pro εἰς τὸ εἶναι ἀρχ. κ. σωτ. *Dare emendationem*, i. q. viam emendationis monstrare. Cf. III, 26. Dum Israelitae agnoscunt, Iesum esse Dominum, abstrahuntur a sceleribus et contemtu Messiae. Sensus: Monstravit Deus, Iesum (quem evexit in coelum, ut sit Dominus ecclesiae, qui salutem largiretur) vere Messiam divinitus missum fuisse. Opportunitatem ergo magnumque incitamentum nacta erat gens resipiscendi, eaque, quae ingrate in eum egerat, compensandi transeundo ad ejus castra, sub qua conditione anteacta peccata remissum iri profitetur Apostolus. Vid. not. ad III, 19. sqq.

32. Καὶ ἡμεῖς — πειθαρχοῦσιν αὐτῷ) *Nos autem sumus harum rerum testes, et Spiritus S., quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* Τὰ ῥήματα ταῦτα, refer ad res illas in facto positas, quarum testes erant, veluti Iesum resurrexisse ex mortuis, et ad doctrinas, quas proponebant, v. 31. Nam ῥήματα, דברים, sunt res gestae, et doctrinae. Nos, Petrus inquit, sumus testes, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Id, quomodo sit intelligendum, apparet ex Io. XV, 26. 27., ubi vid. not. nostra. Τοῖς πειθαρχοῦσιν αὐτῷ, i. e. nobis Apostolis.

33. Διεπρίοντο) *Vehementi ira commoti erant.* διαπρίειν, propr. *serra dissecare* (LXX. pro שׂור

1. Chr. 3.), tum *dentibus frendere*, veluti si quis serram trahit. Pass. διαπρίεσθαι metaph. significat *dissecari corde*, i. e. vehementer pungi, ira corripi. Infra VII, 54. plene scribitur: διεπρίοντο ταῖς καρδίαις αὐτῶν· Vernacule dicere posses: *Sie hätten vor Zorn zerbersten mögen.* ἐβουλεύοντο) Non: *deliberarunt* de iis occidendis, sed: eorum supplicium vere *decreverunt* (coll. Io. XII, 10.), vel etiam: *voluerunt*, i. e. *jam in eo erant (sie waren im Begriff)*, ut furore correpti talem impetum in Apostolos facerent, quali Stephanus occisus est, VII, 57. sqq.

34. Non eodem furore correpti erant, qui ex Pharisaeorum secta Synedrio assidebant. Cf. ad IV, 2. Γαμαλιὴλ) Dubitatur quis fuerit hic Gamaliel? Plures enim hujus nominis fuerunt. Plurimi tamen Interpp. intelligunt R. Gamalielem, filium Simeonis, nepotem Hillelis, Pauli magistrum, XXII, 3. — Νομοδιδάσκαλος, *legis interpres*, fere i. q. γραμματεύς. ἐκέλευσεν — ποιῆσαι) *Iussit Apostolos foras duci.* ἔξω ποιεῖν denotat *abducere*, ut ἔξω ποιεῖν ἑαυτὸν *abire, secedere;* sic apud Iosephum Ant. X, 6. 2. οἱ ἡγεμόνες — κελεύουσιν αὐτόν τε καὶ τὸν γραμματέα Βάρουχον ἐκποδὼν ἑαυτοὺς ποιῆσαι — *e medio secedere.* Contra *accedere* exprimitur apud Philon. lib. quod Deus s. imm. p. 316. C. ἐγγίστα τῷ Θεῷ ἑαυτὸν ποιεῖν. Nec Latini ab hoc loquendi more abhorrent. Terentius: *Huc te fac*, i. e. *accede*, exponente Donato. Apuleius: *Intra limen se facit.*

35. Προσέχετε — πράσσειν) *Bene perpendite, quid cum hominibus istis velitis facere.* Proprie: Cavete vobis in his hominibus, in caussa horum hominum.

36. Πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν) *Non ita pridem.* Opponitur infra XV, 7. ἀπ' ἀρχαίων ἡμερῶν. ἀνέστη) Ut et paullo post ἀνέστη Ἰούδας et VII, 18. ἀνέστη βασιλεὺς ἕτερος, in quibus locis ἀνασῆναι significat *exoriri, existere*, ut apud Hebraeos קוּם. Θευδᾶς) Quum ille Theudas, de quo Iosephus *Ant.* XX, 5. 1. exponit; quatuordecim vel quindecim annis post hanc Gamalielis orationem turbas in Iudaea excitaverit, ob quas Cuspio Fado, Procuratori, iustas poenas dedit; facile intelligitur, non potuisse hic Gamalielem ad istum homuncionem respicere. Duo igitur Theudae fuisse videntur, unus, Iosepho commemoratus, recentior; alter, cuius Gamaliel mentionem facit, antiquior. Quum frequens esset nomen *Theudae* apud Hebraeos, non est mirum, diversis temporibus duos extitisse factiosos homines eiusdem nominis. Hunc Theudam, quo Gamaliel utitur, simile vero est vixisse circa tempora nati Christi, ultimosque adeo Herodis M. annos, ut notat Casaubonus *Exercitatt. Anti-Baron.* II. n. 57. Silentio autem Iosephus hujus Theudae seditionem praeteriit, sicut et alia enarrare omisit, quorum tamen veritas neutiquam in dubium vocari potest. *Beza* vero, quocum consentit *Kuinoelius*, hanc historiam refert ad ea tempora, quibus Iudaeam scribit Ioseph. *Ant.* XVII, 24. innumeris seditionibus fuisse exagitatam. Quae incidunt in id tempus, quo post Herodis M. mortem, veluti interregnum in Iudaea fuit, Archelao Romam profecto, ut ex patris testamento regnum impetraret, quo tempore Iesus in Aegypto exulabat. Alii vel Iosephum vel Lucam erroris postulant, aut ratione aetatis, quam Theudae assignant, aut nominis. Plura de hac re attulit *Kuinoelius* ad h. l. λέγων εἶναι τινα ἑαυτὸν) *Se esse aliquem*, i. e. se esse homi-

nem haud mediocrem, eximium, magna virtute aut dignitate praestantem. τὶς ponitur pro μέγας. Similiter Plutarchus *Apopht. lacon.* coniungit inter se, δοκοῦντας εἶναί τινας καὶ μεγαλοφρονοῦντας, *aliquid se esse putantes atque superbientes.* Igitur hic Theudas multum iactabat de se, quid? expressis verbis non dicitur. Seditiosus contra imperium Romanum fuisse videtur. Idonea ratione destituta est eorum sententia, qui iam ante Christi mortem de Pseudo-Messia cogitant. Pro προσεκολλήθη, *adiunctus est,* in aliis Codd. legitur προσεκλίθη (quam lectionem genuinam iudicant *Griesbachius*, *Knappius*, *Schottus*), in aliis προσεκλήθη, *advocatus est*, quae lectio *Kuinoelio* praeferenda videtur. διελύθησαν) *dispersi ac dissoluti sunt*, Ductore e medio sublato. Quasi dicat Gamaliel: Theudas et Iudas armis Romanorum perierunt, etiam vobis de eorum nece non deliberantibus, nec eam decernentibus. ἐγένοντο εἰς οὐδέν) Opposita est haec phrasis illi λέγειν εἶναί τινα ἑαυτὸν, et significat, si de hominibus usurpatur, *pessumdari, dignitate et honore, aut opibus exutum in miserum redigi statum.* Plutarchus de *sera Num. vind. Cleonaei, quibus eadem medela non obtigit,* εἰς τὸ μηδὲν ἥκουσι, *pessum eunt.*

37. Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος) Qui Iudas hic vocatur Γαλιλαῖος, is Iosepho *Ant.* XVIII, 1, 1. dicitur Ἰούδας Γαυλανίτης ἀνὴρ, ἐκ πόλεως ὄνομα Γάμαλα: *Iudas Gaulanites, ortus ex oppido Gamala.* Quae urbs in Galilaea sita erat. Sed idem Iosephus hunc ipsum Iudam non uno loco Γαλιλαῖον appellat, e. g. *Ant.* XVIII, 1. 6. XX, 5, 2. et *de B. I.* II, 9. 1. Non igitur dubium est, quin Iudas hic duplex habuerit cognomen, ab urbe

natali alterum, a loco educationis aut habitationis alterum, quemadmodum ille Apollonius, Argonauticon Scriptor, qui patria *Aegyptius* erat; a loco habitationis *Rhodius* dicitur. ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς) Hanc descriptionem facultatum in populo Iudaico de illa accipiendam esse, quae Archelao Viennam relegato, illiusque ditione in provinciae Romanae formam redacta, a Quirinio peracta fuerit, gravissima nos Iosephi auctoritas docet, *Ant.* XVIII, 1, 1. ubi diserta mentio iniicitur huius Iudae, concitatoris turbarum et rebellionis ob censum a Quirinio agendum. Nam Sadduco, Pharisaeo sibi adiuncto, populum ad defectionem concitabat, dicens censum illum nihil minus secum afferre, quam manifestam servitutem. Itaque totam gentem ad libertatem vindicandam cohortabatur. Non igitur confundi debet descriptio h. l. commemorata, cum descriptione capitum, de qua Luc. II, 1. sermo est, quam Augustus regnante Herode M. iusserat. Ἀπέστησε — ὀπίσω αὐτοῦ, *multos homines in suas partes traduxit.* Ἀποστῆναι h. l. est *ad defectionem impellere, sectatores sibi concilliare.*

38. Ἀπόστητε) *Absistite*, quasi dicat, manus ab istis abstinete, nolite eos laedere. ἐάσατε αὐτούς) scil. ἀπελθεῖν, missos eos facite. ὅτι ἐὰν — καταλυθήσεται) *Nam si eorum coeptum est humanum, dissolvetur;* si consilium et coeptum eorum humana fraude est progenitum, machinatio humana est, sua ipsius imbecillitate corruet. βουλὴ et ἔργον de omnibus institutis accipiendum, quae produxerat novus in civitate christiana rerum ordo.

39. Μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε) Elliptice. *Cavete vobis, ne, si facere hoc conemini, inveniami-*

ni ii, qui cum Deo bellum gerant. μήποτε saepius ita ponitur, ut subaudiendum sit ὁρᾶτε, βλέπετε, φυλάττετε, προσέχετε ἑαυτοῖς, id quod docent loci plures, in quibus haec verba addita leguntur, Hebr. III, 10. Luc. XXI, 34. Videtur Gamaliel, dum haec pronunciaret, dubius haesisse, quid de Apostolis sit statuendum, quos non solum noverat singulari modo ex carcere liberatos, sed quos etiam summa animi fiducia de Christi doctrina perorantes audiverat Totam igitur rem providentiae divinae permittendam esse putavit. ἐπείσθησαν δὲ αὐτῷ) Nempe ne Apostolos occiderent, non autem, ut intactos dimitterent, quod tamen aequum fuerat, et congruens iis, quae dixerat Gamaliel.

41. Χαίροντες) Memores praecepti Domini Matth. V, 11. 12. Luc. VI, 22. 23. Magna virtus, ipsam contumeliam honori ducere ob causam bonam. Pron. αὐτοῦ, quod plures Codd. omittunt, alii autem pro eo nomen ipsum substituunt, recentiores Editt. ex ordine eiiciendum esse censuerunt, ut ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος, *pro hoc nomine* nempe Iesu, notet *eius causa*, et articulus δεικτικῶς positus sit. καθηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι) Elegans oxymoron, quum duae sententiae iunctae sint, quae sibi repugnare videantur.

42. Πᾶσάν τε ἡμέραν) i. e. κατὰ πᾶσαν ἡμέραν. Nullo die intermittebant doctrinam et praeconium Evangelii Iesu Christi publice in templo, et privatim intra domos.

CAP VI.

1. Ἐν δὲ — Ἑβραίους) *Illo autem tempore, crescente discipulorum numero, exorta est querela Hellenistarum adversus Christianos ex Hebraeis.* ἐν ταῖς ἡμ. ταύτ. nota est formula narrationem ordiendi. γογγυσμὸς, tacita indignatio, sensim tamen in querelas erumpens. Ἑβραῖοι h. l. vocantur ii, qui ex Iudaeis Christi doctrinam amplexi erant, ut τὰ ἔθνη (Rom. XI, 13.) christiani antea gentiles. Retinebantur enim in primordiis Christianismi eadem nomina, quae apud Iudaeos recepta fuerant. μαθηταὶ sunt omnes ii, qui postea nominati sunt *Christiani.* Ἑλληνιστὰὶ (a verbo ἑλληνίζειν, graecissare, graeca studia, graecos mores sequi,) Graecienses sunt, qui religione quidem Iudaei, sed inter Graecos educati, et linguae et dogmatum peritiam erant consecuti, ut patet ex locis a Wetstenio allatis. Iudaei sic distinguebantur: *Iudaei Palaestinenses*, qui hic Hebraei vocantur, et διασπορὰ Ἑλλήνων, qui hic Hellenistae sive Graecienses. Syrus Ἑλληνιστὰς interpretatur *Iudaeos, qui noverant Graeca;* Chrysostomus, Oecumonius et Theophylactus τοὺς Ἑλληνιστὶ φθεγγομένους. Iam vero inter Iudaeos in Palaestina viventes, et Hellenistas, Iudaeos extra Palaestinam viventes, magnum fuit odium, *tum* propter diversitatem sermonis, quoniam hi lingua graeca, non sancta (ut illi opinati sunt) utebantur, et versionem illam Alexandrinam adeo in Synagogis suis praelegebant, *tum* etiam, quia extra sanctam terram, inter paganos homines, ergo inter impuros vivebant, et quodammodo Graecorum mores imitabantur. His igitur de causis Iudaei in Palaestina viventes meliores se putabant Hellenistis, qui

non adeo tenaciter legis Mosaicae institutioni inhaerere videbantur. Hino multae inter Iudaeos Palaestinenses et Hellenistas, etiam Christianos factos dissensiones. *Salmasius* in libro *de lingua Hellenistica* aliisque libris, non nativitate Iudaeos, sed proselytos graecos, et ad christianam religionem conversos intelligendos esse putavit. Quam sententiam alii quoque Interpp. probarunt; sed sine ulla necessitate. Multos Hellenistas additos fuisse coetui Christianorum, intelligimus ex Act. II, 9. sqq. Ferri tamen potest eorum sententia, qui utrumque complectentes per *τοὺς Ἑλληνιστὰς et Iudaeos et proselytos extra Palaestinam natos* intelligunt, coll. Vs. 5. *ὅτι παρεθεωροῦντο ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ αἱ χῆραι αὐτῶν*) *Quod in distributione quotidiana rerum necessariarum negligentius haberetur ratio viduarum suarum.* Nam *διακονία* h. l. nihil aliud est, quam cura eleemosynarum pecuniarumque ex aerario publico erogandarum, qua notione saepe haec vox in epistolis Pauli. *παραθεωρεῖν* denotat *negligere, spernere, rationem alicuius non habere. Kuinoelius, Moshemium* (l. l. ad c. V, 6., p. 139. et 118.) sequutus, arbitratur, iam tum fuisse certos homines constitutos, qui pauperum curam gererent, sed eos omnes fuisse Hebraeos; iam vero electos, et illis *additos* fuisse septem viros ex Hellenistis. Sed ex iis, quae statim narrantur, colligi potius debet, diaconorum institutum plane novum fuisse. Quodsi autem qui hac vice eligebantur, tantum iis, qui iam antea illo munere fungebantur, addendi fuerint; id clarioribus verbis annotare Lucas vix omisisset. Cf. not. ad Vs. 5.

2. Τὸ *πλῆθος τῶν μαθητῶν*) *Multitudo discipulorum*, coetus, concio eorum, qui ecclesiae Hieros. ad-

scripti erant. Sine ulla idonea causa (*Moshemius* (l. l. p. 119.), consentiente *Kuinoelio*, coniecit, in septem familias distributos fuisse Christianos Hieros., quibus totidem fuerint conventuum sacrorum loci, hinc etiam septem electos esse diaconos, ut singulis familiis unus praeponeretur. Sed *septem* apud Iudaeos solennis erat numerus, unde in causa exquirenda, cur septem sind electi, non ulterius argutandum est. οὐκ ἀρεστόν ἐστιν) *Non convenit*, non decet, non est probandum. καταλείψαντας) *Minus curantes*, quam fieret, si eo onere levaremur. Quia quod aliis negotiis datur, id decedit praedicationi. διακονεῖν τραπέζαις) *Inservire pecuniae et colligendae et in pauperes distribuendae.* Nam voce διακονεῖν nihil aliud indicatur, quam illa διακονία καθημερινή, Vs. 1. Τράπεζα autem h. l. κατ' ἐξοχήν est *mensa pecuniaria*, Wechselbank. *Servire mensis* est impendere curam rei pecuniariae, et h. l. nominatim operam dare fisco et distribuendis pecuniis. Hoc sensu haec vox occurrit apud Iosephum, in Edicto Ptolomaei de Iudaeis manumittendis, *Ant.* XII, 2. 3, ubi ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης νομιζόμενοι τὰ λύτρα sunt *de pecunia regia pretium redemtionis accipientes.* Paulo post βασιλικὴ κτῆσις, *facultates regis* dicuntur, et ibidem βασιλικοὶ τραπεζῖται, *qui pecuniam regiam curant, aliisque solvunt et distribuunt.*

3. Ἐπισκέψασθε — μαρτυρουμένους) *Circumspicite igitur septem viros probatos*, spectatos, i. e. καλὴν μαρτυρίαν ἔχοντας 1 Tim. III, 7., *probitatis integritatisque laude inclytos.* Ἐπισκέψασθε) Subaudi: καὶ ἐκλέξατε, vel sic accipe: ἐπισκεψάμενοι ἐκλέξατε, *cir-*

cumspiciendo eligite. πλήρεις πνεύματος ἁγίου, καὶ σοφίας) *Plenos Spiritu sancto et sapientia*, i. e. (bene explicante *Heinrichsio*) divinioris Christianismi praestantiae sensu plenissimos, sacroque pro eo quidlibet audendi enthusiasmo quasi flagrantes. Quod πνεῦμα aderat in Apostolis, idemque adesse debuit et in διακονοῖς, ut qui iisdem fere virtutibus ornati esse debebant, quibus excellebant doctores ipsi. Vid. 1 Tim. III, 8. sqq. Σοφία, qua saepe intelligitur religionis scientia h. l. videtur esse *prudentia*, nominatim prudentia administrandi illius muneris, ut rixas evitarent, subortas componerent; uno verbo, ut sapienter diaconorum munere fungerentur. οὓς καταστήσομεν — ταύτης) *quos huic muneri praeficiemus*, vel *huic curae.* Sic apud *Ioseph.* de *B. I.* II, 3. τὸν γὰρ τοῦ Σίμωνος υἱὸν Ἐλεάζαρον — οὐκ ἐπέστησαν ταῖς χρείαις, *non praefecerunt muneribus.* Imitati sunt in hoc Apostoli Synagogam. Nam apud Iudaeos erant collectores cistae, ut quaestores aerarii, qui semel in septimana pridie Sabbati pecuniam distribuebant; et collectores catini, ministrantes mensis quotidie, et peregrinorum praecipue curam suscipientes. Maimon. in Sanhedr. c. l. *duo* (in Synagogo) *exactores eleemosynae, quibus etiam addebatur tertius ad eius distributionem.* Vid. *Lightfooti Horr. Hebrr. et Talmm.* p. 249. *Vitringa de synag. vet.* p. 629. 920. et *Westen.* ad h. l.

4. Ἡμεῖς δὲ — προσκαρτερήσομεν) *Nos vero precibus et ministerio docendi assiduam operam dabimus.* Per προσευχὴν tamen non intelligitur recitatio precum simpliciter, quae petitiones dicuntur; nam προσεύχεσθαι saepe dicitur, qui nostro more versatur in divi-

narum rerum meditatione. Sensus igitur est: Assidui erimus tum in meditando res divinas, tum in populo instituendo: quod sic tamen intelligendum est, ut inspectionem in Diaconos Apostoli a se non abdicaverint. Nec ministerium illud ut humile quid aut molestum refugiebant, sed his, ut magis necessariis officiis attentius incumbere volebant.

5. Φλιππου — Νικόλαον) Nicolaus non fuit Iudaeus natus, sed ad sacra eorum accessit. Genere fuit Antiochenus, ut statim additur. Inde tamen non sequitur, omnes hos diaconos fuisse proselytos, distinguitur potius ab iis hoc nomine Nicolaus, ut appareat, reliquos fuisse Iudaeos natos. Errorem illum, quasi ab hoc Nicolao secta Nicolaitarum originem traxisset, refutarunt iam patres, Clem. Alex., Theodoretus, Ignatius. — Quum vero omnia illorum diaconorum nomina graeca sint, concedendum est, Hellenistas tantum esse electos (eorum enim opinionem, qui putarent, quosdam inter istos viros fuisse Iudaeos, quorum nomina Lucas graece extulerit, plurimi Interpp. recte improbarunt). Sic vero, inquiunt Interprr., incertissimum remedium Apostoli malo, quod tollere volebant, opposuissent. Fieri enim potuit, ut ab Hellenistis Iudaeorum pauperes negligerentur. Quare *Moshemius*, *Michaelis*, *Morus*, *Heinrichsius*, *Kuinoelius* aliique statuunt, hos viros non omnibus pauperibus christianis, sed tantummodo viduis et pauperibus Hellenistarum praefectos fuisse, haud a munere remotis iis, qui antea rem pauperum administraverant; aut praeter septem illos Hellenistas alios quoque ex indigenis Iudaeis esse electos, nominaque eorum reticuisse auctorem, et quae

sunt similia. Cui sententiae lubentissime subscriberemus, si certa huius rei indicia in ipsa Lucae narratione possent inveniri. Plura autem isti coniecturae repugnant. Hellenistarum pauperes neglectos esse, Interpp. putant, quod Christiani e Iudaeis conversi ius sibi quoddam et praestantiam arrogaverint in eos, qui ex Hellenistis Christum sequuti erant. Sane Christiani ex Iudaeis conversi, quantopere se postea supra Christianos ex gentibus collectos extulerint, ex Ep. ad Rom. notum est. Verum eiusmodi rixas iam in primo Christianorum coetu, qui superioribus Capp. ob summum animorum consensum, summumque mutui amoris studium tantopere celebratur, et quidem *iam tunc temporis* esse subortas, vix nobis persuadere possumus. Deinde e verbis Vs. 2.: οὐκ ἀρεστόν ἐστιν κ. τ. λ. apparet, ipsos Apostolos usque ad hoc praecipuam pauperum curam gessisse. Ipsi igitur (aliis tamen, quorum ministerio forsan utebantur, non exclusis) quasdam Hellenistarum viduas neglexerant, quia, uti par est credere, indigenarum angustiae facilius innotescere potuerunt, quam peregrinorum. Audita vero Hellenistarum querela, quum Apostoli viderent, se duplici muneri rite administrando impares esse, id incommodum instututo Diaconorum collegio corrigebant. Accedit, quod non Apostoli, sed tota ecclesia septem illos pauperum patronos elegit. Munus igitur illorum Septemvirorum, quamvis Hellenistarum, sed hominum spectatissimae fidei, ad totam ecclesiam Hieros. pertinuisse, profecto non eam ob causam in dubium revocandum est, quod, quomodo prospectum fuerit, ne uni aut alteri parti iniuria fieret, nesciamus. Cf. et not. ad Vs. 1. 2.

6. Οὓς ἔστησαν — χεῖρας) *Hos constituerunt*

coram Apostolis, qui precibus factis manus illis imposuerunt. Constituerunt electos coram Apostolis approbandos. Electis Apostoli imponebant manus. *Impositio manuum* iis temporibus apud Iudaeos in usu fuit, et usurpata esse ab iis videtur ad exemplum illius, quod *Moses*, Deo iubente, *Iosuae manus suas imposuerit*, eumque hoc Symbolo coram Israelitis omnibus palam in gravissimo munere regiminis et iudicii *confirmaverit.* Num. XXVII, 18. coll. ibid. VIII, 10. et Deut. XXXIV, 9, e quibus locis apparet manuum impositionem fuisse ritum inaugurationis ad novum officium. Hunc morem secuti Apostoli Presbyteris et Diaconis manus imposuerunt, quo ritu, tanquam externo Symbolo designata est tum collatio *Potestatis* actu exercendae, tum *aptitudo*, quae ad exercitium illius muneris requirebatur. Vid. *Vitringa* de Synag. Vet. p. 836. sqq. Precibus igitur manuum impositio accedebat, more Iudaeorum, non quod ea vim aliquam habere crederetur, nam quis sibi serio persuadeat, hominem homini manu imponenda dotes, aut aliud quid tribuere posse? Noluisse Apostolos illis viris novas tribuere dotes, abunde apparet ex eo, quod Vs. 3. eligendos praeceperunt ἄνδρας πλήρεις πν. ἁγ. καὶ σοφίας. Et Vs. 5. Lucas Stephanum appellat ἄνδρα πλήρη πίστ. καὶ πν. ἁγ. Manus igitur electis Apostoli imposuerunt, ut demonstrarent δεητικῶς, pro quibus precarentur, quibus bona apprecarentur. Hinc fluxit ille ritus, quem Graeci χειροτονίαν, Latini *ordinationem* vocarunt. Quod enim hic fecere Apostoli, idem episcopi postea, tum in Presbyteris, tum in Diaconis ordinandis.

7. Καὶ ὁ λόγος — τῇ πίστει) *Sic doctrina divina incrementa cepit, et numerus discipulorum Hiero-*

solymis valde auctus est; etiam magna multitudo sacerdotum suscepit religionem. Obedire *fidei*, suscipere religionem christianam. Nam ἡ πίστις saepe est religio christiana. Nunc, quoniam is, qui suscipit religionem, obedit Deo, volenti ut illa doctrina suscipiatur, hinc orta est phrasis ὑπακούειν τῇ πίστει, Cf. Rom. I, 5. πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων, i. e. multi ex familia et comitatu sacerdotum. ὄχλος nihil nonnunquam praeter eos, qui in numero, aut turba, designat, ut apud *Valer. Flacc.* Argon. I, 101. *Bellis spectataque fama turba ducum.* Sic et Luc. VI, 17. dicitur ὄχλος μαθητῶν, et πλῆθος πολὺ τοῦ λαοῦ. Haud parum profuit rebus Christianorum, quod sacerdotes iam iis se adiunxerunt.

8. Στέφανος — λαῷ) *Stephanus autem fide et vi divina pollens, miracula insignia edebat in populo.* Pro πίστεως legendum esse videtur χάριτος, ob Codd., Verss. et loca Patrum. Χάρις, *favor divinus* (ut c. XVIII, 27.); ornatus erat favore divino, adeoque instructus vi divina. δύναμις h. l. significat *vires divinitus concessas ad res mirandas efficiendas*, ut Matth. XIV, 2. et aliis locis.

9. Synagogae in omnibus nobilioribus urbibus, ubi Iudaei degebant, erant exstructae. Multas Hierosolymis quoque fuisse Synagogas, ita ut etiam Iudaei huius illiusve nationis aut patriae propriis scholis uterentur, non est dubium. Sed omnem fere fidem exsuperare nonnullis videntur, quae de 480 vel secundum alios 450 aut 394 synagogis Hierosolymitanis Iudaei narrant. Λιβερτῖνος est vox latina, qua proprie significatur, vel, *qui parente liberto ortus*, vel *qui servus natus, aut factus, sed libertate donatus* erat. Unde plurimi su-

spicati sunt, *libertinos*, quorum hic fit mentio, fuisse aut servos manumissos, Romanae quidem originis, sed religioni Iudaicae addictos, qui Synagogam Hierosolymis exstrui curaverint, aut posteros Iudaeorum, a Pompeio, aut Ptolomaeo I. bello captorum et a Romanis in servitutem redactorum, sed deinde in libertatem vindicatorum, qui Apostolorum tempore propriam synagogam Hierosolymis habuerint. Proprie haec synagoga dici debuisset συναγ. Ῥωμαίων. *Philo* (Legat. ad Caium) refert, *plures ex Iudaeis fuisse* Ῥωμαίους ἀπελευθερωθέντας, *Romanos libertatem adeptos*, et addit: Αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν, ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθεράθησαν, οὐδὲν τῶν πατρίων παραχαράξαι βιασθέντες, *nam belli iure in potestatem redacti, ab heris suis manumissi fuerant, nec quicquam patriorum rituum mutare coacti.* Vid. *Vitringa* de Synag. Vet. Lib. I. P. I. p. 254. Quia tamen *libertini* h. l. iunguntur *Alexandrinorum*, *Asianorum*, *Cyrenaeorum Cilicum* scholis et coetibus, alii intelligunt *Iudaeos incolas et cives Liberti*, oppidi, sive regionis Africae propriae, sive Carthaginiensis, quae et proconsularis dicitur. Vid. *Schleusneri* Lex. sub voc λιβερτῖνος. Verum haec Synagoga non in mediis populorum nominibus occurrit, sed primo loco ponitur, et additum legitur τῆς λεγομένης, unde satis apparet, Λιβερτίνων non esse nomen regionis. Ex quo simul intelligitur, supervacaneam esse quorumdam coniecturam, qui pro Λιβερτίνων legendum putarent Λιβυστίνων, contra omnium Codd. et Verss. antiqu. auctoritatem. Nonnulli unam eandemque Synagogam intelligendam esse statuunt, qua Libertini, Cyrenaei, et qui sequuntur, simul usi essent, negantque Libertinos habuisse Synagogam sibi

propriam, quum non legatur ἐκ τῶν συναγωγῶν, sed ἐκ τῆς συναγωγῆς. Vid. *Io. Chr. Henr. Krausius in* Commentar. *in historiam atque orationem Stephani Protomartyris*, Act VI. et VII. Goettingae 1780. Quae tamen ratio (recte monente *Kuinoelio*) vel eo potest vanitatis convinci, quod plane improbabile est, tot Iudaeorum millia, qui ex regionibus h. l. memoratis quotannis ad festa celebranda Hierosolyma convenirent, una eademque synagoga usos fuisse. Praeterea tralatitium est, saepius ex antegressis verbum aut nomen esse repetendum. Κυρηναῖοι hic sunt *Iudaei, urbes provinciae Cyrenaicae incolentes.* Auctor est Iosephus, Iudaeos in omnibus Cyrenaicae urbibus habitasse, et eodem, quo inquilini civitatis iure fuisse usos. Locus est Antiqq. Iud. Lib. XIV, 7. 2. Cum reliquis autem inquilinis ibidem Iudaeos habuisse *ἰσονομίαν*, s. *idem ius civitatis*, idem testatur, XVI, 6, 1. Ἀλεξανδρεῖς sunt Iudaei *urbem Alexandrinam inhabitantes.* Ioseph. XIX, 5. 2. Ingens autem multitudo Alexandriae consederat, auctore Philone in Flacc. decies centena millia; adeo, ut ex quinque illis regionibus, in quas ea urbs descripta erat, duas tenerent, et sparsim per reliquas sua sibi domicilia haberent. Quid? quod iis ius civitatis pari cum Macedonibus conditione datum erat, auctore Iosepho, XII, 1, 1. et XIX, 5, 2. *Hieros. Megilla*, f. 73. 4. historia narratur de Eliezere, filio Zadoki, qui accepit Scholam *Alexandrinam*, quae erat Hierosolymis, eamque convertit in usus suos — *Alexandrini* exstruxerant synagogam illam propriis sumtibus. Ἀσίας) scil. *Asiae minoris.* Haec enim Asiae pars in N. T. Asia appellatur, vid. II, 9. XVI, 6. 1 Cor. XVI, 19. 1 Petr. I, 1. Apoc. I, 4. 11. Cf. *E. F. C. Rosenmuelleri*

Handb. d. bibl. Alterthumsk. T. I. P. II. p. 164. Ceterum Synagogae istae non tam precibus faciendis, quae in Synagogis proprie fieri solebant, quam literis excolendis, praesertim legendis explicandisque libris sacris destinatae fuisse videntur, cuiusmodi scholam Iudaei alias proprie בֵּית הַמִּדְרָשׁ, sicut Synagogam proprie sic dictam בֵּית הַכְּנֶסֶת appellare consueverunt. Qui enim cum Stephano disputarunt, eos constat fuisse Scholares, qui ex disciplina huius vel illius Academiae prodierunt, apud ipsos תַּלְמִידִים, apud Graecos *μαθηταί*, dicti. Vid. iterum *Vitringa* de Synag. Vet. Proleg. c. IV. pag. 28. *συζητοῦντες τῷ Στεφάνῳ*) *Disputantes cum Stephano.* Nam *συζητεῖν τινι* est *cum aliquo disputare secundum artis regulas*, quae vis vel ex significatu vocis *συζητήτεως* apparet, obviae apud Philonem Libr. de mundi Opif. p. 11. D. *ἐκ δὲ τῆς τοῦτων συζητήσεως τὸ φιλοσοφίας συνέστη γένος*, *ex huiusmodi autem disquisitionibus philosophia nata est.*

10. Καὶ οὐκ — ἐλάλει) *Et non potuerunt resistere sapientiae et Spiritui quo loquebatur*, non potuerunt eum refutare, ob religionis peritiam qua erat instructus et vim sermonis, quo utebatur. Πνεῦμα h. l. est divina illa vis, sermonem eius dirigens, Apostolis promissa, Matth. X, 20. vel animi fortitudo, *Muth.* *ἀντιστῆναι*, *se opponere*, resistere alicui, ita ut superior discedas.

11. Τότε ὑπέβαλον ἄνδρας) Ὑποβάλλειν Graecis est, quod Latinis *subornare.* Nostri dicunt, *einen heimlich anstellen.* Eodem sensu fere est ὑπόβλητος apud Iosephum. *Ant.* VII, 8. 4. et *de B. I.* V, 10. 4.

ῥήματα βλάσφημα) *Contumeliosa, impia verba.* Εἰς Μωϋσῆν καὶ τὸν Θεόν. Qui enim doctrinam Iesu Christi legi Mosis praeferebat, is Mosis auctoritati derogare, adeoque Deum ipsum contumelia afficere videbatur. Ita saltem iudicabant superstitiosi Iudaei.

12. Ἐπιστάντες συνήρπασαν αὐτὸν) *Inopinato impetu in eum facto corripuerunt eum.* Vis repentina facta significatur. ἐπιστάντες, inopinato ad eum comprehendendum concurrentes. Vid. ad IV, 1.

13. Μάρτυρας ψευδεῖς) Vera falsis miscentes, ut ii, qui in Christum dixerunt; volebant enim credi, ea, quae dixerat Stephanus, dicta ob eo cum abominatione templi et legis. Vel vocantur μάρτ. ψευδ., quod Stephani verba pervertissent et auxissent. Aliorum sententias vid. apud *Kuinoelium.* Κατὰ τοῦ τόπου — νόμου) τόπος denotat *templum;* infra XXI, 28. XXV, 8. simili argumento ἱερὸν et νόμος iunguntur. Solebat praeterea Synedrium considere in templo, cf. Mt. XXVII, 3. sqq.

14. Καταλύσει) *Destruet.* Quaelibet calumnia arripit aliquid ex vero. Stephanus innuerat fortasse aliquid de iis, quae eventura erant, et quae Iesus de fatis reipublicae Iudaicae praedixerat, Vid. Luc. XIX, 41. sqq. Hoc autem ita interpretantur adversarii, quasi Stephanus declarasset, Iesum esse templum destructurum. τὰ ἔθη) h. l. sunt *Leges cerimoniales, mores, ritusque Iudaeorum,* quo sensu est apud Ioseph. *Ant. III,* 6. 12. XI, 13, 23. et saepius apud Philonem. Omnino Stephanus meliora rectioraque placita de vero cultu Numinis, nullis templis inclusi, protulisse videtur, e c.

a ritibus externis non pendere Dei favorem. Id vero iterum ita pervertunt adversarii, quasi contemtim locutus esset de lege Mosis. Ceterum vocc. *βλάσφημα* (Vs. 14.) et *τούτου* h. l. desunt a pluribus optimae notae Codd., quare ut valde suspecta a *Griesbachio*, *Knappio*, *Schotto* eiiciuntur.

15. *Ὡσεὶ πρόσωπον ἀγγέλου*) Locutio proverbialis reverentiam notans, non sine tremore incussam, Gen. XXXIII, 10. et in Estheris historia, c. V, 2. in Graeco. 2 Sam. XIV, 17. Conscientia bona et caussae fiducia ex vultus hilaritate elucebat. Nempe *facies angeli* est facies laetissima. Tumultuantibus hostibus ex vultu Stephani elucebat mera hilaritas, et coeleste quoddam gaudium, ut si iam in coelis esset.

Cap. VII.

2. *Ὁ δὲ ἔφη*) Unde Lucas hanc Stephani orationem habuerit, nemo facile definire ausit. Parum autem probabile est, a Luca eam esse inventam et conscriptam. Is enim (recte monentibus Interpp.) si huius orationis fuisset auctor, conscripsisset orationem magis elaboratam, melius dispositam, et ornatiorem. Sed haec oratio continet, quae non ad rem pertinere videntur, multa omittit, quae ad rem facere existimare possis, quae quidem inde facile explicari possunt, quod subito Stephanus dixit. Iam vero nihil impediebat, quo minus Lucas hanc orationem, properante calamo exceptum, ab aliquo, quicunque tandem fuerit, accipere posset. Sine dubio historiam Stephani ex ore Pauli audiverat,

cuius ope, si quaedam corrigenda fuissent, etiam orationem illam emendare potuisset. Haud enim extra verisimilitudinem est, ipsum Paulum inter auditores fuisse. — Quum non integram orationem habeamus, sed tantum particulam eius, et fere nihil nisi introductionem; mirum non est, magnam deprehendi opinionum diversitatem in constituendo orationis Stephani consilio. Quum de duabus rebus accusaretur Stephanus, quod templi excidium, et quod abrogationem rituum praedixisset, ex *Grotii* sententia totus in eo est, ut ostendat, se non calumniandi animo haec dixisse. Quare omnem historiam veterem ad sua tempora percurrens, insinuat κατὰ κρύψιν, Dei favorem nunquam adstrictum fuisse loco ulli, ne tabernaculo quidem aut templo: deinde Iudaeos, si gentis suae et sua facta bene expenderent, nihil habere, cur se alienigenis praeferrent. Verum, ut recte monuit *Eckermann* in *theol. Beitrr*, T. I. Part. 2. p. 135., Iudaei non criminati erant Stephanum, eum docuisse, gentiles ad Messiae signa a Deo vocatum iri, et si docere voluisset, Deum omnibus hominibus benevolum esse, exemplis ad hoc demonstrandum parum aptis usus fuisset, quum de Israelitarum tantum maioribus sermonem faceret. Praecipuas recentiorum Interpp. sententias examinavit *Kuinoelius* (Vid. eius Commentar. in Acta p. 225. sqq. Edit. 3.) Ipse autem de Stephani consilio satis probabiliter disserit hoc modo: «Postularunt de βλασφημίᾳ Stephanum, quod dixisset, Iesum templum esse destructurum, atque ordinatos a Mose ritus aboliturum. Ad has criminationes Steph. ita respondit, ut ex historia Israelitarum ea seligeret, quae ad causam suam defendendam facerent. Atque hoc dicendi genere usus est, ut eo attentiores audito-

res contineret, et eo fortius feriret eorum animos. Iudaeis enim pergratum erat, data quavis occasione, populi fata repetere, et providentiae atque amoris documenta a Deo ipsorum maioribus data, recensere et praedicare. (Ps. LXXVIII. CV. sq. CXXXV. sq. Ier. VII. Ez. XX.) Hinc etiam immiscet nonnulla ex historia populi depromta, quae non propius ad rem pertinent. Non autem hoc demonstrare volebat Steph., legem Mos. aliquando abrogatum et templum destructum iri, ut statuunt *Krausius* aliique; nec hoc *potissimum* docere volebat, Iesum esse pro Messia habendum, seque prudenter et bene reputata re ad Iesu castra esse transgressum, ut *Heinrichsius* autumat, haec enim non proprie pertinebant ad rem, de qua disceptabatur; sed hoc imprimis demonstrari volebat, ritus a Mose praescriptos Deum quidem auctorem habere, sed Iudaeos sola legum ritualium observatione Deo non probari, etiam templum destrui posse, et destructum iri, ut olim fuerit destructum, si non ad meliorem frugem redirent (Ier. VII, 12. sqq.); volebat praeterea etiam haud dubie, hac data occasione, ostendere Iesum a Synedris repudiatum Messiam esse habendum, eiusque doctrinam amplectendam, de Mose enim verba faciens attulerat Vs. 37. locum illum Deut. XVIII, 15., quem etiam Petrus III, 22. de Iesu Messia explicuit. Sed orationem suam ad finem perducere non poterat. Quum in eo esset, ut fata populi Isr. ab ipso enarrata in rem suam transferret, ad supplicium rapiebatur. Quodsi orationis filum pertexere potuisset, in altera orationis parte, opinor, ostendisset, vanam esse spem et fiduciam, quam Iudaei in circumcisione, reliquisque ritibus et templo ponerent, quum Abrahamus, antequam circumcisus esset, Deo proba-

tus fuerit, et luculenta favoris ac benevolentiae Dei documenta acceperit, multi vero ex circumcisis Deo non placuerint, et diu ante templum exstructum Deus in gentem Isr. multa et insignia beneficia contulerit, nec templi exstructionem omnino praeceperit; se ergo non contumeliose in Deum et Mosen locutum esse, quum professus sit, a circumcisione et templi cultu non pendere Dei favorem, templum destrui posse et destructum iri, ni resipiscerent, si porro mores maiorum imitarentur, qui ingrati Mosen repudiassent, Vs 38. sq. eorumque exemplo Iesum Messiam, a Mose annuntiatum Vs. 37. reiicerent, coll. Vs. 51. sqq.« Haec fere Kuinoelius. Addi potest, Stephanum etiam ostendere voluisse, ipsos Iudaeorum proceres, qui pro Dei et Mosis auctoritate acriter pugnare sibi videantur, utriusque esse contemtores, quum neque Mosis legibus neque Deo, qui leges tradidit, pareant. Talia profert Steph. Vs. 50. sqq.; et cf. Christi sermones Ioann. V, 45 — 47. VII, 19. VIII, 41 — 47., et quae ad ea loca annotavimus. Ceterum Stephanus multas orationi suae immiscere videtur res historicas, quae vix cum historia V. T. conciliari queunt. Igitur non desunt homines eruditi, qui existimant, Stephanum lapsu memoriae quaedam distinguenda confudisse. Cum hac sententia non pugnat, quod plenus Spiritu sancto fuisse dicitur; (Vs. 55.) nam ibi non de *inspiratione verborum* est sermo. Cf. *Michaelis* ad initium huius capitis, et *H. E. G. Pauli* meditatio exegetica: *an secundum acta apostolorum primitivi Christiani inspirationem, quam vocant, atque infallibilitatem pro synonymis habere soliti sint*, in Sylloge Commentatt. theol. edita a *Dav. Iul. Pott.* Vol. III. p. 298. sqq. Quo facilius autem

explicari possit, qui factum sit, ut errores historici in hanc orationem irrepserint (qua de re deinceps in interpretatione hui. Cap. videbimus), *Heinrichsius*, *Krausius*, alii opinantur, auditorem sermonis initium, ordinem, potissima argumenta festinante calamo excepisse, domi autem elaborasse, ut quae inter dicendum non quidem literis mandari, sed memoria tamen teneri poterant, oratioque effingeretur ad eam quam Steph. ipse habuerat, quoad similitudinem proxime accedens. — ἄνδρες ἀδελφοὶ) Hoc populo dicit. καὶ πατέρες) Hoc senatoribus. Sic et Romani senatores vocabant patres. ὁ θεὸς τῆς δόξης) אֱלֹהֵי הַכָּבוֹד Deus gloria et honore dignissimus, maiestate insignis, Numen summe colendum. ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν Ἀβραάμ) Stephanus ergo non fuit proselytus, sed Iudaeus natus. Cf. Vss. 19. 38. 39. 44. 45. ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ) Ure Chaldaeorum Gen. XI, 28. 31., quae ei patria erat, et *Chaldaeorum* vocatur, quia post Abrahami tempora Chaldaei potiti sunt ea regione. Mesopotamia, אֲרַם נַהֲרַיִם Hebraeis late patuit, et omnia illa continuit, quae non Euphrate tantum et Trigide, sed et eorum divergiis irrigantur. Ergo Chaldaea pars Mesopotamiae. Cf. *Rosenmuelleri Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II p. 133. sqq. ἐν Χαρράν) Sic in Vers. Alexandrina expressum est hebr. nomen חָרָן. A Graecis et Romanis appellata est Κάρραι, *Carrae*. Urbs erat Mesopotamiae, Chaboram inter et Euphratem sita (non confundenda cum alia urbe חרן, Arabiae felicis, Ez. XXVII, 23.), clade Crassi nobilitata, vid. Lucan. *Pharsal.* I, 105. sqq. Plutarch. *Vita Crassi*, p. 184. Ceterum cf. *Rosenmuelleri* Scholia ad Gen. XI, 31. et *Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 149.

3. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν) In Mesopotamia, ubi tum erat Abrahamus. Contradicere videtur Stephanus Mosi, Gen. XI, 31. 32. Ibi enim nihil extat de Deo, Abrahamum, quum esset in *Mesopotamia*, migrare iubente, nec omnia Stephani verba leguntur in loco Mosis citato. Unde nonnulli Interpp. duplicem vocationem Abrahami statuunt, quarum unam acceperit in Mesopatamia, alteram *Charris*. Alii existimant, Gen. XII, 1. וַיֹּאמֶר esse Plusquamp., et per ἐπάνοδον ibi referri id, quod in Ure dictum fuerat, qualia ὑστερόπρωτα multa sunt et in sacris et in profanis historiis. Cf. *Grotium* ad h. l. et Scholia ad Gen. XII, 1. Sed videtur potius Stephanus sequi perpetuam Iudaeorum traditionem, qui bis Abrahamum vocatum esse statuunt. *Bereschit R.* XXXIX. 8.: „R. Iuda dixit: לֶךְ לֶךְ (i. e. *Lech Lech*, non *Lech lecha.*) *Abi, abi*, bis dictum est: Semel ex Mesopotamia, et semel ex Syria Nahoris.“ Extat etiam Philonis libellus *de migrat. Abrahami.*

4. Κακεῖθεν — κατοικεῖτε) *Inde vero* (e Charris) *post mortem patris sui transtulit eum* (Deus) *in hanc terram*, *in qua vos nunc habitatis*, sc. in Palaestinam. Quod Abrahamus *post patris sui mortem* in Palaestinam migrasse dicitur, id Chronologiae aperte repugnat. Therachus enim genuit Abrahamum, quum 70 annos natus esset, Gen. XI, 26. Abrahamus in Cananaeam migravit 75. aetatis suae anno, Gen. XII, 4. Hos 70 et 75 annos si computamus, efficiuntur 145 anni. Ergo Therachus anno 145. aetatis mortuus esset. Sed hoc falsum esse, et Therachum 205 annos vixisse, e Gen. XII, 32. apparet. Ergo Abrahamus non *post mortem patris* in Cananaeam migravit. Sequitur igitur

Stephanus traditionem Iudaeorum, qui constanter hoc dixerunt, sed explicarunt de morte Therachi *allegorica;* nempe Abrahamum migrasse postquam pater eius factus fuisset *idololatra*, malos enim vocari mortuos in vita sua. Notabilis est locus in *Raschii* (רש"י, i. e. *Rabbi Salomo Isaacus;* vulgo dicitur *Iarchi*) Commentario: »Cur ergo per prolepsin mortem Therachi retulit scriptura, posuitque *ante exitum Abrahami*? Nempe ne res omnibus obvia et facilis intellectu esset, dicerentque: non servavit Abrahamus praeceptum de honorando patre, siquidem illum reliquit, abiitque! Imo vero vocat illum scriptura mortuum, siquidem mali, etiam dum vivunt, appellantur mortui, iustique, etiam post fata vivi, ut Benaias filius Ioiadae filii (איש חי) viri vivi.« Alia Rabbinorum loca attulerunt *Wetstenius* et *Lightfootus* ad h. l. Alii annos Therachi 205 in textu Hebraico refingi volunt ad textum Samaritanum, ubi 145 eidem tribuuntur, qui exacte toti historiae respondent. Sed quum et LXX., et ceteri veteres Interpp. eum annorum numerum, qui in Codd. Hebrr. omnibus legitur, exprimant; vix dubium est, illud quod in Cod. Samar. extat, deberi critico alicui Samaritae, cui opinio insedit, migrasse Abrahamum post mortem demum patris in Cananaeam, quod tamen scriptor Hebraeus non dicit. Opinio autem ista, quam vulgaris Iudaeorum traditio exhibebat, Abrahamum post patris mortem in Canan. migrasse, facile inde oriri potuit, quod Moses Therachi mortem prius (Gen. XI, 32.) quam iter Abrahami commemoraret. Quod per *πρόληψιν* fecit, quali optimi quique scriptores uti solent. Moses enim quia inde a Cap. Gen. XII. non amplius de Theracho verba facturus erat, semel iis, quae ad eum pertinebant, defungi voluit;

quo peracto, Abrahami vitam narrare orsus retrogreditur, et quid eum moverit, ut solum natale verteret, plenius exponit. Ceterum bene observavit *Heinrichsius* ad h. l.: Perspicuum est, res in Pentateucho narratas ipsas quidem magni momenti semper habitas fuisse; singulas autem rerum opportunitates et circumstantias parum curatas fuisse, neque tanti habitas, ut in eis enumerandis religiosius quaereretur, num et in singulis minutiis cocinerent documentis classicis, in quibus scripta prostant. Ita cum narrationibus mythicis Graecorum Romanorumque rem comparatam fuisse, inter omnes constat. Pari enim modo se habere antiquissimam gentis Isr. historiam tum ex his orationis nostrae locis addiscimus, tum ex Iosephi *Antiq.* I, 6, 5. Philo *de migr. Abrah.* XI, 6. XII, 8. etc.

5. Καὶ οὐκ ἔδωκεν — τέκνου.) *Nondum ei dederat possessionem in hac*, scil. terra, *ne latum quidem pedem, et tamen eam ipsi et posteris ipsius possidendam promisit, etsi nondum prolem haberet.* Καὶ οὐκ ἔδωκεν) καὶ Particula initialis. οὐκ pro οὔπω, vid. not. Io. VII, 8. ἔδωκεν verte in Plusquamp., quo sensu haud raro Imperf. ponitur. Voc. κληρονομία sunt qui h. l. vertant: *sedes fixa.* Nam, inquiunt, *possedit* Abrahamus in Canan. *agrum*, quem sepulturae causa emerat (Gen. XXIII.) Sed h. l. sermonem non esse de agro ab Abrah. *emto*, sed potius significari totam terram Canan., cuius *ne latum quidem pedem* adhuc *Deus* Abramo *possidendum dederat*, nemo non videt. Κληρονομία autem proprie notat *haereditatem*, tum *possessionem quamcunque*, e. c. agros, qui alicui possidendi traduntur *(Landeigenthum)*, ut h. l. οὐδὲ βῆμα ποδός) Sic Deut. II, 5. transfertur רֶגֶל־כַּף. Locutio

proverbialis, qua *ne tantillum quidem*, vel potius *nihil* significari solet. Sic Cic. *ad Attic.* XIII, 2.: *quomodo nunc est, pedem ubi ponat in suo, non habet.* Καὶ ἐπηγγείλατο) καὶ, *et tamen.* Respiciuntur loci Gen. XII, 7. XIII, 15. XVII, 8. Laudatur fides Abrahami, credentis Deo, quamvis nondum appareret, quomodo facturus esset Deus id, quod promiserat; quum illo tempore ne tantillum quidem in Cananaea possideret Abrahamus, nec ulla ei esset proles, quae post se terram possidere posset. Κατάσχεσις hic est i. q. κατοίκησις, *habitatio*, *possessio*, qua notione saepe est non solum apud LXX., sed et alios, e. g. Ioseph. *Ant.* IX, 1. 2. Apud eundem Iosephum κατέχειν est pro *inhabitare* Ant. I, 11, 4. II, 7, 2. κατασχεῖν τὴν χαναναίαν, *inhabitare Cananaeam.* Verba: καὶ ἐπηγγείλετο — μετ' αὐτὸν nonnulli vertunt: „Et tamen eam ipsi, *posteris nimirium ipsius*, possidendam promisit.“ καὶ explicant: *id est, nimirum.* Sine necessitate. Nam (recte notante *Clerico* ad Gen. XIII, 15.) quamvis Deus Cananaeam Abrami demum posteris, post aliquot secula, possidendam dederit; attamen illa terra, sensu dilutiore, Abramum donasse etiam censeri potest, quum in ea per plurimos annos pacate vixerit, consenuerit, et obierit.

6. Ὅτι — γῇ ἀλλοτρίᾳ) *Posteri tui incolent terram perregrinam*, nempe Aegyptum. Καὶ — τετρακόσια) *Et* (Aepyptii) *serviliter eos tractabunt per annos* 400. Sic in Hebraeo Gen. XV, 13. In Exodo taman XII, 40. Israelitas 430 annos in Aegypto commoratos fuisse, diserte dicitur. Uterque locus non nisi in eo differt, quod in priore numerns rotundus est (solet enim in oraculis minor numerus omitti) pro fracto

et accuratius definito. Locum autem Gen. XV, 13. memoriter laudat Stephanus. *Iosephus* etiam tradit Israelitas in Aegypto commoratos esse 400, vel potius 430 annos, *Ant.* II, 9, 1. et *de B. I.* V, 9, 4. Sed est alius Iosephi locus, *Ant.* II, 15, 2. in quo hos 430 annos ab Abrahamo numerare videtur, quem locum corruptum esse ostendit *Koppius* in Progr., quo *Israelitas non* 215 *sed* 430 *annos in Aegypto commoratos esse* efficitur (Gotting. 1777.) repetit in *Sylloge commentatt. theologicar. edita a Pott* et *Ruperti*, Vol. II. p. 255. sqq. Vulgaris sententia est, Israelitas nonnisi 215 annos in Aegypto commoratos esse, praecipue propter locum Gal. III, 17. ex quo apparere videtur, spatio 430 annorum non tantum tempus servitutis Aegyptiacae, sed etiam totam illam Patriarcharum, Abrahami, Isaaci et Iacobi peregrinationem in Cananaea intelligendam et comprehendendam esse. Sed consilium loci Paullini Gal III, 17. profecto non illud erat, ut *certus* et *accuratus*, *ad rationes chronologicas exactus* annorum numerus commemoraretur, sed hoc tantum, ut *brevi tempore* post promissiones Abrahamo datas extitisse leges Mosaicas ostenderetur, ut bene monet *Koppe* ad h. l. Bene etiam monuerunt Interpp., si h. l. ἔτη τετρακόσια referuntur ad peregrinationem Patriarcharum, non quadrare verba: καὶ δουλώσουσιν αὐτοὺς καὶ κακώσουσιν. Nec, si commoratio in Aegypto tantum 215 annos comprehendisse statuitur, quomodo Israelitae tam brevi tempore ad tantum numerum (Ex. XII, 37. Nnm. I, 45. 46.) creverint, perspici potest. Plura non tam huc, quam ad Gen. XV, 13. Ex XII, 40. pertinentia vid. in *Rosenmuelleri* Scholiis ad illa loca.

7. Κρινῶ ἐγὼ) *Puniam ego;* nam quia poenas iudicium antecedit, *iudicare*, ubi de malis est sermo, perinde est passim ac *punire*, et *iudicium* poenas sonat. ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ) *In Cananaea*, ubi tum Abrahamus erat. Extant haec verba Exod. III, 12. sed Gen. XV, 13. 14. non leguntur. Laudant autem scriptores Iudaici interdum duos locos simul, atque enunciant, ac si ex eodem fonte expressi essent. Pariter Stephanus, loco Gen. XV, 13. 14. memoriter laudato, sensus amplificandi causa coniungit locum Exod. III, 12., cuius verba, quamvis Abrahamo non essent dicta, bene tamen addere potuit, quoniam res in se erat vera. Omnia igitur referenda sunt ad verba: ἐλάλησε δὲ οὕτως ὁ Θεός.

8. Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ διαθήκην περιτομῆς) Nempe post eximia illa promissa. Hoc quoque ad propositum Stephani pertinet, ne crederetur, circumcisionis obedientiam caussam fuisse promissorum. Διαθήκη, *statutum*, decretum, institutio; deinde institutio mutua, *pactum*, *foedus*, mutua promissio, (supra III, 25.) solemni ritu sancita. Vid. *Bretschneideri* Lex. s. h. v. Hoc loco *foederis* notio non apta est; nam περιτομὴ non dici potest *foedus*, sed *signum* foederis. Sic Exod. XVII, 10.: זאת בריתי *hoc* est *foedus meum*, i. e. foederis me inter et vos signum (ibid. Vs. 11. coll. IX, 12.) Circumcisionem tesserae instar Deus voluit haberi, qua suos sit agniturus. Quare διαθήκη h. l. commode vertitur: *mandatum*, *lex*, scil. circumcisionis. καὶ οὕτως — αὐτὸν) *et sic* Abrahamus *Isaacum ipsi natum circumcidit.* Οὕτως *(dem zu Folge)* non tam ad ἐγέννησε, quam ad περιέτεμεν referendum, περιέτεμε τὸν γεγεννημένον Ἰσαάκ, uti recte observat *Heinrichs.* Cf.

Gen. XXI, 3. 4. Alii voc. οὕτως explicant: »ita, ut nosset praeceptum Dei de circumcidendis maribus, genuit« — Ritus autem circumcisionis deinceps per posteros obtinuit. πατριάρχας) i. e. φυλάρχας, φυλάρχους, *tribuum auctores*, ut et commate sequente. Sic et Abraham πατριάρχης Hebr. VII, 4. Confunduntur voces φυλῆς et πατριὰς.

9. Ζηλώσαντες) *Invidia incitati* adversus Iosephum. Ζηλόω quemlibet vehementiorem affectum designat, h. l. *invidere*, uti ζῆλος, *invidia* infra XIII, 45. ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον) *Vendiderunt in Aegyptum* scil. abducendum. Ἀποδοῦναι quidem est, *debitum reddere*, sed ἀποδίδοσθαι quod verbum apud Alexandrinos Interpretes, loco Hebraei נתן Prov. XXXI, 24. legitur, *vendere* denotat, et apud optimum quemque Scriptorem eadem significatione obvium est. Philo autem eodem sensu, de ipsa venditione Iosephi utitur vit. Ioseph. p. 28. D. in quo ipso loco permutatur etiam cum πιπράσκειν. Sed ἀποδίδοσθαι εἰς Αἴγυπτον est vendere vel ea conditione ut quis avectus abducatur in Aegyptum, vel, mercatoribus Aegyptum petentibus. Sic apud Xenoph. Ephes. V.: κελεύει ἀποδίδοσθαι (Ἀνθίαν) εἰς Ἰταλίαν. Καὶ ἦν ὁ θεὸς μετ' αὐτοῦ) *Sed Deus a partibus eius stabat*, ipsi favebat, sub peculiari tutela eum suscipiebat. Sic c. X, 38. ut et Io. VIII, 29. Hebraismus.

10. Ἔδωκεν αὐτῷ χάριν καὶ σοφίαν ἐναντίον Φαραώ) *Dedit ei, ut gratiosus esset sapientia apud Pharaonem.* Sua autem hic inprimis σοφία intelligitur, quae in explicandorum somniorum facultate versatur. Hanc Iosephi σοφίαν dicitur Rex Pharao apud Iosephum *Ant.*

II, 5. 7. admiratus esse. χάριν καὶ σοφίαν per hendiadyn pro χάριν σοφίας. χάριν autem denotare *favorem, gratiam, qua apud alios floremus*, notum est. ἡγούμενον ἐπ' Αἰγυπτον) ἡγεμόνα καὶ ἄρχοντα Αἰγύπτου, Principem et gubernatorem Aegypti, vice Regis cuncta regentem, Gen. XLI, 43. καὶ ὅλον τὸν οἶκον αὐτοῦ) Fecit eum etiam aulae suae magistrum.

11. Χόρτασμα) *Pabulum*, plerumque de pecudibus dicitur. Semel tantum in N. T., et quidem h. l., de victu hominum usurpatur. Ita χόρτος in Epigr. Cratetis Thebani in *Anthol. gr.* T. I p. 119. ed. *Iocobs*, ad quem locum Iacobs T. VI. p. 382. observat, χόρτος de animalium pastu ad humanum victum, viliorem tamen plerumque, transferri.

13. Ἐν τῷ δευτέρῳ) Supple χρόνῳ, i. e. quum Iacobus altera vice eos mitteret. Genes. XLIII. ἀνεγνωρίσθη — αὐτοῦ) *Cognitus est Iosephus a fratribus suis*, i. e. notum fecit Iosephus se ipsum fratribus suis.

14. Ἀποστελλας δὲ Ἰωσὴφ) *Misit Iosephus* scil. *nuntios*, seu etiam carpenta et plaustra cum iumentis ad subvectionem, ut dicit *Philo*, de Ioseph p. 562. C. μετεκαλέσατο — ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε) *Invitavit patrem suum, omnemque ipsius familiam, 75 hominibus constantem.* Συγγένειαν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, scil. συνισταμένην. Quum Moses Gen. XLVI, 26. 27. nonnisi 70 homines numeret, in versione Alexandrina autem, et in hac Stephani oratione 75 fuisse dicantur, mire se torserunt Interpretes in conciliando hoc loco cum Mosis narratione. Haud pauci opinantur, Stephanum de iis loqui, qui in Aegyptum invitati fue-

rint, qui erant 75, si uxores Iacobi, Rahel, Bilha et Silpa, ac filii Iudae, Ger et Onan annumerantur; quos Iosephus cum ceteris invitaverat; mortuos quidem esse illos Iudae filios ante adventum in Aegyptum, mortuam etiam Rahelem (Gen. XXXV, 19.), id vero ignorasse Iosephum. Mosen autem loqui de iis, qui in Aegyptum venerunt, quorum nonnisi 70 fuerunt, Et sic Philo distinguit, eo in loco, quo de numero septuagenario allegorice agit, in libr. *de Migr. Abr.* p. 419. B. Cf. inprimis *Krebsii* observ. ad h. l. Sed praeter Rahelem etiam reliquae uxores Iacobi, Lea, Bilha et Silpa mortuae erant, idque haud ignorabat Iosephus, quippe qui multa de familia sua ex fratribus sciscitatus erat, Gen. XLIII, 7. XLIV, 19. Praeterea Gen. XLVI, 26. 27. (cf. Scholia ad eum locum) omnes ibi nominati ex Iacobi femore egressi dicuntur, quod uxoribus ipsius non convenit, et diserte ibi quoque notatur, uxores filiorum Iacobi non esse numerandos. Vid. aliorum coniecturas ap. *Wolfium* et *Bowyerum* ad h. l. Probabillima nostrum locum cum illo Gen. conciliandi ratio est haec: Alexandrinos (quos Stephanus sequutus est) Iacobi posteris quinque filios Manassis et Ephraimi, in Aegypto natos, ex 1 Chr. 7, 14. addidisse. Notandum est etiam hoc, Iudaeos habuisse traditiones vel ore vel scriptis propagatas, quas Alexandrini, Iosephus interdum, Philo plerumque secuti sunt. Non igitur est mirum, Stephanum, Hellenistam, adsuetum versioni Alexandrinae, cum illis Alexandrinis locutum esse.

16. Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχέμ) *Et translati sunt in Sichem.* Nempe Iacobus et Patres nostri. Sed Moses Gen. XLIX, 30. Iacobum sepultum tradit in caverna

Machpela propre Hebron. Hanc difficultatem Viri docti ex loquendi more scriptorum sacrorum, e. g. Exod. XII, 5. ita sustulerunt, ut dicerent, verba Stephani capienda esse ita, ut quidam Patriarcharum, e. g. Iosephus, sepulti dicantur Sichemi, ut testatur Iosua cap. XXIV, 32. quidam vero Hebrone in sepulcro, quod Abrahamus sibi posterisque suis comparavit. In hoc sepulcro sepultus est Abrahamus cum uxore Sara, Gen. XXV, 10. et apud Ioseph. Ant. 1, 17.: *θάπτεται ἐν Χεβρῶνι, μετὰ τῆς γυναικὸς Σάρρας.* Porro, Isaacum, etsi Moses Gen. XXXV, 20. tantum ad patres translatum esse dicit, sepulturae loco non indicato, Iosephus tamen diserte tradit, *Chebrone* fuisse sepultum, Ant. I, 22. De *Iacobo* idem affirmat Moses Gen. XLIX, 29. sqq. et Iosephus II, 8. 7. qui eodem loco testatur, filios ipsius, in Aegypto mortuos, Chebronem deportatos esse, ibique terra conditos. Sed et Iosephi ossa, Hebraei quum ex Aegypto egrederentur in Cananaeam deportarunt, Gen. L, 25. Ioseph. l. c. *Καὶ ἐτέθησαν — τοῦ Συχέμ.*) Sepulcrale monumentum, quod *Abrahamus* emerat, erat Hebrone, nec emtum a filiis Emmor, sed ab Ephrone, Gen. XXIII, 16. Aliud sepulcrale monumentum non Abrahamus, sed *Iacobus* emit a filiis Emmor, Gen. XXXIII, 19. Videntur itaque *vel* duae rationes esse confusae, aut a Stephano, aut a librario quodam; *vel* diversae exstitisse traditiones. Scilicet (*Kuinoelio* observante) vulgaris Iudaeorum traditio erat, non tantum Iosephi, sed etiam undecim fratrum ipsius ossa Sichemi fuissa condita. Vid. loca e scriptis Rabbinorum a Lightfooto et Wetstenio ad h. l. allata. Etiam Hieronymus Ep. 86. Paulam matrem eorum monumenta prope Sichemum vidisse testatur: *venit Sichemum, at-*

què inde divertens vidit duodecim Patriarcharum sepulchra. Hanc vero traditionem Stephanum sequutum esse, *Kuinoelius* arbitratur, qui praeterea: »hae difficultates,« inquit, »meo quidem iudicio, commodissime solvuntur, si μετετέθησαν et ἐτέθησαν referuntur tantum ad verba οἱ πατέρες ἡμῶν, et vocabulum Ἀβραὰμ tamquam spurium e textu eiicitur, ut adeo verba reddenda sint: *translati sunt Sichemum, et conditi in sepulcro, quod emtum erat* (ὠνήσατο impersonaliter sumto), *argenti pretio, a filiis Hemori,* patris *Sichemi* « Varias eruditorum sententias de optimo difficultates removendi modo vid. ap. *Bowyerum* in coniecturis, *Wolfium* in Curis, *Kuinoelium* ad h. l. Digna tamen est quae adhuc afferatur *Heinrichsii* sententia: »Sed quum omnia, quibus expedire se ex his laqueis conati sunt, impeditiorem rem reddant et contortiorem, nil restat, quam assumere, aut Stephanum ipsum, aut traditionem, quam sequutus est, confudisse locum Gen. XXIII. cum XXXIII. Quae confusio quam facile accidere potuerit, tum ob remotiora antiquitatis tempora, tum quod utrobique de emtione agri sermo est, tum denique, quod nomina Ephron, Hebron, Hemmor, sono parum differunt, lubenter largiemur. Conferamus tamen ea, quae ad Vs. 4. scripsimus (a nobis quoque ad illum loc. allata), apparebitque, traditionem hanc, quamvis diversam et confusam, tenaciter tamen retinuisse illam rei summam: *Iacobum* etc. *non in terra extera, sed apud patres sepultura affectum fuisse.*»

17. Καθὼς — τῷ Ἀβραὰμ) *Quum iam appropinquaret tempus, quo Deus praestare voluit id, quod iureiurando promiserat.* Promiserat Deus Abrahamo

prolem numerosissimam, liberationem posterorum ipsius ab eorum oppressoribus (Vs. 7.) et Cananaeae possessionem, Gen. XII, 7. XV, 13. sq. XXII, 16. Quae promissiones h. l. respiciuntur. Ὁ χρόνος τῆς ἐπαγγελίας est i. q. χρόνος τῆς πληρώσεος τῆς ἐπαγγελίας, tempus, quo Deus facere voluit, quod promiserat.

18. Ἄχρις οὗ ἀνέστη βασιλεὺς ἕτερος) *Rex ortus ex alia familia;* id enim ἕτερος hic denotat, quod dilucide cognoscitur ex Iosepho Antiqq. Lib. II, 9, 1. Ὃς οὐκ ᾔδει τὸν Ἰωσήφ, *qui Iosephum non noverat.* Quod vulgo explicant: infenso in Iosephum animo erat; eius nullam rationem habebat; eius merita agnoscere nolebat; immemor erat Iosephi meritorum. Non enim credibile esse, novi regis tempore memoriam Iosephi periisse. Nihil tamen impedit, quo minus illud οὐκ ᾔδει sensu proprio intelligamus. Auctor enim est Manetho apud Iosephum *contra Apion.* I, 14., potitos esse circa illa tempora homines genere ignobiles ex regionibus ad orientem sitis, quos nonnulli dicerent fuisse Arabes, Aegypto, principibus eius in potestatem redactis. Vocatam fuisse gentem illam Aegyptiis Ὑκσὼς, i. e. βασίλεῖς ποιμένες, *pastores regios.* Postquam autem per totam Aegyptum crudeliter desaeviissent, regem sibi e suis elegisse, cui nomen esset Σάλατις. Hunc Salatin verisimile est fuisse illum *regem novum.* Is enim quum esset alienus (ἕτερος), utpote Arabs, de Iosepho nihil antea audierat, neque grato animo eius in Aegyptum beneficia recolebat. Plura vid. in Scholiis ad Exod. I, 8. Cf. E. F. C. *Rosenmülleri Handbuch der bibl. Alterthumskunde. Vol. III. p.* 312.

19. Οὗτος κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν) Recte Vulgatus: *Hic circumveniens genus nostrum.* Nam

κατασοφίζεσθαι in hoc Lucae loco est *callida fraude decipere et circumvenire*, ut apud Ioseph. Ant. VI, 11, 4. de Michala Saulum, patrem, decipiente et ex eius insidiis Davidem eripiente: μεμφομένου τοῦ πατρὸς αὐτὴν ὅτι σώσειε μὲν τὸν ἐχθρὸν αὐτοῦ, κατασοφίσατο δ'αὐτὸν, *quum pater eam reprehendisset, quod eius inimicum servasset, ipsum autem callide decepisset.* Suidas: τεχνῇ καὶ μηχανῇ τινι κακοῦν. Eodem sensu Exod I, 10. usurpatur verbum חכם, *sapiens, callidus fuit*, quod in Hithpael *arte uti, callidum consilium inire* significat. Nimirum, quum non ausi essent rex eiusque consiliarii, in Hebraeos vi aperta desaevire, ob ingentem eorum multitudinem, varias artes excogitarunt, quibus sensim illos imminuerent; cf. Ex. I, 9. sqq. ibique notata in Scholiis. τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν) Omnino haec referenda sunt ad ipsos Israelitas, hoc sensu: *Rex afflixit patres nostros, adeo ut infantes suos* (αὐτῶν enim legitur,) *exponerent, s. exponere cogerentur.* Minus recte alii, verba nostra ad Pharaonem referentes, vertunt: *liberos abiici iubens*, seu: *ita afflixit, ut eorum infantes exponendos curaret*, ut pro αὐτῶν legendum sit αὐτῶν. Sed ἔκθετα ποιεῖν τὰ βρέφη melius ipsis parentibus, infantes suos exponentibus (ne scil. ab Aegyptiis interimerentur, vid. Exod. I, 22. et ibi not.), quam Regi, convenit. Et ἔκθετα ποιεῖν idem esse ac ἐκτιθέναι probabile reddit Versus 21. Suidas: ἐκτιθέναι τὰ βρέφη, ἀντὶ τοῦ, εἰς βορὰν θηρίοις, ἢ καὶ ἄλλως εἰς διαφθορὰν παρατιθέναι ἐπ' ἐρημίαις. Εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι) *Ne in vita conservarentur*, s. *ne vivi nutrirentur.* Id de infantibus Iudaeorum accipiendum. Phrasis petita est ex Exod. I, 17. 18.

20. Ἀστεῖος τῷ θεῷ) *Venustissimus, longe formosissimus.* Locutio Hebraeis propria. Nam τῷ θεῷ hebraico more additur, ad magnitudinem et praestantiam rei describendam. Sic h. l. Moses formosus fuisse dicitur τῷ θεῷ, ipso Deo iudice, ut Deus ipse eum formosum esse agnosceret. Exprimitur sic maxima venustas. Cf. Ionae c. II, 3. Infantis Mosis eximia forma Exod. II, 2. describitur verbis: כי טוב הוא, ubi LXX. quoque utuntur voc. ἀστεῖος (proprie *urbanus, facetus*, ab ἄστυ, *urbs*). Moses etiam in Epist. ad Hebr. XI, 23. ἀστεῖον παιδίον vocatur, loquendi ratione graeca. Versio neograeca: εἶχε θεῖαν εὐμορφίαν. Hesychius: ἀστεῖος, ὁ χαρίεις, ὁ ἐπίχαρις. Iosephus, praedicans formam Mosis, Ant. II, 9, 7., vocat παῖδα μορφῇ θεῖον, *puerum formae praestantissimum* (id enim denotat θεῖος) quam *venustatem formae* paullo ante ita expressit, ut Mosi εὐμορφίαν, θαυμαστὸν κάλλος et ἀνάστημα tribueret. Neque aliter Philo variis locis de hac Mosis forma.

21. Ἀνείλατο αὐτὸν) *Suscepit eum*, quasi naufragum. αὐτὸν redundat. *Hesychius*, hunc locum forte respiciens: ἀναιρεῖν, κρύπτειν, τὸ τεχθὲν ἀνατρέφειν. Ἀναιρεῖσθαι dici inprimis de iis, qui liberos expositos tollunt et educant, multis exemplis Wetstenius ad h. l. docuit.

22. Καὶ ἐπαιδεύθη — Αἰγυπτίων) Sapientia Aegyptiorum cernebatur inprimis in astrologia, somniorum interpretatione, prodigiorum effectione, arte medica, physica, mathematica, hieroglyphica etc. Ioseph. *Ant.* II, 13. 3. His ergo aliisque sapientiae Aegyptiorum partibus institutus est Moses a sacerdotibus, qui regni senatusque principes, et regum regiaeque familiae ma-

gistri erant (Diod. Sic. p. 46. D.) Quod quamvis in libris Mosaicis expressis verbis non dicatur, traditio tamen ferebat, et credibile est, quum studiose filii instar a Pharaonis filia educatus esset Moses, Exod. II, 10. Mosen medicinae suo aevo fuisse peritissimum, multis ex legibus praesertim in Levitico apparet. Singulas partes sapientiae Aegyptiorum commemorat Philo L. I. de vit. p. 606. A. Sed et Graecorum artibus, a magistris, magnis e Graecia praemiis invitatis, eruditum esse Mosen eodem loco refert. Haec quidem ficta sunt. Sed Aegyptios semper ceteris nationibus sapientiores habitos esse, satis constat. Vid. 1 Reg. IV, 30. Ies. XIX, 11. 12. Plura veterum de hac re testimonia congessit *Wetstenius* ad h. l. δυνατὸς ἐν λόγοις) *Eloquens.* Scilicet δυνατὸς ἐν λόγῳ, qui alias δυνατὸς s. δεινὸς λέγειν dicitur, est *vi persuadendi pollens, qui oratione animos auditorum flectere, tenere, et propemodum cogere potest.* Natura Moses erat lingua balbutiente (Exod. IV, 10. VI, 12.), neque adeo ulla dicendi vi praeditus; posteaquam vero Deus ei dicendi vim largitus erat, (Exod. IV, 12.), tum vero factus est πλήθει ὁμιλεῖν πιθανώτατος, *summa vi populo persuadendi pollens*, ut loquitur Iosephus *Ant.* III, 1. 4. II, 12. 2. Mosi autem in dicendo adiunctus erat Aaron, frater, de quo Deus Exod. IV, 16. loquitur: *Et futurum erit, tu is tibi sit pro ore*, pro interprete; *tu vero eris ei pro Deo*, qui hominis menti cogitationes suggerit; ita tu Aaroni mandata, quae tibi dederim, indicabis, quae ille tui loco proloquetur. Sic semper fere Aaron coram Pharaone in Aegypto loquebatur. Sed ipse Moses diuturniore exercitatione illud linguae vitium superasse videtur (non enim ulla styli infacundia laboravit, sed

potius balbuties orta videtur ex eo, quod labia aut loquendi organa minus apte ad usum disposita haberet, cf. Scholl. ad Ex. VI, 12.) Nam relicta ab Israelitis Aegypto ipsum Mosen sermones orationesque frequentes coram populo suo habentem audimus. Potest etiam id, quod de Mosis eloquentia dicitur, ad scripta eius referri, ex quibus patet, eum vi quadam singulari in dictandis legibus, et narrandis rebus gestis praeditum fuisse. Quin autem verissime dicatur a Stephano *δυνατὸς ἐν ἔργοις*, *rebus gerendis aptissimus*, dubitari non potest per ea, quae de rebus ab ipso praeclare et mirabiliter actis in divinis libris leguntur. Nonnulli Interpp. arbitrantur, h. l. non esse sermonem de Mose Israelitarum duce, sed de eius vita in aula Pharaonis gesta. Hi formulam *δυν. ἐν λογ. κ. ἐν ἔργ.* explicant: oratione et rebus gerendis pollebat; consilia optima dabat, et in rebus gerendis fortissimus erat. Traditionem autem a Stephano expressam credunt, quae Mosen Aegyptiorum contra Aethiopas ducem fuisse statuebat.

23. Τεσσαρακονταετὴς χρόνος) Mosen 40 annos in Aegypto degisse, ipsius testimonio non constat (vid. Exod. II, 11. sqq.); sed haustum est hoc ex traditione, quae reperitur in *Midrasch Rabba Bereschit.* *ἀνέβη ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτοῦ*) *Venit ipsi in mentem*, sc. *διαλογισμός*, (coll. Luc. XXIV, 38. *Ἀδελφοὶ* h. l. sunt *populares*. *Ἐπισκέψασθαι*, *visere*, ut nempe statum eorum accuratius cognosceret, iisque opem ferret. Eodem sensu Deus visitare homines dicitur. Edoctus Moses, se ortu Hebraeum esse egressus est regia, atque Aegyptiorum consortio, a quibus fratrum sortem curiosius sciscitari forsan non audebat.

24. Ἠμύνατο.) *Opitulatus est* vim illatam propulsando. *Hesychius:* ἀμῦναι ἐκδικῆσαι, βοηθῆσαι. Ἀμύνομαι, iniuriam propulso, vim arceo, resisto, propugno pro aliquo. καὶ ἐποίησεν ἐκδίκησιν τῷ καταπονουμένῳ) *Defendit*, et ab iniuria vindicavit *eum, qui opprimebatur.* πατάξας τὸν Αἰγύπτιον) Ad mortem usque, ut apparet infra Vs 28. Moses ipse hoc suum factum nec approbat, nec vituperat, sed iudicium lectoribus suis relinquit. Stephanus laudat factum, et clare innuit (v. 25.), Mosen voluisse excitare populares suos ad propulsandam a se Aegyptiorum nefandam tyrannidem.

25. Ἐνόμιζε — οὐ συνῆκαν) Ex eo Mosis animi robore, quo ausus erat ulcisci Aegyptii illius hominis facinus, obscure concludere poterant Israelitae, hunc tantum virum fortassis aliquid maius moliturum esse. Sed rem non comprensam esse a multitudine exemplo probatur Vs. sq.

26. Τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ) *Die posterō*, secundo, Exod. II, 13. Ὤφθη αὐτοῖς μαχομένοις) αὐτοῖς, pro τισὶ, *Apparuit* i. e. *ex improviso supervenit*, quum duo eorum rixarentur, in Hebraeo נִצִּים, quod et alibi per μάχεσθαι vertitur (Exod. XXI, 22. Levit. XXIV, 10. Deut. XXV, 11.) Neque enim sola *litigatio* significatur, sed indicatur, viros illos se verberibus invicem excepisse. Vid. not. ad Ex. II, 13. συνήλασεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην, *compulit eos ad pacem et concordiam.*

29. Ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ) *Propter illud dictum* (wie er das hörte), Marc. X, 22. Ἐγένετο πάροικος, *commoratus est exul.* Μαδιὰμ erat regio Arabiae Petraeae

ad austrum et orientem terrae Canaanis, vid. not. ad Exod. II, 15.

30. Ἐτῶν τεσσαράκοντα) Vid. not. ad Vs. 23. Ἐν τῇ ἐρήμῳ τοῦ ὄρους Σινᾶ) Exod. III, 1. circa montem *Chorebum* haec evenisse narrantur. Chorebus autem et Sinai sunt duo iuga unius eiusdemque montis, quorum iugorum quod Sinai dicitur est ad Occidentem, Chorebus ad Orientem. ὤφθη αὐτῷ ἄγγελος Κυρίου) *Apparuit ei nuncius Iovae.* Qui hic et Ex. III, 2. *Iovae nuncius*, idem in illa narratione אלהים et יהוה a Mose promiscue appellatur, et ipse hic angelus se nominat יהוה Ex. IV, 11. אלהים III, 12., coll. ibid. Vs. 6. 15. 16. 18. IV, 5. Intelligendus est mediator, seu summi Numinis internuntius, cuius ministerio illud, referente Mose, in populo Hebraico gubernando et moderando est usus. Ille igitur Dei nuntius apparuisse Mosi dicitur ἐν φλογὶ πυρὸς βάτου, *in igne flammae rubi*, i. e. in rubo ignito et flammeo, seu simpliciter *in rubo ardente.* Quod vero Iova in specie flammae Mosi apparuisse dicitur, congruum est vetustissimorum hominum opinioni, sub ignis specie et Deum ipsum, et alias humana praestantiores naturas sese mortalibus conspiciendas praebere. Plura vid. in Scholl. ad Exod. III, 2. E sententia *Mori* fuit meteoron, ut interdum procul stantibus circumiacentes regiones ardere videntur prae rubedine coeli, praesertim ubi copia vaporum incendi solet, ita ut ardeat locus, nec tamen consumatur.

31. Κατανοῆσαι) Κατανοεῖν h. l. est, quod Latinis dicitur, *contra intueri, accurate aliquid oculis perspicere.* Versio LXX. לראות Exod. III, 4. hac voce

expressit. Eodem sensu est haec vox apud Iosephum, aliosque Scriptores. Ἐγένετο — αὐτὸν) *Vox Dei eum ita allocuta est.* Multis Interpretibus Moses non auribus videtur percepisse vocem articulatam, sed cogitationes in mente sua exortas habuisse pro voce Dei, excitantis eum, ut liberaret Israelitas.

32. Ἐγὼ — σου) *Ego sum Deus patrum*, maiorum, *tuorum*, scil. quem illi coluerunt, et qui eos beneficiis ornavit. Ἔντρομος — κατανοῆσαι) *Tremefactus Moses non audebat propius intueri* visum. Vitae aut oculis timebant, qui numen aliquod adspiciebant, vid. Scholl. ad Gen. XVI, 13. coll. XXXII, 30. Deut. XVIII, 16. Iud VI, 22. 23. Luc. II, 9. Act. IX, 3. 8. al. Ceterum transposito ordine haec in Exodo leguntur, quae a Stephano Vs. 32. et 33. memoriter citantur.

33. Λῦσον — ἁγία ἐστίν) *Detrahe calceos; locus enim, in quo consistis, sanctus est.* Discalceatum stare vel incedere in locis sacris haud dubie erat indicium reverentiae Deo habendae, cuius vetustissimi moris vestigium praeter nostrum locum etiam Ios. V, 15. reperitur. Vid. *Wetsten.* ad h. l. *Braunius* de vestitu Sacerdot. hebr. L. I. c. 3. §. 40. et 50. et *Krause* ad h. l. Locus ille, ubi rubus ardebat, numinis praesentia veluti consecratus (γῆ ἁγία), ideoque non minore reverentia calcandus erat, quam templa sanctissimis ceremoniis dedicata. Nudi pedes etiamnum apud Orientis populos ad religionem pertinent, et reverentiam erga reges et proceres indicant. Hinc Mohammedani templa sua nonnisi detractis calceis ingrediuntur. Plura veterum de hac re testimonia vid. in Scholl. ad Exod. III, 5. et cf. *das alte und neue Morgenland* P. I. p. 261.

34. Κατέβην ἐξελέσθαι αὐτούς) Dicitur Deus descendere, ubi aut protegit suos, aut hostes ulciscitur. Omnino Deus ex antiqua persuasione credebatur ad humanum morem consilia agitare, deliberare, rebus ex omni parte perpensis decernere, locoque ipsi, quo quid perficere vult, adesse, ita tamen ut in sensus et oculos non incurrat. Maxime autem tum *descendere* dicitur Deus, cum aliquid facit in terra, quod praeter usitatum naturae cursum mirabiliter factum praesentiam eius quodammodo ostendit.

35. Ὃν ἠρνήσαντο) Quem noluerunt agnoscere, ut supra c. III, 13. Praeparantur dicenda de reiecto Messia. Haud obscure Stephanus eo ipso Iudaeos sui temporis taxat, quod aeque ingratos et iniustos se praestiterint erga Iesum, ac maiores eorum erga Mosen. Λυτρωτὴν) q. d. non δικαστήν solum, sed et maius quid, λυτρωτήν, גואל (Ps, XIX, 15.), redemtorem, liberatorem, ducem per desertum. ἐν χειρὶ ἀγγέλου, *per angelum*, ex noto Hebraismo, quo ביד vertitur *per*. Exod. capp. I. II. III. modo Deus ipse allocutus esse Mosen, modo angelus ad eum missus esse dicitur. Utrumque idem fere est; nam ipsi Deo tribuendum id quoque est, quod per angelos facit. Constans fuit Iudaeorum opinio, per illum angelum missum ad Mosen, Israelitas ductos per desertum, monitos et servatos. Cf. ad Vs. 30.

36. Οὗτος ἐξήγαγεν αὐτοὺς) Late praedicat et beneficia, quae Moses populo praestitit, et honores quos a Deo accepit, ut eo turpior sit populi in eum contumacia, minusque mirum, si talibus orti parentibus, in

Iesum ingrati et immanes fuerint. Ἐρυθρὰ θάλασσα) *Mare rubrum*, hebr. יַם־סוּף, propr. *mare algae*, quo nomine designatur sinus Arabicus, quia refertus est in fundo algâ. Plura de variis maris istius appellationibus vid. in *dem alt. u. neuen* Morgenl. P. II, p. 1. sqq.

37. Προφήτην — ὡς ἐμὲ) Vid. supra c. III, 22.

38. Οὗτός ἐστιν — δοῦναι ἡμῖν) *Hic est, qui fuit in coetu in deserto, cum angelo, qui in monte Sinaitico loquebatur cum eo, et cum maioribus nostris, qui accepit praecepta salubria, ut nobis ea traderet.* Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, *in coetu.* Fuerunt, qui putarent, omnem indicari coetum Israeliticum, hoc sensu: in omni isto itinere Moses in coetu Itraelitarum, i. e. inter Israelitas in deserto versatus est cum angelo; qui cum eo in monte Sinai loquebatur, et mediator erat inter angelum et nostros maiores. Sed (recte monente *Krausio*) articulus τῇ indicat, Stephanum certam quandam populi concionem in animo habuisse, scilicet concionem ad audiendam legem convocatam, quia de legis promulgatione (Exod. XIX.) sermo est. Μετὰ τοῦ ἀγγέλου — Σινᾶ) Qui ei legem promulgabat. Deus vocatur a Mose (Exod. XIX, 3. XX, 1.) quem Stephanus hic angelum vocat. Vide modo dicta ad Vs. 30. 35. Γίγεσθαι μετά τινος notat *versari cum aliquo.* Quum Deus per angelum legem perferendam ad maiores nostros curaret, Moses cum illo (i. e. cum Deo, legem promulgante) familiarissime conversatus est. ὃς ἐδέξατο λόγια ζῶντα) Multi explicant: *qui accepit praecepta saluberrima*, ad felicitatem ducentia, ut ζῶντα idem sit quod ζωποιοῦντα. Lex haud raro in V. T. dicitur ζωή, vita,

salus, quatenus ei obtemperantes felices reddit, Deut. XXXII, 47. al. In universum autem λόγια dicuntur *oracula et effata divina* (Rom. III. 2.; eadem ζῶντα, quippe θεοῦ ζῶντος, vocantur.) Vid. quae de sensu voce. ζῆν et ζωοποιεῖν observavimus in Scholl. ad Ioan. VI, 51. (edit. sexta p. 475.) Parum verisimile est (quod *Krausius* suspicatur) Stephanum Iudaeorum opiniones et commenta secutum esse, qui verba, quibus declarata esset lex per angelos, animata et anima praedita (λόγια ζῶντα) fuisse, fabulabantur. E recentioribus quoque nonnulli vertunt: *viva Dei voce promulgata.*

39. Καὶ ἐστράφησαν — Αἴγυπτον) *Corde reversi sunt in Aegyptum.* Quod alii interpretantur: redire volebant, reditum in Aegyptum animis agitabant; alii rectius: desiderio ardentissimo tenebantur, redire ad mores, idololatriam, luxuriem Aegyptiorum. Nam in iis quae sequuntur sermo est de idolorum cultu, nec eo tempore, quo Israelitae ab Aarone petebant, ut ipsis simulacrum vitulinum formaret, de reditu in Aegyptum cogitabant, sed iter pergere volebant. Israelitas autem idolis in Aegypto cultum praestitisse docet locus Ezech. XX. 7. 8. 24. coll. Levit XVII, 7. coll. Vs. 3), ad quae loca cf. not. in *Rosenmülleri* Scholiis.

40. Ποίησον ἡμῖν Θεοὺς) *Finge nobis Deos.* Sed sub θεοὺς, Exod. XXXII, 1. (ubi cf. not.) אלהים, non intelligendi sunt *plures dii*, Aaron enim unum dumtaxat vitulum, non plures imagines fecit, Hebr. אלהים etiam de uno vero Deo adhibetur, et cum verbo plurali iungitur, ob terminationem pluralem, ut Gen. XX, 13. XXXV, 7. Hoc loco unum tantum Dei simula-

crum significari, apparet quoque ex Neh. IX, 18. Οἱ προπορεύσονται ἡμῶν) *qui antecedant nobis*, qui nobis sint duces itineris. Populi parum culti, vel expeditiones vel itinera facientes, Deorum simulacra praeferre, et ab iis felicissimum eventum expectare solebant. Ubi enim Deorum simulacra conspiciebantur, ibi et ipsis praesentes esse, atque praesidio suo opitulari credebantur. ὁ γὰρ Μωυσῆς — αὐτῷ) Hebraica locutio, pro: τῷ γὰρ Μωυσῇ τούτῳ οὐκ εἴδαμεν τί γέγονε. „Quum abiisset Moses, neque usquam cerneretur nubes, nisi fortasse in aliquo Sinais iugo, Israelitae sine dubio putarunt, Mosen interiisse, neque Deum iis amplius velle leges ferre, sed eas ipsorum arbitrio relinquere; igitur sibi ius esse crediderunt, religionis formam constituere. Ante omnia Deum Israelis simulacro quopiam effingere voluerunt, ut viderant ab Aegyptiis numina omnia sub certis imaginibus coli.“ *Clericus* ad Ex. l. l.

51. Ἐμοσχοποίησαν) Haec vox conficta est ad exemplum multarum, quas ad eum modum finxere LXX. *Fecerunt vitulum.* Quae superstitio scilicet fuit Aegyptiacae idololatriae. Apud hos enim et Apis, mirificus vitulus, cultum habuit divinum. Bovis illius imagine Aegyptii sanctissime colebant *Osiridem*, seu, ut alii volunt, *Mnevim*, qui uterque fuit symbolum Solis. Cf. *Iablonskius* in Pant. Aegypt. L. IV. c. 2. §. 16. *Seldenus* de Diis Syris Syntagm. 1. c. 4. *Bochartus* Hieroz. T. I. L. II, c. 34. edit. Lips. 1793. p. 339. sqq. Τῷ εἰδώλῳ, nempe vitulo ex auro facto, quo uti volebant pro Symbolo veri Dei. Non enim ipsum simulacrum pro Deo habebant, sed peccabant in eo, quod violabant legem Exod. XX, 4. latam. καὶ εὐφραίνοντο —

αὐτῶν) *Et laetati sunt de opere manuum suarum.* Exod. XXXII. Celebrabant epula sacrificalia, edebant, bibebant, surgebant saltandi caussa. Est descriptio diei festi.

42. In explicando verbo ἔστρεψε Interpp. dissentiunt. Erant qui coniungerent cum παρέδωκεν, ita, ut ἔστρεψε vim Adverbii obtineret (ut interdum hebr. שׁוּב), et verba iuncta redderent vel *rursus tradidit*, vel *vicissim tradidit*, hoc sensu: Israelitae deseruerunt cultum veri Dei; ergo Deus vicissim eos tradidit idololatriae. *Heinrichsius* ἔστρεψε et παρέδωκεν connectit cum αὐτοὺς, hoc sensu: convertit animos eorum ab una idololatria ad aliam, atque ad cultum sideribus praestandum pronos reddidit, i. e. Israelitae ex uno idololatriae genere in aliud delapsi, non animalia solum, sed et astra, solem scil. aliaque sidera (Vs. 43) divino cultu prosequuti sunt. Plures aliorum explicationes attulit *Kuinoelius*. Nos quidem cum *Krausio* et *Kuinoelio* verbum ἔστρεψε accipimus pro ἀπέστρεψε, et subaudimus ἑαυτὸν, quae ellipsis frequentissima est, vel τὸ πρόσωπον αὐτοῦ (Ies. LXIV, 7.) Dicitur autem Deus *se* vel *faciem suam avertere*, abscondere, ab iis, quibus infensus est (vid. e. c. Deut. XXXI, 17.); metaphora a regibus desumta, qui eos, quibus indignantur, in conspectum suum admitti vetant; contra amicos, quoties placet, admittunt. Recte igitur *Krausius*, hunc verborum nostrorum sensum constituit: Iratus igitur Deus nil eorum curae habuit, eosque variis flagitiis atque idololatriae crimine pollui passus est. Παρέδωκεν αὐτοὺς) Quum Deus homines *tradere* dicitur peccato, sensus est, eum *permittere* ut homo peccet. Verba

activa saepe usurpantur de iis, qui alicuius actionis non ipsi auctores sunt, sed eius patrandae occasionem tantum praebent, vel eam non impediunt. Est igitur sententia in V. et N. T. satis frequens, qua Deo moderante ea accidisse dicuntur, quibus homines ipsi male et perverse agunt, Deusque illis malis eos quasi tradidisse perhibetur. Plura de hac re vid. in Scholl. ad Exod. IV, 21. Similia occurrunt Rom. I, 24. 28. 2 Thess. II, 11. Στρατιὰ τοῦ οὐρανοῦ, כל־צבא השמים Deut. XVII, 3. significat *sidera*. Στρατιὰ vulgo *multitudinem militum* significat. Hebraei autem, quos Hellenistae imitantur, non militum tantum, sed et rerum aliarum, interque has ipsarum quoque stellarum multitudinem צבא dicunt, Gen. II, 1. Καθὼς — τῶν προφητῶν) In libro 12 prophetarum, qui olim uno volumine iungi solebant. Locus extat Amos V, 25. 26. *μὴ σφάγια κ. τ. λ. Num mihi victimas et ferta obtulistis per quadraginta annos in deserto, Israelitae?* Σφάγια, *victimae*, sunt *animantia*, θυσιαὶ, alius generis oblationes, ferta. Propheta, cum negat, Israelitas per 40 annos in deserto sacrificia obtulisse Deo, contradicere videtur Mosi Exod. XXIV Num VII. et IX. Respondent interpretes, leges de sacrificiis eorumque ordine et modo eum in finem a Deo datas fuisse, ut non tam in deserto, quam in terra Cananaea observarentur, et propterea maximam partem in deserto fuisse neglectam. cf. Deut. XII, 8. sqq. Quibus *Dathius* addit: Prophetam hoc tantum docere, Deum non tam victimis delectari, quam potius iustitiae et pietatis studio, quod v. 24. commendarat; propterea eum passum fuisse, ut ille sacrificiorum cultus omitteretur: populum vero abusum esse ista libertate ad alium cultum idololatricum

exercendum. *Lightfootus*, quem sequutus est *Michaelis*, hunc locum intelligit de *sacrificiis spontaneis*, aut plane non, aut raro ad tabernaculum allatis. Nec mirum fuisse, sacrificia illa, quae ipsorum arbitrio magis relicta fuissent, Israelitas idolis potius quam Deo obtulisse, quippe iam ante promulgatas leges ita facere consueverant (Lev. XVII, 7.), et Moses Deut. XII, 8. eosdem arguit, in deserto pro lubitu sacrificasse, ac prout visum ipsis fuisset. Sed optime difficultas tolli videtur, si dicamus, limitanda esse verba Prophetae sic: *Non mihi uni et soli*, non recte, non ex animi sententia sacrificia obtulistis; cultum meum cum idolorum cultu coniunxistis. Certe simili modo Stephanum Amosi dictum intellexisse, ostendit Vs. 44. *Krausius* ad Vs. seq.: non solum illud tabernaculum, in quo *mihi* sacra fiunt (Vs. 44.), vobiscum duxistis, verum et aliud, in quo Molocho cultum adhibuistis.

43. Καὶ ἀνελάβετε — τοῦ Μολὸχ) *Imo vero sustulistis in altum* (circumportastis) *tentorium Molochi.* Est autem Moloch, מֶלֶךְ, *Rex*, ut multi existimant, *Sol.* Minore veritatis specie alii *Saturnum* intelligendum esse putarunt. Sed Israelitae, Aegypto modo egressi, Aegyptiorum idololatriam inprimis imitati sunt. Illi vero Solem, Lunam et reliqua astra sub variis imaginibus coluerunt. Solem quidem *regem* coeli et Lunam *reginam* vocarunt. Idola honore regio culta *reges* vocitabantur. Uti enim Iova *rex* populi sui dicitur (Ies. XLIV, 6.): ita idolorum cultores deos suos reges appellaverunt. Eadem ratio fuit nominis בַּעַל, quod itidem cum falsis diis commune habuit Iova; vid. Hos. II, 15. 16. (al. 18. 19.) In literis sacris *Moloch* voca-

tur idolum Ammonitarum (1 Reg. XI, 7.) et Moabitarum (2 Reg. III, 27), in cuius honorem populi illi Cananaei liberos comburere solebant, uti apparet ex 2 Reg. XXIII, 10. Ier. XXXII, 35. coll. VII, 31. A quo impio cultu Moses Israelitas plus una vice graviter abhortatus est, e. c. Lev. XVIII, 21. XX, 3 — 5. Σκηνὴ) *Tentorium* Molochi vel Regis est tentorium in quo repositum erat simulacrum Solis. Nationes enim paganae, sive in bellum proficiscerentur, sive in colonias migrarent, deos domesticos (lares, penates), et aediculas (ναΐσκους) in quibus repositae erant imagines deorum, secum tulerunt; et in itineribus usi sunt tentorio, quod refigere poterant. Simile *tentorium* seu *tugurium* etiam h. l. sub voc. σκηνὴ, hebr. סֻכּוֹת, intelligendum est. *Michaelis* (Suppll. ad Lexx. hebrr. p. 1747.) arbitratur, non fuisse cistam artificiosam, sed tugurium e levi et portatili materia, ex gramine, ramis et frondibus fabrefactum, quod non magnum erat, sed exiguum, ut clam, Mose et magistratibus insciis, portari, atque, ubi castra figerentur, in tentorii aliquo angulo occultari posset. Ἀναλαμβάνειν respondet Amosi l. c. verbo נשׂא, quod significat *gestare*, secum circumducere (Num. I, 50.) nonnunquam vero *sublime ferre*, *elevare*, *in humeros sublatum ferre* (Ioh. XXXI, 36.) Hinc a LXX. h. l. ἀνελάβετε redditur, i. e. *sursum tulistis*, cum pompa quadam gestastis. Utraque notio verbis נשׂא et ἀναλαμβανειν h. l. convenit. Constat enim, veteres aliquando deos suos in loco secretiori positos secum asportasse, quandoque vero simulacra eorum in humeros suscepisse, vel in thensis aut lectulis multa cum pompa et processionis ritu circumtulisse. Significatur vero hac phrasi insignis honor, quo idola

commemorata habuerunt Israelitae. Καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφάν.) Vocem Ῥεμφάν, seu, uti cum optimis Codd. legitur, Ῥηφάν, *Drusius* aliique existimarunt corruptam esse ex hebraica כִּיּוּן, quo Amosus utitur, quam LXX. interpretes, Caph cum Resch permutantes רִיּוּן legissent, et substituissent Ῥαιφάν, sive ut in aliis Codd. legitur, Ῥεμφά vel Ῥεμφάν. Sed, ut taceamus, רִיּוּן illos potius per Ῥενάν expressuros fuisse, ista coniectura iam ab aliis vanitatis est convicta. Quodnam vero idolum fuerit Ῥηφάν, dissentiunt Interpretes. *Iablonskius* in commentatione peculiari ostendit, vocem esse Aegyptiacam, quae Regem coeli significet, atque eo nomine ab Aegyptiis Solem vocatum esse. Sed hanc *Iablonskii* opinionem multis argumentis impugnavit *Michaelis* in Supplementis p. 1115. *Nic. Guil. Schroederus* (diss. *de Stella Remphan et tabernaculo Molochi*, Marb. 1745.) cui *Eichhornius* (in emendato a se Lexico Simoniano,) aliique accedunt, statuit, *Remphan* esse *Saturni* stellam, quam Copti PHΦAN appellant. Vid. etiam *Deylingii* observatt. sacr. P. II. nro. 37. Cum his Viris doct. etiam nostratium plurimi consentiunt. Neque tamen haec res ita est explorata atque perspecta, ut certi quid definiri possit. Sed plura huc non pertinent. Copiosius de difficili illo Amosi loco, et de versionis Alexandrinae ratione egit *Rosenmuellerus* in Scholiis. Verum sive in hoc Actorum loco duobus hemistichiis idem idolum (per parallelismum membrorum) expressum iudices, scil. *Solem*, sive diversorum siderum, *Solis* et *Saturni*, cultum indicari existimes: sensus idem est, Israelitarum animos a vero Deo ad cultum idolis praestandum fuisse

transversos. τοὺς τύπους) Τύποι hic sunt *simulacra Deorum*, ut apud Iosephum Ant. I, 19. 11. illa simulacra deorum quae Rachel patri suo Labano eripuerat, τύποι vocantur. Apud eundem XV, 9. 5. ἀγάλματα καὶ τύποι μεταμορφούμενοι, *statuae et simulacra* coniunguntur. Hesychius: τύπος, εἰκών. Vocc. προσκυνεῖν αὐτοῖς neque in textu hebr., neque in versione LXX. leguntur, sed Stephanus ipse adiecit. οὓς ἐποιήσατε) Consulto ad ea nomina, quae praecedunt, saepius vates repetit pronomen *vester*, et in fine Versus addit: *quem fecistis* vobis, ut indicet, non illum eos fecisse, ut Deum, sed ipsos eum sibi fecisse, et confinxisse, ut eum adorarent. Ceterum de hoc siderum cultu, cui Israelitae in deserto dediti erant, Moses copiose non egit. Videntur igitur Amosus et Stephanus cultum aurei vituli, cuius Moses mentionem facit, interpretati esse de cultu siderum. Aegyptii enim sub imaginibus duorum vitulorum astra coluerunt. Fortassis etiam Amosus, et ex eo Stephanus addidit hoc Mosaicae narrationi ex aliis fontibus, nempe ex traditione, ore vel scriptis propagata, quae iam in itinere per desertum, praeter vitulum illum aliaque numina, et astra quoque, Solem etc. divino honore celebrata fuisse retulit. Neque tamen Mosen Israelitarum idololatriam ignorasse, docent loca supra in not. ad hunc Vs. et ad Vs. 42. a nobis allata. καὶ μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος) Itaque *transferam vos ultra Babylonem*, in Assyriam et Mediam. καὶ, subaudi διὰ τοῦτο, *itaque*, *quare*. Ἐπέκεινα, ab ἐπὶ et ἐκεῖνα sc. μέρη, et de tempore adhibetur, et, ut h. l., de loco, *trans*, *ultra*. Amosus c. V, 27. habet: *ultra Damascum*, quod sensu non differt. Nam ultra Damascum relegati sunt Iudaei in Assyriam et Mediam. *Hieronymus* ad

Amosi l. c.: „Nec putandus est primus martyr errasse. Magis enim intelligentiam quam verbum posuit. Et hoc in omnibus Scripturis sanctis observandum est, Apostolos et Apostolicos viros in ponendis testimoniis de V. T. non verba considerare, sed sensum, nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant.“

44. Hactenus de idololatria Israelitarum exposuerat; iam cultum memorat, quem vero Deo adhibuerint fidi cultores. Ἡ σκηνὴ — ὃν ἑωράκει) *Tabernaculum testimonii* (conventus) *erat inter maiores nostros in deserto, uti praeceperat is qui cum Mose loquebatur, ut faceret illud secundum figuram quam viderat.* Ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου, *tentorium testimonii.* Sic Alexandrini. Sed in textu hebraico est אֹהֶל מוֹעֵד quod significat *tentorium conventus*, sic dictum, quod conventibus sacris destinatum erat, ibique Deus oracula edere solebat, vid. Exod. XXIX, 42. 43. coll. XXV, 22. Num, VII, 89., a יעד, *convenit.* Sed LXX. מועד derivarunt ab עוד, *testari*, hinc vertunt σκηνὴ τοῦ μαρτ., tentorium, in quo de se testificatus est populumque edocuit Iova; quod tamen non מועד, sed ערות est. Sensus eodem redit. Κατὰ τὸν τύπον ὃν ἑωράκει, *secundum figuram quam viderat* Moses. Res ipsa narratur Exod. XXV, 40., ad quem locum etiam respicitur. Hebr. VIII, 5. Quod in illo loco Mosis dicitur, Deum Mosi monstrasse exemplar tabernaculi, id intelligendum est sic, obversatam fuisse hanc figuram menti eius, Deo sic dirigente.

45. Ἣν καὶ εἰσήγαγον διαδεξάμενοι οἱ πατέρες ἡμῶν) *Quod* (tabernaculum) *patres nostri a maioribus sibi*

traditum acceptumque attulerunt, nempe in Palaestinam. Est nimirum διαδέξασθαι *aliquid ab alio traditum accipere*. Dicendum fuisset διαδεξάμενοι αὐτὴν, scil. σκηνήν. Sed quum ista Accusativi repetitio maxime ingrata fuisset, recte neglecta est. ἐν τῇ κατασχέσει τῶν ἐθνῶν) Plures vertunt: *in occupatione gentium*, i. e. eius terrae quam tenuerant gentes, e conspectu patrum vestrorum divinitus expulsae. Sed rectius explicatur: *in possessionem gentium*, i. e. in terram, a gentibus Cananaeis possessam, ut ἐν τῇ κατασχέσει sit pro εἰς τὴν κατάσχεσιν, ut Num. XXXII, 5. δοθήτω ἡμῖν ἡ γῆ ἐν κατασχέσει, *detur nobis terra in possessionem*. Particulas ἐν et εἰς saepius promiscue usurpari constat. Ἕως τ. ἡμ. Δαβίδ, *usque ad aetatem Davidis*. Possunt haec verba coniungi cum ἔξωσεν ὁ Θεὸς, hoc sensu: devicerunt gentes Cananaeas usque ad Davidis tempora, qui indigenarum Cananaeae reliquias devicit. Malim tamen eorum sententiam sequi, qui illa verba connectunt cum εἰσήγαγεν, ut sensus sit: induxerunt tentorium illud, atque in eo Iovae cultum praestiterunt, usque ad Davidis tempora. Nam in iis quae proxime sequuntur, sermo est de templo exstruendo.

46. Εὗρε χάριν) *Consecutus est favorem Dei*, Deo probatus est, ut Luc. I, 30. Vid. infra XIII, 22. ᾐτήσατο εὑρεῖν σκήνωμα) *Desideravit comparare permanentem sedem*. Sic מָצָא Deut. XIV, 26. per ἐπιθυμεῖν vertitur. Illud εὑρεῖν est sumtum ex Ps. CXXXII, 5. Cupiebat *invenire* scil. locum, occasionem templi exstruendi, i. e. templum exstruere. Σκήνωμα alias quaelibet habitatio, h. l. est templum. Historia legitur 2 Sam. VII, 1. 2.

48. Ἀλλ' οὐχ — κατοικεῖ) Depromtum ex Salomonis verbis 1 Reg. VIII, 27. ubi κατοικήσει, in Hebr. ישב significat *contineri poterit.* καθὼς ὁ προφήτης λέγει) Hunc Iesaiae locum Stephanus admonitionis caussa adiecisse videtur. Iudaei putabant se nunquam carituros esse templo. Stephanus autem monet, Deum non egere templo et habitatione (similia Paulus profert infra XVII, 24.); ergo fieri posse, ut Deus templum Hierosolymitanum sibi structum destrui patiatur, Cf. c. VI, 13. 14. Voc. ναοῖς hoc Vs. obvium in pluribus optimae notae Codd. deest, quare recentiores N. T. Editt. ex ordine eiiciendum esse iudicarunt χειροποίητα etiam LXX. absolute dicere solent de idolis, Ies. XXI, 9. et sacrariis, ibid. XVI, 12.

49. 50. Memoriter ex LXX. laudatur locus Ies. LXVI, 1. 2. *Coelum* Dei thronus dicitur, quia Deus imperat coelo, et *tellus* pedibus eius quasi scabellum, quia tellus etiam subest imperio divino. Utroque igitur tropo exprimitur id: Totus mundus meo subest imperio et regimini. Κατάπαυσις h. l. est *sedes fixa*, מנוחה, ut Ps. XCV, 11., ubi Palaestina quies Iudaici populi dicitur, quia populus ibi sedem fixam et patriam habebat. Quae nunc sequuntur, cum praecedentibus parum cohaerent. Subito enim invertitur dicendi genus, et qui antea tranquillo et sedato sermone historiam et vicissitudines populi exposuerat, iam concitatissima oratione, vehementissimisque conviciis invehitur in iudices. Procul dubio interpellatus fuerat Stephanus; neque tamen, ut nonnulli opinati sunt, ingenti obloquentium strepitu (de qua re tacet auctor, qui tamen Vs. 54. 57. similia interserit), sed, quod vero si-

milius est, nonnisi vultu, risu, gestibus, fortassis et leniori murmure. Nempe synedri, qui de Stephano supplicium sumere iam sibi proposuerant, orationem illius prolixam pertaesi, et haud difficulter perspicientes, quo tenderent ea, quae de numine nullis templis incluso dixerat, indignationem summam prodebant Et hac iam re offensus filum orationis Stephanus abrumpit, animoque concitato pergit.

51. Σκληροτράχηλος) *Durus cervice*, i. e. contumax, pervicax. Frequens in sacris litteris est translatio ista a iumentis, significans refragantem contumaciam. Similiter σκληροκαρδία dicitur Matth. XIX, 8. — ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν) i, e. animum habentes pravis affectibus impeditum, ne audientes quidem praecepta Dei. Mente et auribus Ethnicis similes. Rabbini etiam loquuntur de praeputio aurium, labiorum etc. Quum vero circumcisio symbolum esset foederis Hebraeos inter et Deum, atque animi puritatem significaret, acriter increpantis ista obiurgatio est, adimens Iudaeis laudem quoque circumcisionis, qua insolenter superbiebant. Crebrae sunt huiusmodi obiurgationes in V. T., e. c. Levit. XXVI, 41. Exod. XXXIII, 3. XXXIV, 9. Deut. IX, 6. Neh. IX, 16. Phrasin *circumcidere praeputium cordis*, Ier. IV, 4., coll. Deut. X, 16, Symmachus recte interpretatus est: ἀφελεῖσθαι τὰς πονηρίας τῆς καρδίας. ὑμεῖς ἀεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε) i. e. Dei monitis per Prophetas transversos vos opponitis, ut patet ex statim sequentibus. *Spiritus sancti* nomine h. l. intelliguntur oracula a Prophetis instinctu Spiritus sancti promulgata. Hesychius: ἀντέπιπτεν, ἐναντιοῦτο.

53. Εἰς διαταγὰς ἀγγέλων) *Per constitutiones angelorum*, sive *angelis legem promulgantibus;* angelis in legibus constituendis ministrantibus; nam verbum διατάσσειν, quando sermo est de legibus, significat *constituere, ferre legem.* Posset etiam verti: *per constitutos angelos.* Variae sunt interpretum de huius loci sensu sententiae. Multi his verbis commoti statuunt, legem in monte Sinaitico *per angelos* datam esse, quod potissimum e Gal. III, 19. apparere videtur, ubi disertis verbis νόμος dicitur διαταγεὶς δι' ἀγγέλων, et Hebr. II, 2. λαληθεὶς δι' ἀγγέλων, quas tamen phrases alii ita explicant, ut lex data, promulgata *praesentibus angelis* dicatur, quemadmodum διὰ cum Genit. 2 Tim. II, 2. usurpatur, quia vix possit lex dici lata esse per *angelos* et verbum διατάσσειν auctori legum tribuatur, qui Deus est, non angeli. (Sed Deus auctor legis etiam tum esset, si angelis illam promulgantibus usus fuisset.) *Krebsius* igitur sensum huius loci hunc esse vult: *Qui accepistis legem inter ordines angelorum*, sive *praesentibus angelis*, ita ut simul ministerium eorum e. g. quod tonitrua, flammas, procellas excitarint, tabulas legis Mosi tradiderint, testes denique huius solemnitatis fuerint, indicetur. Prior explicatio *(ministerio angelorum, angelis ministrantibus;)* inde firmari potest, quod διαταγὴ sit *opera*, ut Bezae visum; εἰς autem positum sit pro ἐν, vel ita dicatur ut εἰς τάχος, *celeriter*, εἰς ἀκρίβειαν, *diligenter*, Scholion Cod. Mosq. habet εἰς διαταγὰς, τουτέστι, τὸν ὑπ' ἀγγέλων διαταχθέντα; ut adeo ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων sit i. q. ἐλαβ. τ. ν. διαταγέντα ὑπ' ἀγγέλων, *promulgatam per angelos.* Plurali forma διαταγὰς uti potuit orator, quod vel plura praecepta

data esse, vel non eodem tempore ea promulgata recordabatur. In Exodo quidem cap. XIX. et XX. nulla neque *ministerii*, neque *praesentiae* angelorum mentio fit. Sed quae ibi narrantur de tonitrubus, fulguribus etc., Iudaei ex veteri gentis suae persuasione de *angelis* intelligebant. Vulgarem Christi temporibus fuisse Iudaeorum sententiam de lege Dei per *angelos* data, probat locus Iosephi Ant. XV, 5, 3. et versio Alexandrinorum Deut. XXXIII, 2., qui אשרת per ἄγγελοι reddentes, Iovam angelorum cohortibus stipatum in monte Sinai incedisse dicebant. Addi potest, quod Deus Ps. LXVIII, 18. myriadibus (sc. angelorum) cinctus in montem venisse dicitur, quemadmodum olim in monte Sinaitico maiestate plenus fuerit. Ceterum quamnam huius loci interpretationem praetuleris, sensus eodem redit. Hoc enim vult Stephanus: Vos quidem de legibus vestris tanquam divino instituto vobis concreditis gloriamini, sed parum religiose eos conservate.

54. Ἀκούοντες — ἐπ' αὐτὸν) *His auditis, illi, vehementi ira commoti, frendebant dentibus.* Vide supra c. V, 33. Hesychius: διεπρίοντο, ἐθυμοῦντο, ἔτριζον τοὺς ὀδόντας, ubi pro ἔτριζον legendum esse ἔβρυχον, recte suspicatur *I. Chr. G. Ernesti*, hoc etiam addens, interpretem pro more, parallelo membro usum esse, quo verbum prius explicaret. Per haec signa irae oratio Stephani denuo interrupta est sic ut eam ad finem perducere non posset. Nam sine dubio etiam de Messia repudiato dicturus, et se purgaturus fuisset ab ista accusatione, propter quam ad iudicium vocatus erat. Vana igitur est eorum calumnia, qui Stephanum vituperant, quasi enumerando historiam populi, quam om-

nes a pueris didicissent, nihil ad rem dixisset. Spectandum est nempe consilium narrationis, quod in eo erat, ut ostenderet Stephanus, quomodo Iudaei omnibus temporibus abusi sint divinis beneficiis, et etiamnum abutantur, ut adeo non sit mirum, si tandem aliquando poena in eos ingruat, si templum destruatur, et Mosis instituta mutentur. Hoc omnino fuisse Stephani consilium, tota series orationis ostendit. Vituperant etiam Stephanum, quod quaedam dixerit, quae cum historia V. T. non conveniant, partim ex traditione hausta, partim ex opinionibus scholae Alexandrinae repetita; quod indignum esse putant viro, qui πνεῦμα ἅγιον habuisse dicatur. Sed notandum est, illam phrasin *praeditum, plenum esse Spiritu sancto* non explicandam esse de Θεοπνευστίᾳ stricte sic dicta, sive de communicatione singularum rerum et verborum per Spiritum sanctum; variare potius huius phraseos sensum, ex contexto sermone determinandum. Sic quum Stephanus πλήρης πνεύματος ἁγίου locutus esse dicitur, sensus est, tantam ei, hanc orationem habenti, fiduciam per Spiritum Sanctum esse concessam, ut sine omni dubitatione et metu Senatum Iudaicum ex ipsa historia argueret, Iudaeos omnibus temporibus immorigeros, et dignos fuisse poenis divinis. Ergo hic non est cogitandum de singularum rerum et notionum inspiratione, qua etiam non opus erat Stephano narranti res ex historia Iudaica depromtas ipsique a pueritia notas. Ceterum non desunt exempla sacrorum Scriptorum, qui, etsi inspirati essent, tamen loca V. T. memoriter protulerunt, et secuti sunt traditiones, veluti 2 Tim. III, 8. Iac. V, 17. Unde apparet, Apostolos et Scriptores sacros gubernatos esse quidem a Spiritu

Sancto in *doctrinae christianae capitibus* proponendis, ne aliquid falsi ab iis traderetur, sed in rebus historicis, et chronologicis, aut traditionibus eos usos fuisse suo sensu, et secutos esse usitatas et receptas gentis suae sententias.

55. Ὑπάρχων — τοῦ Θεοῦ) *Sed ille, qui Spiritu sancto plenus erat, coelum intuitus, vidit Deum maiestate conspicuum, et Iesum ad eius dextram adstantem*, i. e. Iesum quoque vidit divina maiestate conspicuum. Πλήρης πνεύματος ἁγίου, i. e. divina vi confortatus, plenus animi fortitudine et tranquillitate. *Heinrichsius:* „non *quum* divina vi firmatum se videret, sed: *prout* erat etc. *Aber als ein Mann, ganz durchglüht von dem hohen Gefühle, wozu das Christenthum ihn begeisterte.*“ Δόξαν τοῦ Θεοῦ, maiestatem Dei *videre*, hoc ad merum visum (ἐκστάσιν) et speciem magnificam oculis oblatam est referendum. Sic Ies. VI., in Ezechielis locis pluribus, et in Apocalypsi Deus in throno sedens fingitur. Vid. inprimis Apocal. IV. et V, 5., quo posteriore loco agni ad thronum stantis mentio fit. Nonnisi hoc N. T. loco Iesus στῆναι ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ dicitur. Quibus verbis (uti multi Interpp. arbitrantur) non tam praedicatur eius regia dignitas, de qua aliunde constat, quam potius auxilium praesentissimum, quo protomartyr a Christo adiutus est. Quum enim Christus quasi in procinctu esset, ut Stephano obviam veniret et succurreret (Io. XIV, 2. 3.), *surgens* atque *adstans* et cogitari et conspici potuit. In eandem sententiam *Gregorius M.*, Homil. 19. in fest. Adscens.: „*Sedere* iudicantis (et imperantis) est; *stare* vero pugnantis, vel adiuvantis. Ste-

phanus stantem *vidit*, quem adiutorem habuit.“ Hanc explicationem sequutus est *Grotius*. Eandem non improbavit quidem *Knappius* (in diss. *de Chr. ad dextr. Dei sedente*. Opuscc. p. 47. sq.) qui tamen haec addidit: „Sed multo tamen simplicius et verius στῆναι ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ explicari arbitramur, *versari*, seu *locum tenere ad dextram Dei*; sicuti Paulus (Rom. VIII, 34.) Christum pro nobis deprecantem (ἐντυγχάνοντα ὑπὲρ ἡμῶν) dicit εἶναι ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ. Atque etiam Petro auctore (ep. I. c. III, 22.) Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ (cf. 1 Io. II, 1. Hebr. VII, 25. IX, 24.) Certe is usus verbi ἱστάω seu ἵστημι haud infrequens est apud classicos atque Iudaeos Graece scribentes; et ipsa quoque verba ἧμαι et καθῆμαι nonnumquam *sum*, *exsisto*, *versor*, significant.“ Sic sensus huius loci satis commodus esset: Stephanus, coelum intuitus, in animi ecstasi conspexit Dei maiestatem et Christum, quem toto animo complectebatur, cum Patre versantem; atque adeo fidei plenus futuram suam beatitatem praevidit. Hocce visum magnam habuisse vim ad animum Stephani exhilarandum, tranquillandum et roborandum, quis dubitet? *Michaelis* aliique dubii haerent, utrum haec Stephano per visum oblata, an tantum verba animi commoti, et fidei plenissimi indicia haberi debeant, q. d. de eo, quod non vidisset, tam firmiter sibi persuasum esse, ac si revera vidisset. Quae tamen sententia a simplici verborum sensu recedit.

57. Synedris et qui de plebe cum iis faciebant, quae Stephanus dixerat, ῥήματα βλάσφημα erant (Mt. XXVI, 64.) Hinc κράξαντες — αὐτῶν, *magno clamore sublato aures obturabant*. Furore abrepti nil amplius

audire volebant, quare clamabant (scil. Stephanum blasphemum esse, lapidandum etc.), ut oratorem denuo loqui incipientem obtunderent. Haec omnia facta sunt per seditionem et tumultum concitatae plebis. Καὶ — αὐτόν) *Unanimes impetum in eum fecerunt*, quasi ex iudicio Zeli, quod stante republica usurpare solebant, sed tantum in eos, qui Iudaeis auctores essent ad falsos cultus. Solebant autem tales lapidari. Deut. XIII, 6. sqq.

58. Καὶ οἱ μάρτυρες) Quanquam per seditionem haec agebantur, tamen aliquid de legitimo more retinebant; testium enim erat, primos iacere lapides, ac sic semet, si quid falsi subesset, sontes facere caedis, populum vero, qui ipsorum auctoritatem sequebatur, absolvere. Vid. Deut. XVII. ἀπέθεντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν) Nempe quo expeditiores essent. Ingentia enim saxa iaci a testibus solebant. Νεανίου) *Adolescens, iuvenis;* deinde *vir iunior*, diciturque de viris iunioribus nondum matrimonio mulieri iunctis, viribusque vigentibus, quamquam aetatem iuvenilem egressis. Saulum iam tum ad aetatem virilem esse progressum, colligi potest ex Philem. 9. Iosephus (Ant. VII, 9, 2.) Davidem cum Goliatho pugnaturum νεανίσκον appellat, quum fere esset triginta annos natus. καλουμένου Σαύλου) Qui tum scholam *Gamalielis* frequentare studiorum caussa solebat, Act. XXII, 3. sed aestu abreptus, a lenitate magistri ad atrociora multorum exemplis patiebatur se trahi, Phil. III, 6.

59. Καὶ ἐλιθοβόλουν — ἐπικαλούμενον) *Et sic lapidarunt Stephanum, qui sic precabatur.* Quia iam Vs.

58. dictum fuerat, ἐλιθοβόλουν, *Marklandus* ad Lys. p. 167. suspicatur, Lucam ibi scripsisse: ἐλιθολόγουν, vel ἐλιθοφόρουν *(conati sunt lapidare, vel lapides sustulerunt)*, sed sine necessitate: nam verbum ἐλιθοβόλουν historicorum more repetitum esse videtur, prouti in lingua vernacula dicere possemus: *Und so steinigten sie den Stephanus. Heinrichsius* illud ἐλιθοβόλουν Vs. 58. explicandum censet: praepararunt se ad lapidandum Stephanum, seu iam in itinere ad supplicii locum petulanter eum lapidibus lacessebant. Aliorum sententias vid. apud *Kuinoelium.* Ἐπικαλούμενον scil. τὸν Ἰησοῦν, ad quem iam preces mittit. δέξαι τὸ πνεῦμά μου) *Suscipe spiritum meum.* Ita appellatur hic et aliis locis *animus hominis*, consistens sua peculiari natura, et mortuum relinquens discedendo corpus. Suscipe spiritum meum, i, e. suscipe me propitius in domicilia coelestia, quorum splendorem modo conspexi, Vs. 55. Sic recte *Heinrichsius* interpretatur.

60. Μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην) *Ne imputes illis peccatum hoc.* Verbum ἵστασθαι saepe est *appendere*, *ponderare*, quia libra erigitur et stat, qua ponderamus, metaphorice est *imputare.* Hebraeis Deus statera hominum facinora examinare sistitur, quando illis est retributurus, ut res in libram coniici solent, quo pro earum pondere pretium statuatur. Integra phrasis est στῆσαι ἐν ζυγῷ, quod supplent LXX. Dan. 5, 27. Iob. XXXI, 6. De verbo κοιμᾶσθαι, vid. quae notavimus ad Io. XI, 11.

CAP. VIII.

Incipit nova historiae christianae periodus. In prima Epocha, cuius historia c. I — VII. narrata est, coetus Christianus ex meris Iudaeis constitit, qui hactenus in urbe Hierosolymorum substiterant. Quanquam enim multi ex iis, qui die pentecostis ex variis regionibus Hierosolyma venerant, post reditum in patrias terras, doctrinae Christianae notitiam aliquam, licet imperfectam dedisse aliis videntur, Apostoli tamen hactenus intra moenia urbis Hierosolymitanae substiterant, nec in aliis locis et regionibus docuerant. Coetus iste Christianorum Hierosolymitanus fuit quidem satis numerosus, sed a Iudaica civitate se non segregaverat. Nam in prima hac Epocha, cuius historiam c. I — VII. relatam legimus, Apostoli ceterique Christiani omnes suberant Senatui Iudaico, frequentabant templum certis precum horis, et in eo docebant. In una re societatis propriae species conspiciebatur, quod nempe Christiani fiscum suum habebant in pauperum emolumentum, et huius fisci administrandi caussa septem viros, quos appellabant *Diaconos*, creaverant. Iam sequitur Lucae narratio de propogatione coetus christiani et fatis religionis.

1. Σαῦλος — αὐτοῦ) *Saulus vero collaetabatur de caede Stephani.* Haec verba coniungenda sunt cum fine capitis praecedentis. Sequitur nunc alia historia. ἐγένετο — Ἱεροσολύμοις) *Exorta autem est illo tempore magna coetus Hierosolymitani vexatio.* Videtur maior pars plebis approbasse caedem Stephani. Audaciores itaque facti assessores Synedrii, alios quoque Christianos vexarunt. πάντες τε — Ἀποστόλων) πάντες

h. l. ut saepissime, sunt *plerique;* si enim omnes Christiani sibi fuga consuluissent, quid opus fuisset Apostolis, conquiescere Hierosolymis? et quo consilio Saulus ivisset domatim, mulieres et viros in custodiam compingendos quaesiturus? (Vs. 3.) Ceterum sapientissimo consilio permisit Deus hanc Christianorum Hierosolymitanorum vexationem, ut citius doctrina Christi spargeretur in vicinis locis et regionibus ab iis qui persecutionis metu fugerant. Apostoli manserunt adhuc aliquamdiu Hierosolymis, quia eorum opera ad confirmandos Christianos erat necessaria. Ceterum verba: ἐγένετο δὲ ἐν τῇ ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ — πλὴν τῶν Ἀποστόλων neque cum antegressis, neque cum iis quae proxime sequuntur, cohaerent De his verbis recte *Heinrichsius:* „Parenthesi," inquit, „inclusa reddidi, non quod a seriore manu cum *Zieglero* (in *Gableri Iournal für theol. Lit.* 1801. Part. I. p. 155.) addita existimem, sed quod transposito et inverso ordine, nescio qua librarii culpa, hic male leguntur ea, quae inter Vs. 2. et 3. inserenda erant novamque narrationem incipiebant. Ita optime procedere ordo mihi videtur."

2. Συγκομίζειν proprie est *colligere* (fruges, Iob. V, 26.), *simul ferre*, h. l. autem *componere et praeparare mortuum ad sepulturam*, *funus curare*, et ex adiuncto: *efferre mortuum*, *sepelire.* ἄνδρες εὐλαβεῖς) *Viri religiosi*, *pii.* Intellige Iudaeos, nec Proselytos, neque Christianos. Quum ipse Stephanus ex Hellenistis fuerat, haud inconcinnum erit, de Iudaeis Hellenistis cogitare. „Iudaei religiosi officii sui esse ducebant, occisos, inprimis innocentes occisos sepelire, vid. 2 Sam. II, 5. Tob. I, 20. II, 3. sqq. IV, 17. XII,

12. sqq." *Kuinoelius.* Καὶ ἐποιήσαντο — αὐτῷ) *Eumque vehementer luxerunt.* Κοπετὸς, *planctus*, significat gestum lugubrem, usitatum gentibus illis, ut indicetur, honorifice curatum fuisse Stephani funus.

3. Ἐλυμαίνετο) *Saeviit* in ecclesiam Hierosolymitanam. Verbum λυμαίνεσθαι (synonymum fere verbi πορθεῖν, infra IX, 21.), *vastare*, non solum de lupis, ursis, reliquisque feris rapacibus, agros depopulantibus, et pecudes interimentibus dicitur, verum etiam de hominibus. Atticis usitatius est cum hoc verbo Dativum casum coniungere. *Saulus ecclesiam labefactabat*, sive *clades inferebat ecclesiae.* κατὰ τοὺς οἴκους εἰσπορευόμενος) *Irrumpens in aedes.* σύρειν, *trahere*, adhibetur de reis, qui ad iudicem, carcerem, sive poenam trahuntur, ut infra XVII, 6., κατασύρειν, Luc. XII, 58. Παρεδίδου εἰς φυλακὴν) *In vincula coniecit, in carcerem inclusit.* Saulus enim hac in re spectandus erat ut vir publica munitus auctoritate. Act. XXVI, 10.

4. Διῆλθον) *Peragrabant* varia loca, i. e. non subsistebant in Iudaea, et Samaria, sed longius etiam ibant, ut a periculo abessent, c. XI, 19, τὸν λόγον) *Illam doctrinam*, nimirum salutis et vitae aeternae. Non inanem et otiosam fugam capessebant, sed ea occasione utebantur ad evangelium aliis regionibus commendandum. Sed nonnisi *Iudaeis* doctrinam Christianam tradebant XI, 19.

5. Φίλιππος) Hunc Philippum non Apostolum fuisse, sed Diaconum (VI, 5.) Graeci recte ex eo colligunt, quod Lucas Hierosolymis mansisse scipserit Apostolos, Vs. 1. et postea Petrum et Ioannem in Samariam mis-

sos esse (Vs. 14. 15.); ut adeo Philippus (qui cap. XXI, 8. Evangelista dicitur) ab Apostolis discernatur. Addunt hoc quoque: Petrum et Ioannem ablegatos esse ad Samaritanos (Vs. 14. 15.) eam ipsam ob causam, quod Philippus adhuc esset Diaconus, nec haberet ius imponendi manus. *εἰς πόλιν Σαμαρείας*) Σαμαρεία eo tempore de regione saepissime dicebatur; h. l. autem urbs intelligitur, quae tum *Sebaste* vocata est, in honorem *Augusti*. Hinc *πόλις* h. l. dictum est pro *μετρόπολις*. Multi ex Samaritanis ipsi Christum viderant et audiverant docentem, Io. IV. Praeterea consentaneum erat, ut Samaritanis post Iudaeos primis Evangelium praedicaretur, quia et in Iudaea habitabant, et Messiam exspectabant.

6. *Προσεῖχον τε κ. τ. λ.*) *Omnis multitudo Philippi dictis assensum praebuit, quod audiebant et videbant miracula ab eo patrata.* *Προσέχειν* significat *animum admovere ad aliquid, attendere, animum advertere.* Quo sensu h. l. nonnulli intelligendum censent, nec admittendam usitatiorem illius verbi notionem: *assentiri, fidem habere, obtemperare.* Non enim credibile esse, omnes Samaritanos *unanimiter*, *ὁμοθυμαδόν*, Christo fidem suam obstrinxisse; id vero miracula Philippi facile potuisse efficere, ut omnes attentas aures eius verbis praeberent. Sed, aliis recte monentibus, neque urgendum est illud *ὁμοθυμαδὸν*, sed de maxima civium parte intelligendum; neque Samaritae in eadem persuasione permansisse credendi sunt. Praeferenda igitur est eorum sententia, qui *προσέχειν* h. l. vertunt *assensum, fidem praebere*, nam permutatur Vs. 12. cum *πιστεύειν*, et Vs. 14. legitur: *ὅτι δέδεκται ἡ Σαμαρεία τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.*

7. Πολλῶν — ἐξήρχετο) Genitivi ad praepositionem ἐκ in verbo ἐξήρχετο pertinent: πνεύματα ἀκάθαρτα (ἐκ) πολλῶν τῶν ἐχόντων (αὐτὰ) βοῶντα μεγάλῃ φωνῇ, ἐξήρχετο, *abibant ex iis, in quibus erant, cum clamore vocis ingentis.* Facile apparet, id quod de *clamore* dicitur, ad *homines* daemoniacos referendum esse, qui in ultima morbi vi clamarunt. πνεύματα ἀκάθαρτα vid. supra V, 16. Marc. I, 23. 26. Παραλελυμένοι, qui in Evangeliis saepe παραλυτικοὶ dicuntur, sunt *enervati, languentibus et debilitatis corporis membris.* Vid. Matth. IV, 24. Χωλοί, *claudi*, Matth. XI, 5. XV, 30.

9. Ἀνήρ — ἑαυτὸν μέγαν) *Vir autem aliquis, Simon nomine, hactenus in urbe ista magicam artem exercuerat, et universum populum captum tenebat, magnum quippe hominem se iactitans.* Verisimile est, Simonem hunc esse eundem cum illo, de quo *Iosephus* (Antiqq. Lib. XX, 7.) haec tradit: *Quum Felix, procurator Iudaeae, Drusillam* (vid. infra XXIV, 24.) *conspexisset — mulieris desiderio tenebatur, et ex amicis suis Iudaeum, nomine Simonem, genere Cyprium, qui pro Mago se gessit, ad eam mittens, suadere nitebatur, ut, relicto marito, ei nuberet. Samaritanum*, et quidem ex vico quodam, *Gitton* nomine, fuisse hunc Simonem, *Iustinus Martyr* in Apol. maiori tradit. Sed in hoc errasse videtur Iustinus, existimans fortasse, Simonem pro Samaritano habendum esse ideo, quia in urbe Samaria commoratus hic dicatur. Sed Lucas non dicit, eum fuisse gente Samaritanum, sed tantum commoratum esse in ista urbe, antequam Philippus advenisset. προϋπῆρχεν) *antea erat,*

existebat, h. l. vim adverbii habet, ut Luc. XXIII, 12. μαγεύων) *magicas artes exercens.* Ab orientalibus populis eximiae sapientiae (philosophiae, rerum divinarum et naturalium, astrologiae et artis medicae) magistri Magi sunt appellati, Persico vocabulo. Vid. Matth. II, 1. Sed ut et aliis vocabulis, bonam rem indicantibus accidit, ob artis abusum in malam partem transferebatur nomen illud ad significandos eos, quos Plautus *praestigiatores* vocat, falsa specie praestinguentes hominum oculos, et miracula superstitiosa vanitate efficientes. Ad quas fraudes quum carmina adhiberent, ab incantando appellati fuerunt incantatores. Inde Lucas duxit verbum μαγεύειν, et postea ab hoc ipso verbo nomen μαγείας. Distinguunt autem Graeci μαγείαν, γοητείαν, φαρμακείαν. Ex eorum numero *Simon* fuisse videtur, qui cum astrorum rerumque naturalium cognitione coniungunt varii generis praestigias, atque de familiaritate sua cum geniis gloriantur. Non enim merum praestigiatorem fuisse Simonem, credibile est, quod Samaritae tanti eum habuerunt; nec probabile est, cum homine, nil nisi praestigias professo, quidquam rei habuisse Apostolos. ἐξιστῶν) Ad tantam admirationem sui homines adducens, ut illi apud sese, sive mentis compotes non essent. λέγων — μέγαν) Itaque certo quodam nomine, quis qualisve esset, aut haberi vellet, tum nondum definivit. Nihil aliud quaesivisse videtur, quam ut superstitiosis et credulis hominibus persuaderet, se esse legatum summi Dei. De formula εἶναί τινα ἑαυτὸν vid. supra V, 36., de verbo ἐξίστημι Luc. XXIV, 22. Nonnullorum opinio, Simonem pro Messia haberi voluisse, vel inde vanitatis potest convinci, quod ipse Si-

mon Apostolorum doctrinam de Iesu Messia probavit et Christo nomen dedit, Vs. 13.

10. Ὦι προσεῖχον πάντες) *Cui addicti erant, quem sectabantur omnes.* Verba ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, pro μικροί τε καὶ μεγάλοι, *parvi pariter ac adulti*, more scribendi hebraico redundant. ἡ δύναμις — μεγάλη) Ἡ δύναμις, abstractum pro concreto: *Homo singulari virtute et vi divina praeditus;* vel ἐν τούτῳ ἡ τοῦ Θεοῦ δύναμις ἐνεργεῖται. Forsan persuadebat plebi, accepisse se a Deo facultatem malis geniis, a quibus humanum genus excruciaretur, imperandi. »Δύναμις Θεοῦ, vis et potentia divina persona humana induta, quae apparet hominibus, sicuti XIV, 11. Forte in ostentandis artibus suis idemtidem crepaverat voces: δύναμις Θεοῦ μεγάλη per me hoc efficit etc. adeoque obstupefacta plebs magum ipsum hoc nomine salutavit.« *Heinrichsius.* Ceterum in Codd. quibusdam legitur: ἡ καλουμένη μεγάλη, quam vocem in ordinem recipiendam esse *Griesbachio* et *Schottó* visum est. De haeresi Simonis consulendi sunt historiae eccl. Scriptores, inprimis vero *Christ. Guil. Frid. Walchius*, in hist. haeresium, Schismatum etc. vernacule scripta. Tom. I. p. 135. sqq.

12. Τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ) De regno divino, quod hic inchoatur, consummabitur post resurrectionem, religionis doctrinam.

13. Ὁ δὲ Σίμων κ. τ. λ.) *Tunc Simon et ipse credidit, et quum baptizatus fuisset, adhaerebat Philippo; videns enim insignia facta et miracula (σημεῖα καὶ δυνάμεις,* vid. II, 22.) *fieri, stupens admira-*

batur. Quum Simon factis mirandis multo inferiorem se Philippo cerneret, ipse se ei associavit. Speravit enim, fore, ut ipse eandem insignia illa facta edendi peritiam acquireret, quo maiorem sibi famam compararet et turpem quaestum faceret. Ἐπίστευσε) Credidit, Christum fecisse miracula, et resurrexisse a morte; non autem propositum addidit, vivendi secundum Christum; vel simpliciter: *religionem suscepit;* id enim saepe est πιστεύειν, vel potius *simulavit*, se religionem christianam suscipere velle. ἦν προσκαρτερῶν τῷ Φιλίππῳ) Assiduus apud Philippum erat, sectabatur eum, eiusque institutioni iugiter attendebat.

14. Ἀπέστειλαν — Ἰωάννην) Ut comprobarent et absolverent, quod per Philippum erat coeptum. *Noesseltus* (disp. *de Spir. S. primis Christ. ab Apostolis per impos. manuum tradito*, in Exercc. ad sacr. Script. interpretationem) idcirco putat eo profectos fuisse Apostolos, ut Christianos e Samaritanis conversos confirmarent contra invidiam eorum, qui ex Iudaeis ad christianam fidem accesserant; negat autem, ea mente venisse, ut manuum impositione Spir. S. neoconversis traderent. Verum licet id eis in itinere suscipiendo consilii fuisse diserte non affirmetur, legimus tamen, eosdem post adventum statim preces Deo adhibuisse, ut Spir. S. dona impertiret Samaritanis. Tum ad transitum in coetum Christ. non solum baptisma requirebatur (vid. ad II, 41.), sed (observante *Eichhornio* in *Allg. Bibl.* T. III. p. 409. sqq.) Apostoli rem iam sic instituisse videntur, ut baptisma et institutionem sequeretur solennis manuum impositio. Vid. Hebr. VI, 2 Philippus Samaritanos baptizaverat et edocuerat; ab initio enim solennis benedic-

tio Apostolorum manibus adstricta fuisse videtur. Progressu vero temporis, quum latius propagaretur religio Christiana, etiam alii doctores proselytis solenniter manus imponere poterant.

15. Προσηύξαντο — ἅγιον) *Pro iis deprecati sunt, ut acciperent Spiritum sanctum.* In locis N. T., qui tradunt, quosdam, suscepta fide Christ., per Apostolos, impositis manibus, quamquam et adhibita invocatione Dei et accuratiore in doctrina christ. institutione, *Spiritu Sancto* imbutos fuisse, in universum intelligi debet effecta his omnibus singularis animorum concitatio, qua tanquam divini Numinis afflatu se senserunt impulsos, ut illam doctrinam laeti ac imperterriti profiterentur. Interdum, si Deo sic visum fuerit, ad illam Spiritus S. impertitionem accedebat et vis linguis peregrinis loquendi. Qua de re, quamvis disertis verbis non legitur, etiam hoc loco cogitandum esse nonnulli ex analogia historiae illius Apostolicae concludunt. Vid infra c. X, 44. 46. XIX, 2. 6. Nam πνεῦμα ἅγιον conspicua quaedam sui documenta dedisse, ex animadversione rei et admiratione, qua Simon Magus afficiebatur (Vs. 18.) intelligi licet. Hanc sententiam probavit *Storrius* in Opusc. Vol. III. p. 178. Alii tamen, inter quos *Eichhornius* (l. c.), negant, per πνεῦμα ἅγιον intelligendam esse vim peregrinis linguis loquendi, et hoc, quod conspicuum factum sit solum, enthusiasmum quendam et singularem affectum, per preces Apostolorum in animis Neochristianorum effectum, fuisse arbitrantur; suspiria etiam, lacrymas, gratiarum actionem ardentissimam pro beneficiis Dei per Christum collatis, testes fuisse ignis sacri, quo eorum animi incensi flagrabant. Plura vid. infra ad c. XIX, 1. sqq.

16. Οὔπω — Ἰησοῦ) Sensus est, eos nondum extraordinariis donis fuisse instructos, sed tantummodo baptismate suscepto nomen dedisse Christo; professos esse publice religionem christianam.

17. Τότε — ἅγιον) Phrases *imponere manus*, *et precari* (v. 15.) sunt synonymae. Impositioni manuum, qua significabatur, ratas fore preces, nihil tribuitur in se, sed manifeste coniungitur illa cum precibus. Vide de hoc ritu dicta supra ad c. VI, 6., infra XIX, 6.

18. Ex his patet, Apostolos eiusmodi aliquid effecisse, quod Simon per artes magicas et praestigias nullo modo efficere poterat. Putavit fortasse ope geniorum et daemonum talia peragi ab Apostolis; si enim credidisset, divina esse illa dona, non obtulisset pecuniam pro illis acquirendis.

20. Τὸ ἀργύριον — ἀπώλειαν) *Pereas tu et pecunia tua tecum.* Hebraica imprecandi formula. Latine diceres: *Cum pecunia tua in malam rem.* ὅτι τὴν δωρεὰν — κτᾶσθαι) quoniam sperasti comparare pecuniis id, quod donum est Dei.

21. Οὐκ ἔστι σοι — λόγῳ τούτῳ) *Non es particeps neque consors huius rei*, nihil tibi cum hac re commercii est; tu nullo pacto accipies potestatem aliis manus imponendi, ut iis πνεῦμα ἅγιον conferatur, nec ipse quidem illud donum accipies. Locutio est mere hebraica, quae illustrari potest ex 2 Sam. XX, 1. ἡ καρδία — τοῦ θεοῦ) *Animus tuus non est integer ac sincerus.* Verborum ἐνώπιον τοῦ θεοῦ haec vis est: ut

intelligamus, *esse quempiam revera et manifeste talem, qualis esse dicitur.* Cf. Luc. I, 6.

22. Δεήθητι — τῆς καρδίας σου) *Roga Deum, ut remittatur tibi prava cordis cogitatio, s. dolus.* Omnino εἰ ἄρα reddendum est *ut*, non, ut vulgo, *an forte, si forte*, quod ab oratione et cohortatione Petri plane alienum est. Sic εἴ πως Thucydidi III, 45. et Philoni de Decal. p. 752. E. Ita *Krebsius* ad h. l., qui addit: „si preces Simonis sincerae et piae fuerint, peccatorum remissionem dubiam esse futuram quis credat? imo certissima remissio sequebatur.“ Perraro autem particula εἰ ἄρα significationem illam affirmativam admittit. Nec opus est, ut solitam eius notionem negligamus. Fortassis enim haec verba populariter intelligenda sunt, indicantia difficultatem rei, hominem talem, his fraudibus repletum difficulter ad se rediturum esse, ut hoc sibi velit Petrus: noli leviter tractare hanc rem. Etenim dubitatio non Dei benignitatem spectat, sed Simonis emendationem, de qua exigua spes reliqua erat, coll. Vs. 23. Ἐπίνοια, *cogitatio animi, consilium* h. l. in malam partem sumitur pro *dolo, malo consilio*, qua notione est apud Iosephum in sua ipsius vita §. 44. συνεὶς τὴν τῶν γεγραφότων ἐπίνοιαν, *quum scribentium fraudem dolumque intellexissem.* Possunt etiam verba: ἐπίνοια τῆς καρδίας coniuncta intelligi de *depravato totius animi habitu*, uno verbo: *malitia, versutia*, ut non de singulo quodam malo consilio accipiantur.

23. Εἰς γὰρ χολὴν — ὁρῶ σε ὄντα) *Cerno te esse in amara acerbitate et vinculo iniustitiae;* i. e. *te execranda impietate et vinculis scelerum implica-*

tum. Nos diceremus: *du bist ein bitterböser Mensch.* Εἰς pro ἐν. χολὴ πικρίας est fel amarissimum, id vero significat animi naturam perquam vitiosam, et talem, quales sunt cibi felle corrupti. Plautus in Truculento, v. 76. sqq. *In melle sunt sitae linguae vestrae atque orationes lacteque; corda in felle sunt sita, atque acerbo aceto* Conferri potest locus Deut. XXIX, 17. ubi extant verba: *ne sit inter vos radix progerminans* רֹאשׁ וְלַעֲנָה, *herbam venenatam et amaram*; nam רֹאשׁ est herba venenata. Sermo ibi est de idololatria et sensus: ne sint, ex quorum idololatriae studio, cui iam dediti essent toti populo posthac occasio suppeditaretur huius sceleris sectandi. Vid. *E. F. C. Rosenmülleri Scholia* ad h. l. Similis locus est Hebr. XII, 15. *Kuinoelius* nostro loco hunc sensum inesse ait: Video, te esse hominem perniciosissimum, similem plantae amarae, venenatae, te esse pestem coetus christiani, ita animatum, ut multos corrumpere et perdere possis. Σύνδεσμος, *vinculum*, metaphorice dicitur *omnis res, qua aliquis obstrictus tenetur*, ut σύνδεσμος sit vitiositas, quae animum quasi vinculis constrictum tenet. Deinde σύνδεσμος denotat id quod vinculis nexum et collectum est, *fasciculum*, tropice: *complexionem* s. *complexum*, *summam*, *Inbegriff*, h. l. impietatis. In cod. Cantabrig. e glossemate legitur: ἐν γὰρ χολῇ πικρίας καὶ συνδέσμῳ ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα, *video te hominem esse ex omnium scelerum importunitate concretum.* Multa vitia erant coniuncta in Simone; avaritia, superbia, hypocrisis etc.

24. Δεήθητε — εἰρήκατε) Metu potius territus, quam facti poenitentia ductus Simon haec dixit. Sed mox ad

impietatem suam est reversus, si rerum christianarum scriptoribus fides est habenda. Ceterum nitebatur haec Simonis oratio vulgaribus istorum temporum notionibus, diras non posse effugi et declinari, nisi deprecante eodem, qui eas imprecatus fuerat. Itaque, quum insuper Apostolos Deo caros iudicaret, eorum deprecatione uti vult.

26. Ἄγγελος — Φίλιππον) Haec bene de visione nocturna intelligi possunt, ut infra IX, 10. Formula ἄγγελος κυρίου est i. q. κύριος. *Eichhornio* (Biblioth. T. III. p. 387. sqq.) videtur ἄγγελος κυρίου idem esse ac τὸ πνεῦμα infra Vs. 29. et πνεῦμα κυρίου Vs. 39., nempe instinctus quidam et propositum firmum eundi ad viam, quae ab Hierosolymis Gazam ducit. Solitos enim fuisse Veteres ea consilia et coepta, quae prosperum habebant eventum, Deo adscribere. *Storrius* (Opuscc. Vol. III. p. 178. sq.) Vs. 29. 39. de extraordinario Spiritus divini instinctu sermonem esse contendit, nec mirandum esse ait, quod Philippus modo intus a Sp. S., modo per angelum monitus fuerit, nam et Paulum in simili causa semel atque iterum a Sp. intrinsecus (XVI, 6. sq.), tum per visionem (Vs. 9.) extrinsecus oblatam a Deo (Vs. 10.) monitum fuisse. Ἀνάστηθι — ἔρημος) *Agedum, fac iter ad meridiem, versus viam, quae ducit Hierosolymis Gazam, ea est solitaria.* Gaza fuit una ex quinque urbibus Philistaeorum (1 Sam. VI, 17.), sita in colle versus fines terrae Israeliticae australes, ultima tendentibus in Aegyptum, viginti stadiis a mari, et undecim milliaribus ab Hierosolymis distans. Plura de hac urbe vid. in *E. F. C. Rosenmülleri Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 384. sqq. Verba

αὕτη ἐστὶν ἔρημος plerique interpretes referunt ad Gazam, ut haec urbs tum deserta fuisse dicatur, vel diruta. Sed Scriptores Seculi I. docent, hanc urbem tum temporis fuisse habitatam, cultam et incolis plenam. Locos horum Scriptorum collegit *Wetstenius* ad h. l. Fuerat illa quidem ab Alexandro M. disiecta; sed instaurata est cum multis aliis a *Gabinio*, tradente Iosepho Antiqq. Lib. XIV, cap. 5. §. 3. Alii igitur ἔρημος rectius referunt ad ὁδὸν, ad viam quae Hierosolymis Gazam deduxerit, ut via per desertum significetur, vel via non frequens hominibus. Duplex nempe via videtur fuisse Hierosolymis Gazam versus. Quare angelus iussit Philippum eam adire viam, qua obviam veniret Eunucho. Cf. *Michaelis* ad h. l. Vid. praeter alios *Bellermannus* (Handbuch der bibl. Lit. P. III. p. 459.) qui vertit: *Reise südwärts auf dem Wege, der von Ierusalem nach Gaza führt, welcher einsam* (ungangbar) *ist.* Ceterum sunt, qui haec verba non Angeli, sed Lucae esse putent. Alii serius ea adiecta esse contendunt, a sciolo quodam, qui vim rei addere voluerit.

27. Ἀνὴρ Αἰθίοψ εὐνοῦχος] Sc. ἦν. Ἀνὴρ est pleonasmus, ut *vir Aegyptius; vir Iudaeus; mulier ancilla* in Sallustio etc. Εὐνοῦχος, proprie εὐνὴν ἔχων, lectum vel cubiculum custodiens; deinde *eviratus*, quia plerumque evirati custodiendis gynaeceis regiis adhibebantur. Saepe est nomen dignitatis, ministrum regium in genere denotans, hebr. סָרִיס. Talis olim Potiphar fuerat, qui εὐνοῦχος dicitur, quanquam in matrimonio vixit. Gen. XXXVII, 36. (et not. in Scholiis ad h. l.) XXXIX, 1. Hoc etiam loco εὐνοῦχος est *minister regius*, *Staatsbedienter*. Vid. *Fischer* de vitiis Lexx.

N. T. p. 492. sqq. Δυνάστης quemlibet potentiorem significat, ut igitur coniuncta vocc. εὐνοῦχος δυνάστης denotent *ministrum regium primarium.* Κανδάκης, τῆς βασιλίσσης Αἰθιόπων) *Candaces, reginae Aethiopiae,* i. e. Meroës, quae Aethiopiae accensetur. Aethiopum gubernatio olim penes Reginas fuit. Nomen *Candaces* ab Augusti aevo ad Vespasiani aevum ad Meroës reginas transiit, ut discimus ex Strabone XVII. Plinio H. N. VI, 35. Plura vid. *in der bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 346. sqq. 358. sq. ὃς ἦν — γάζης αὐτῆς) *Gazae regiae custos*, ut loquitur Cornelius Nepos in Datame. *Servius* in Aen. I. 119. *Gaza* Persicus sermo est, et significat divitias; unde Gaza urbs in Palaestina dicitur, quod in ea Cambyses, rex Persarum, quum Aegyptiis bellum inferret, divitias suas condidit. *Curtius*: (L. III. c. 13.) *Pecuniam regiam Gazam Persae vocant.* προσκυνήσων) Tempore pentecostes. Hinc colligi debet, virum illum non fuisse gentilem, sed proselytum. In Aegypto et Aethiopia multi Iudaei degebant, a quibus fortassis ad religionem Mosaicam adductus fuerat.

28. Ἦν τε ὑποστρέφων) Sacris confectis, redibat ad Meroën. *Legebat Prophetam Iesaiam*, sine dubio versionem Alexandrinam, in Aegypto frequentatissimam, qua et ipse Philippus, Hellenista (VI, 5.), usus est. Ceterum quum Eunuchus Hierosolymis fuisset, non potuit non audivisse de Iesu, qui Messiam se professus fuerat. Audiverat etiam Christi asseclas provocare ad Prophetas, qui de eo cecinissent. Quibus multisque aliis auditis, quum clariorem huius rei cognitionem desideraret, iam Prophetarum vaticinia revolvit, quaerens, num ea concinerent illis, quae de Iesu praedicabantur.

29. Εἶπε — Φιλίππῳ) Τὸ πνεῦμα, principium illud divinius, quod regebat moderabaturque omnia ad rei christianae emolumentum facientia. Non videtur Philippus audivisse vocem articulatam. Potuit in animo Philippi haec oriri cogitatio irresistibilis, accedendum sibi esse ad hunc currum. Quum deinde ex eventu cognosceret, divinam providentiam sic esse moderatam rem, ut proposito suo firmiter inhaereret, omnino dicere potuit, Spiritu iubente, vel Deo volente se accessisse ad currum, ut virum illum ad religionem christianam adduceret. κολλήθητι τῷ ἅρματι τούτῳ) *Applica te, adhaereto currui*, illi nimirum quo Eunuchus vehebatur. Tam prope accedebat, ut illum in curru sedentem alloqui posset.

31. Πῶς γὰρ ἂν δυναίμεν) Non putabat tam perspicuam ubique esse Scripturam, et expositum omnibus habere sensum. παρεκάλησέ τε τὸν Φίλιππον) quem indubie pro legisperito, Rabbino habuit.

32. Περιοχὴ) est idem quod περιόδος, *locus, argumentum. Cic.* ad Atticum XIII, 25. *At ego ne Tironi quidem dictavi, qui totas* περιοχὰς *persequi solet.* Ὡς πρόβατον κ. τ. λ.) Laudatur locus Ies. LIII, 7. 8. e versione LXX, nisi quod in illis κείραντος legitur, et Pron. αὐτοῦ verbo ταπεινώσει adiectum deest, ut et Part. δὲ, interiecta voce. τὴν γενεάν. Varias de hoc Iesaiae effato sententias examinatas vid. in *Rosenmülleri* Scholiis ad Ies. et in *Kuinoelii* Commentar. ad hunc Actorum locum. Ipse Kuinoelius cum multis aliis Interpp. *Messiae* fata hoc loco descripta esse censet. Certe hanc Philippo quoque fuisse persuasionem, in aprico est.

33. Ἐν τῇ ταπ. — ἤρθη) In textu hebr. Iesaiae legitur: מֵעֹצֶר וּמִמִּשְׁפָּט לֻקָּח, *coarctatione et iudicio abreptus est*, scil. ex hac vita. *Iudicium* hic *sententiam iudicis*, qua quis ad poenam severam, sive ad mortem damnatur (Ier. I, 16. 2 Reg XXV, 6.), vel *poenam* ipsam designat, ut Ier. XLVIII, 21. Sed LXX. legisse videntur: בעצרו משפטו לקח Sensus tunc esset: *Postquam depressus fuit, ablata est ab eo poena;* vel ut alii malunt: *ablata est poena quam pro nobis est perpessus.* Wetstenius περιφράζει: Quum sponte se demisisset, formamque servi induisset, tantum aberat, ut ipsum subleuarent, ut potius gravissima ipsum afficerent iniuria, nulla iuris habita ratione, non magis ac si omnis iustitia sublata fuisset. *Michaelis*, *Henslerus*, *Thiessius*, praeeunte Syro, verba ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ cum ultimis verbis Vs. praeced. coniungunt, hoc sensu: *os non aperuit, quum summa eius esset miseria.* Verba ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη Michaelis vertit: *das Gericht über ihn ist aufgehoben;* Thiessius: *er ist verurtheilt*, sublatum est iudicium, condemnatus est. *Kuinoelius* interpungi vult post: ἡ κρίσις αὐτοῦ, ut sensus sit: in humilitate eius fuit iudicium eius (i. e. condemnatus est), e medio sublatus est; αἴρειν *tollere e medio*, *interficere.* τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς κ. τ. λ.) Sensus esse videtur: *Quis verbis nequitiam et crudelitatem hominum eius aetatis describere poterit, cum eius vita e terra sublata sit?* ut γενεὰ denotet homines eius aetatis, eorumque perversitatem, sicut *saeculum* saepe ponitur pro *moribus saeculi.* Aliis γενεὰ, hebr. דּוֹר, est *aetas*, *duratio*, ut sensus sit: *semper vivet, quia vita eius ex his terris tollitur*, quia passus est innocens, pro hominum salute. Haec

nimirum est caussa, cur nunc in perpetuum vivat et imperet cum Deo. Sed hanc interpretationem vix admittit usus vocc. γενεὰ et דור. Accedit, quod Propheta l. l. de calamitatibus istius cultoris Dei loqui pergit.

34. Περὶ τίνος — τοῦτο; Hoc sibi voluisse videtur Eunuchus (observante *Heinrichsio*): Verane sunt, obsecro, quae Hierosolymis audivi, Iesu asseclas hunc locum ad sectae suae magistrum adhibere? num vere ad eum adhiberi potest?

35. Ἀρξάμενος — Ἰησοῦν) *Exorsus ab hoc Scripturae loco, exposuit illi doctrinam christianam*, nempe brevem eius summam. Videtur Philippus occasione huius loci enarrasse brevem historiae Iesu summam, et demonstrasse omnia illa quae Iesaias l. c. dixit, in Iesu evenisse. Quaesierat enim Eunuchus, an Propheta illa verba de se vel de alio intelligi voluerit? v. 34. *Eckermannus* (theol. Beytrr. Tom. I. p. 158.) locum Iesaiae a Philippo ad Iesum tantum applicari existimat, etiamsi vaticinium proprie dictum non contineat.

36. Ἰδοὺ ὕδωρ) Fontem fuisse, in vico Βεθσορὼν (Betur,) viginti lapidibus Hierosolymis dissito, de monte fluentem, in quo baptizatus sit Aethiops, tradit *Eusebius* de locis Hebraicis, voce Βεδσοὺρ. Locus hodie adhuc ostenditur peregrinantibus. Vid. *Pocoks Reisen* Tom. II. §. 58. ex vers. *Breyeri*, et cf. *Michaelem* ad h. l. τί κωλύει με βαπτισθῆναι;) Hinc intelligimus, Eunuchum etiam de baptismatis necessitate institutum. Sic multa praecedentium ex subsequentibus supplentur.

37. Deest hoc comma et in nonnullis codicibus et Versionibus antiquissimis; in aliis varie exhibetur. Quare probabile est, ab aliquo additum, ex eo, quod gestum credi, par erat.

39. Πνεῦμα Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον) Alii legunt: πνεῦμα ἅγιον ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν εὐνοῦχον. ἄγγελος δὲ Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον, Quid autem est hoc: *Spiritus Domini rapuit Philippum?* Non est credibile, Philippum ab angelo, vel alia mirabili ratione per aërem raptum et Azotum vel in alium locum deportatum esse, quae multorum opinio fuit. Nam *Spiritus Domini* saepe in homine aliquid efficere dicitur tum, quum in hominis illius animo subito exoriuntur cogitationes, quas consiliis Dei consentaneas fuisse, ex eventu cognoscitur. Vid. supra Vs. 29. Verbum autem ἁρπάζειν, *rapere*, non postulat, ut de miraculoso raptu per aërem cogitemus. Nam phraseos *rapere aliquem* vis ea est, ut significet *transferre aliquem in alium locum*, quocunque demum modo id fiat. Si igitur in animo Philippi subito exorta est cogitatio, redeundum sibi esse in loca illa ad Gazam, nec faciendum iter in Aethiopiam cum Eunucho; si Philippus ex eventu cognovit, non sine providentia divina accidisse, ut ad illa loca accederet, et ibi Evangelium doceret, hebraico loquendi modo hoc recte ita exprimi poterat: *Spiritus Dei eum rapuit*, instinctu quodam divino ductus est aliorsum. Ita et itinera, quae susceperunt Elias, Ezechiel etc. divini πνεύματος consilio suscepta, ipsique πνεύματι abrepti fuisse leguntur, 1 Reg. XV, 12. 2 Reg. II, 16. Ezech. III, 12. 14. VIII, 3. ἐπορεύετο γὰρ) Caussa redditur, cur Philippum Eunuchus ultra non viderit, quia

suam viam insistebat eunuchus: Philippus alio abibat. Illud autem χαίρων obiter tantum additur, significatque tranquillitatem animi, quam eunuchus ille ex evangelii notitia erat consecutus. Eunuchum post reditum in Aethiopiam aliis etiam religionem christianam persuasisse, et in se credibile est, et Eusebius tradit hist. eccl. Lib. II. c. 1. Quae autem a recentioribus de vita et fatis eius narrantur, ea merito fabulis accensentur.

40. Εὑρέθη εἰς Ἄζωτον) *Commorabatur Azoti. Storrio* (dissert. exeget. P. II. p. 80. Opuscc. Vol. III. p. 179.) *Philippus* videtur iter fecisse Asdodum, ibique degisse aliquot tempus. Εὑρεθῆναι enim idem valet, quod *esse, adesse.* 1 Par. XXIX, 17. 2 Par. XXIX, 29. Idem monet, si quis εἰς pro ἐν accipere velit, et vertere malit: *Philippus commorabatur Asdodi*, tum praegnantem quoque constructionem sumi posse, quemadmodum κατοικεῖν εἰς τόπον utrumque dicit, quum habitare *in loco*, tum *concedere aliquo* habitatum, ut Act. XII, 19. Marc. II, 1. Luc. XI, 7. Quicquid sit, hic etiam non dicitur, Philippum per angelum miraculoso modo translatum esse Azotum, sed versatum esse eum in ista urbe, et sic alios etiam locos peragrasse propagandae religionis caussa. Azotus autem Hebraeis est Asdod, urbis Palaestinae nomen. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 373. sqq. τὰς πόλεις) Inter Gazam et Caesaream, ut erant Ioppe, Lydda etc. Hic quoque uti in urbe Samariae, apostolis auditores praeparavit, c. IX, 32. εἰς Καισάρειαν) Caesaream, ad mare mediterraneum, urbem nobilissimam. Olim *Apollonia* audiebat, postea *Stratonis* πύργος seu *turris* dicebatur, tandem ab Herode Ascalonita instaurata et

in honorem Augusti *Caesarea* appellata est. Plura vid. in *der Alterthumsk.* I. c. p. 323. sqq.

CAP. IX.

1. Ὁ δὲ Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου) *Saulus vero minas caedemque adhuc spirans, s. anhelans.* Id homo *spirare* dicitur, quo is vehementiori concitatus affectu, plenus est, et veluti *turget.* Euripid. *Iphig. in Taur.* πῦρ πνέουσα καὶ φόνον, *ignem spirans et necem.* Cf. *Kypkii* observatt. *Camerario* ἀπειλῆς καὶ φόνου est ἕν διὰ δύο, sicut: Molemque et montes, i. e. molem montium; ut huius loci sit sensus: *In Saulo fuisse vehementes impetus minarum de caede discipulorum Domini.* Syrus et Arabs voce. ἐμπνέων ἀπειλῆς expresserunt: *plenus minarum.*

2. Ἠτήσατο — συναγωγὰς) *Expetiit sibi ab eo literas ad Synagogas Damasci.* Damascus in ea Syriae parte sita fuit, quae in sacris litteris *Syria Damascena*, apud Strabonem autem *Coele Syria* vocatur. Uberiorem huius urbis descriptionem vid. in *der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 284. sqq. Magnam ibi Iudaeorum, ob quaestuosam et copiosam, quae ibi florebat, mercaturam fuisse frequentiam, vel ex eo constat, quod non una, sed plures Synagogae in ea civitate fuerunt. πρὸς τὰς συναγωγὰς, intellige praefectos synagogarum. ἐπιστολὰς, scripta mandata a Synedrio, *Vollmacht.* ὅπως — εἰς Ἱερουσαλὴμ) *Ut, si quosdam christianam religionem sectantes ibi reperisset, mares atque foeminas, vinctos deduceret Hierosolyma.*

Ἡ ὁδὸς hic ut saepius alibi est *religio*, quam quis sequitur. Tam vita, quam doctrina, religio, quae vivendi rationem tradit, cum *via* comparatur: ergo et christiana religio. Vid. infra XIX, 9. 23. Matth. XXII, 16. Ὧν ὧν τῆς ὁδοῦ, huius religionis sectator. Articulus τῆς positus est pro pron. ταύτης, coll. XXII, 4. Saulus igitur huius (christianae) religionis sectatores auctoritate Pontificis et Senatus Hierosolymitani vinctos ducere voluit Hierosolyma. Quaeritur, quid iuris vel Pontifici, vel Senatui Hierosolymitano fuerit in Damascenos, prorsus ad alterius ditionem pertinentes? Enim vero tanta erat Synedrii Hierosolymitani auctoritas, ut non solum qui in vicinia terrae Israeliticae habitabant Iudaei, sed Babylonii etiam et Alexandrini statuta eius venerarentur ac iussa capesserent, magnum illum Senatum agnoscentes pro firmissima arce totius legis oralis, praesertim quando agebatur de crimine haereseos, et iudicio capitali in falsos Prophetas; quod unice huic Senatui competiisse volunt. Romani autem, quorum imperio cum Arabia sua universa Aretas ipse tunc suberat, permittebant etiam Synedrio ius prehensionis et verberum, non in Iudaeos Palaestinae tantum, sed in alias quascunque Synagogas, quae sponte sua iurisdictionem in re religionis agnoscerent. Vid. *Witsii* Melet. sacra p. 16. Probe tamen tenendum est, Paulum non potuisse trucidare Christianos, sed non nisi vinculis constringere atque ad causam dicendam Hierosolyma ducere et Synedrio tradere. Ceterum Damasci haud exiguum Christianorum numerum fuisse, credibile est. Praeterquam enim, quod Iudaei Damasceni, qui ad festa concelebranda Hierosolyma venerant, doctrinam christ. popularibus suis tradidissent, multi quoque cives Hierosoly-

mitani, oborta persequutione (VIII, 3.), Damascum, utpote urbem Palaestinae proximam, confugiebant.

Valde memorabilis est quae nunc sequitur historia Sauli, postmodum Pauli, qui subito ex infestissimo rei christianae adversario in eiusdem acerrimum vindicem transformatur. Interpp. autem, qui hanc narrationem explicare studuerunt, in duas potissimum partes discedunt. Alii quidem mirabiliter sensu proprio accidisse omnia credunt, Iesum Saulo vere apparuisse atque cum eo colloquutum esse statuunt. Potissimos huius sententiae propugnatores se gesserunt *Grotius*, *Hammondus*, *Wetstenius*, *Lyttletonus* (Anglus) in libro ab *Hahnio* in linguam teut. translato: *Anmerk. üb. d. Bekehrung u. d. Apostelamt Pauli.* Hannov. 1751. Adde: *Hessius* Geschichte *u. Schrr. der Apostel Iesu.* T. I. p. 111. sqq. edit. 2., *Niemeyerus* Characteristik d. Bibel. T. I. p. 79. sqq., *Haselaarius* Diss. exegg. de nonnullis Act. Apost. et epistolar. Paul. ad hist. Pauli pertinentibus locis, Lugd. Bat. 1806. p. 72. sqq. Paulus enim non simpliciter audivit *φωνήν*, sed *φωνὴν* interrogantem et colloquium instituentem, et quidem *Ἑβραΐδι διαλέκτῳ* utentem. Quae quum ipse Paulus referat infra XXII, 6. sqq. XXVI, 13. sqq., ostendit, se de divina *ἐπιφανείᾳ* Iesu, ei facta, persuasissimum fuisse. Missa tamen illa hanc rem intelligendi ratione antiquiore, recentt. Interpp. longe plurimi tam ex vulgaribus eventibus, quam ex statu animi Sauli omnia psychologice et accommodate ad antiqui aevi ingenium et loquendi usum explicanda esse arbitrantur. Vid. *Fr. Ammonium* de repent. Sauli ad Christi doctr. conversione (Opuscc. theoll. p. 1. sqq.), *Eichhornium* in Allg.

Bibl. P. VI. p. 1. sqq., *Eckermanni* theoll. Beitrr. P. II. p. 5. sqq. *Greilingium et Boehmium* in Henckii Museum für Religions-Wiss. P. III. p. 226. sqq., *Schulzium* in Heinrichsii Beitrr. zur Beförd. d. theol. Wissensch. P. I. p. 47. sqq. *Wittigium* in Augusti theol. Blättern. T. III. Part. 2 Adde *Hezelium*, *Dindorfium*, *Heinrichsium*. Quorum sententiae etiam subscribit *Kuinoelius*, qui de hoc facto fusius agit, et Viros Doctos, quos modo commemoravimus, secutus, haec observat: »Paulus, *Pharisaeus*, de doctrina Christi audiverat, quam tamen tanquam falsam et perniciosam detestabatur. — — Persequebatur ergo huius asseclas, ratus, se Dei causam agere. Attamen non plane oblitus est admonitionum Gamalielis, praeceptoris, qui in aliorum religione diiudicanda insigni praeditus temperantia, eandem quoque aliis commendabat, V, 34. Stephani praeterea aliorumque Christianorum ab ipso crudeliter tractatorum (VII, 57. XXII, 4. 19. XXVI, 19.) constantia et laeta Christi professio, ut et ea, quae ex iis de Iesu eiusque doctrina audiverat, tantam vim in animum eius habuerunt, ut de causae suae bonitate dubitare occiperet; sed vanae gloriae cupiditate ductus, et ne sui dissimilis videretur, vim veritatis opprimebat, usque dum visione illa eo redigeretur, ut ad Christi signa se conferret, et ut in hominibus maxime fervidioribus evenire solet, eodem animi ardore Pharisaeorum dogmata repente eiiceret, quo ea ante amplexus erat. Cum ergo Damascum proficisceretur, et in via de negotio suo cogitaret, — — dubitabat an laudabili negotio incumberet. Quid? cogitavit, si vera essent, quae cultores Iesu de eo profitentur? crederem si mihi appareret. Haec dum animo volvit, — — circumfulget eum

subito fulmen coelitus delapsum, et vivida imaginatione praeditus Iesum, naturam coelestem, videre sibi videbatur. Terrore percussus ad terram prolabitur, et haec secum cogitat: estne hic Iesus? utique est; minatur mihi familiam eius insectanti; ad meliorem frugem mihi est redeundum; Damascum profiscar, et quid facto opus sit, ibi circumspiciam. Haec cum Paulus inter crebra tonitrua animo volveret, illa ipsa tonitrua putabat esse vocem Iesu, minantis, accusantis, admonentis, excitantis. Hinc et postea rem enarrans aliis, cogitationes suas tamquam colloquium inter ipsum et Iesum habitum referebat.« — Singularis est *Frischii* sententia in Commentat. saepius laud. (vid. Prolegg. ad Evang Lucae). Is contendit, neque veras Pauli orationes apud Lucam nos legere, neque hunc ipsum fictionis suspicionem magnopere curasse et evitasse. Lucam aliorum sermones, aut suis auribus perceptos, aut ex aliis compertos, sua ratione in ordinem redegisse, amplificasse, perorasse. Narratione Lucae c. IX comparata cum Pauli orationibus c. XXII. et XXVI. apparere, Paulo Paulum contradicere et Paulo Lucam. Sic e. c. cap. IX, 7. Pauli comites aliquid audivisse, sed *nihil* vidisse (sed ibi dicitur, eos *neminem*, μηδένα, vidisse!), XXII, 9. aliquid vidisse, sed nihil audivisse (vid. nos ad h. l.), XXVI, 14. terra prostrati omnes fuisse dicuntur, nulla mentione facta num quid vel audiverint, vel viderint. Idem V. D. opinatur Lucam ea, quae hic evenerunt, ita narrasse, ut magis placeant et admirationem excitent. Ad eiusmodi artis cuiusdam studium refert etiam narrationes de visione uno tempore duobus hominibus oblata, qua hi ambo in societatem veniunt (Petrus et Cornelius c. X, Paulus et Ananias c. IX.) Quae tamen

coniectura iusto audacior esse videtur. — Ceterum *de vita Pauli Apostoli* inter alios bene exposuit *Herm. Witsius* in libro quem inscripsit: *Meletemata Leydensia*. Basil. 1739.

3. Καὶ ἐξαίφνης — οὐρανοῦ) *Repente circumfulsit eum lux coelitus delapsa.* Haec lux sine dubio fuit fulmen repente delapsum, praesentioris numinis, ut multa alia phaenomena, symbolum. Inde enim omnia, quae in sequentibus narrantur, commode intelligi possunt. *Vitringa* (in Obss. Sacr. Lib. IV. p. 370.): *Primo refertur, lumen de coelo Paulum prostravisse humi; dein vero illum audivisse vocem. Per lucem, sive lumen de coelo, quis aliud hic intelligat, quam fulgur fulminis? Quod si admiseris, non negaveris, per vocem, fulmini coniunctam, vocem tonantem et gravem intelligendam esse, quia ex lege naturae fulmina comitari solent tonitrua.* Eandem sententium amplius ornavit *Elsnerus* ad h. l. cui *fulgur* notari videtur verbo περιέστραψεν, et *tonitru* voce φωνῆ, Vs. 7. Vallem *Damasci* montibus praealtis clausam esse, ex *Maundrelli* Itinerario apud *Paulum* (Samml. d. merkwürdigsten Reisen in den Orient. P. I. pag. 149.) cognoscitur. Unde fulgurum tonitruumque horror vehementior facile perspicitur.

4. Καὶ πεσὼν — διώκεις;) *Atque ad terram prolapsus, audivit hanc ad se vocem: Saule, Saule, quid me insectaris?* Ad terram prolapsus est, perculsus terrore ob fulgur fulminis cum tonitru coniunctum. Plerique existimant, Dominum a Paulo oculis corporeis visum esse, et vocem emisisse articulatam, qua allocu-

tus sit Paulum. Sed hoc valde dubium est; nam si Christus forma humana indutus adspectabili modo apparuisset, non solus Paulus, sed eius etiam comites eum vidissent, id quod tamen negatur Vs. 7. Potest vero locus intelligi de cogitationibus in Pauli animo ortis. Cf. quae notavimus ad locum huic valde similem, Io. XII, 28 sqq. Recte observat *Ammonius* l. c., Iudaeos aevo Apostolico in ea fuisse opinione, Iehovam, quum oracula vatum dudum obmutuissent, per fulmina et tonitrua voluntatem suam interdum significare mortalibus. Celebratissima erat ista revelationis divinae species sub nomine בַּת קוֹל, *filia vocis*, quam, licet revera haud audiretur, imaginatione tamen ita apprehendere solebant, ac si vere intellecta et audita fuisset. Vid. Vitringa observatt. sacr. Lib. VI, 10. Facile igitur in animo Pauli, quum anxius in terram provolveretur, oriri potuit cogitatio, se nunc poenas daturum esse impiae Christianorum persecutionis, et statim sibi, ubi intravisset in urbem, ad meliorem mentem esse redeundum. Multae cogitationes animo vehementissime perculso volvuntur seque invicem excipiunt Id autem ex sublimiore istius aevi dicendi genere per colloquium exprimitur.

5. Τίς εἶ, Κύριε;) Allocutio qua ignotum compellamus. Nusquam Paulus in litteris suis expressis verbis scribit, se Iesum his in terris viventem conspexisse et audivisse. Quare plurimi Iesum Paulo non de facie cognitum fuisse arbitrantur. Sed coll. XXVI, 4. contrarium probabile videtur. Certi quid haud potest definiri. Ἐγὼ — διώκεις) »Vehementior ergo phantasia non solum increpantia verba exaudiit, sed videre etiam eun-

dem Iesum ipsum, cuius regnum devastaturus erat, quasi ante oculos stantem sibi visa est « *Heinrichsius.* Post verba ὃν σὺ διώκεις in editionibus impressis legitur longior periocha haec; σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. τρέμων τε καὶ θαμβῶν εἶπε· κύριε, τί με θέλεις ποιῆσαι; καὶ ὁ κύριος πρὸς αὐτόν. Glossam hanc esse, ex locis parallelis XXII, 10. XXVI, 14. et ex paraphrasi compositam, prodit multiplex inter paucos, periocham referentes, discrepantia. Omittuntur etiam haec verba in multis Codicibus, in antiqua Latina versione, a Chrysostomo et aliis Patribus hunc locum tractantibus; unde etiam in recentioribus editionibus fere omnibus recte sunt omissa. Explicationem vid. infra ad c. XXVI, 14.

6. Ἀλλ' ἀνάστηθι — ποιεῖν) *Surge et adi urbem, ubi tibi, quid faciendum sit, declarabitur.* Εἰς τὴν πόλιν, sc. Damascum. Iam igitur Saulus sperare incipit, aliquem Christianorum Damascenorum sibi declaraturum esse, quid sit faciendum. Et hae eius cogitationes, quas secum volutabat, sistuntur ut consilia per φωνὴν illam, quam iam a Iesu ipso audire sibi videbatur, ipsi suppeditata.

7 Οἱ δὲ — θεωροῦντες) *Comites autem itineris adstabant attoniti, sonum* (tonitru) *quidem audientes, sed neminem videntes.* Ἔννοος graeci scriptores satis frequenter usurpant de eo, qui vel mentis imbecillitate stupidus est, vel obstupefactus terrore, admiratione, et qui sive ob illam naturalis stuporis caussam, nec loqui facile, nec audire possit. *Ganz betäubt.* φωνὴ hic nihil aliud est, nisi *tonitru*, Vs. 4 Hoc audiverunt quidem Pauli comites, sed quid sibi vellet, non intellexerunt;

nam articulata verba ne Paulus ipse quidem audivisse videtur. Quomodo hic locus conciliandus sit cum c. XXII, 9. XXVI, 14. infra ad illa loca dicetur. μηδένα θεωροῦντες) »Siquidem,« inquit Heinrichsius, »rudiores forsan, servi, lictores, non eadem prava conscientia agitari poterant, quam Saulus doctior acriorique phantasia commotus. Nam etiamsi et hi mala inferre statuerant christianis hominibus, non nisi ministerium suum adhibebant Saulo domino.« *Kuinoelio* tamen probabilius est, Paulum, ut a latronum et siccariorum impetu tutus esset, in societate cum aliis iter ingressum esse, et comites ipsius consilium itineris ab eo suscepti ignorasse. Ex nostra quoque sententia non necesse est, ut statuatur, illos Pauli comites ei a Synedrio eum in finem datos esse, ut christianos Damascenos vinctos deducerent; sed quo consilio Paulus hoc iter suscepisset, facile scire poterant, quum Damasci quoque haec res non ignota esset, Vs. 13. 14.

8. Ἀνεῳγμένων — οὐδένα ἔβλεπε (Pro οὐδένα habent οὐδὲν Cod. quidam, Versiones Syr., Arab. Erpen., Vulgatus, sed ex correctione ut videtur. Sensus est: *Quanquam oculis erat apertis, neminem tamen conspiciebat*, et is sensus clare exprimitur infra XXII, 11. ubi eadem historia refertur. Coecus ergo factus fuerat. Nempe vis fulminis praestrinxerat aciem oculorum ita, ut nihil videre posset. Coecitatis causa fuisse videtur amaurosis temporaria, a luce nimia orta. Qua de re vid. plura apud *Eichhornium* I. c. P. VI. p. 13. Illud autem οὐδένα non solum ad Iesum, quem in phantasia viderat, spectat, sed ad praesentes socios omnes, quorum neminem videbat. — Hoc phaenomeno naturali ful-

minis ac tonitru Deus, quum vellet Paulum monere, praesentiam suam declaravit. Sic Ioseph. Antiqq. III, 5. 2. fulgura et tonitrua in monte Sinai (Exod. XIX, 16.) indicia praesentiae divinae fuisse dicit. Atque eodem modo profanos quoque Deorum suorum adventum describere solitos, patet ex Aeneid. VIII, 524. et Ovid. Fastor. III, 367. Memorabile sane documentum singularis providentiae divinae continet haec Pauli historia. Nisi enim in itinere Damascum ei contigisset id, quod hic narratur, fortassis nunquam ad se rediturus, sed in pristina sua superstitione Iudaica perseveraturus fuisset. Hoc autem phaenomeno aliisque, quae in proxime sequentibus memorantur, providentiae suae documentis Deus, cuius summa in animos potestas, et qui cuique homini ad meliorem frugem redeunti auctor est priorum cogitationum largitorque, Pauli conversionem, antea iam praeparatam, perfectam reddidit. χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν) *Manibus deducentes*, ut coecis fieri solet.

9. Καὶ ἦν — ἔπιεν) *Et per tres dies permansit coecus nihilque cibi vel potus sumsit.* Quod indicio est, hoc triduum meditationibus super tam memorabili re, quam sibi accidisse compertus erat, precibusque ad Deum (infra comm. 11) ab eo transactum esse.

10. Ἀνανίας) Graeci perhibent, fuisse unum ex septuaginta discipulis, et in ordine Diaconorum; quod verisimilitudine non caret. Cetera vero, quae de eo eiusque morte narrantur, partim maxime incerta, partim aperte fabulosa sunt. Vid. *Walchii* Ienensis antiquitates Damascenas. §. 20. Ananiae cuiusdam meminit etiam Iosephus Antiqq. XX, 2. Sed eundem esse, de quo

Lucas haec narrat, non est verisimile. Vid. *Michaelis* ad h. l. ἐν ὁράματι, *in visione*. Macrobius Somn. Scip. I, 3. *Visio est, quum quis id videt, quod eodem modo quo apparuerat, eveniet.* Suetonius in Augusti vita de Q. Catulo: *Ac die proximo obvium sibi Augustum quum incognitum alias haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero de quo somniasset.* Credibile est ita Paulum Ananiae visum ac si eum oculis usurpasset: nimirum vultum, staturam, totamque reliquam habitudinem Pauli animo eius obversata fuisse; eaque singula ab eodem paullo post, quum Paulum adiisset, secundum ὁράματος veritatem fuisse agnita. Vid. *Pricaeum* ad h. l. In somnio hanc visionem contigisse Ananiae, totus narrandi modus ostendit. ἰδοὺ ἐγώ, Κύριε) Est promtitudinis et obsequii formula, vid. Gen. XXII, 11. XXXI, 11. Exod. III, 4. *Ammonio* verisimile videtur, Ananiam Saulo vel Hierosolyma Tarso petenti vel in festis diebus Hierosolymis obvio, iam antea fuisse familiarem. Eandem sententiam defendunt *Eich.*, *Heinrichs.*, *Kuinoelius*, qui ὅραμα, quod Ananiae et Saulo obtigit, de cogitatis eorum animo per naturales caussas subortis, de visione, sive somnio naturali explicari posse arbitrantur. Secundum hanc interpretationem, sic se res habuit: Fama de eis quae Paulo prope urbem acciderant (utor *Heinrichsii* verbis), per urbem percrebescens et ad Ananiam pervenerat, qua re inductus ille, moderante divina providentia ea accidisse, tentandamque esse viam aliquam, qua, huic phaenomeno insistendo, ad christianas partes traduci idem possit, licet anxius et fluctuans existimavit. Iam quae mente is secum perpendit, in somniis eadem apparent, quae ut colloquium (vid. ad Vs. 4.) exprimuntur. Idem ad Vs.

12. haec habet: Proxime fidem est, Ananiam, dum adhuc Iudaeorum sacris addictus esset, notissimum fuisse Saulo (XXII, 12.), eidemque et compertum fuisse, Ananiam hunc ex fuga Christianorum (VIII, 1—4.) Damascum petiisse. Neminem ergo sciebat, qui dubitantem se et fluctuantem confirmare convenientius posset. Huic igitur se confidere statuit, resque perpetua cogitatione animo perpensae et in somniis eidem apparent, quae et hoc loco sub colloquio sistuntur. Cf. *Eichhornium* l. c. p. 9. (cuius verba *Kuinoelius* attulit), qui addit, Paulum sperasse, se Ananaiae ope visum recuperaturum esse, quum audivisset, Christianos praeditos esse facultate morbos sanandi. Nec hac interpretatione admissa, negatur, Dei providentiam ad Pauli et rei christianae salutem rem omnem direxisse.

11. Τὴν ῥύμην εὐθεῖαν) *Ad viam* vel plateam urbis *quae recta vocatur.* Ῥύμη non est *vicus*, sed *via.* Urbes olim in vicos, vici in vias, viae in domos dividebantur. Recta *(die gerade Strasse)* vocata est haec via, quia eius aedes aequaliter a se invicem distabant. ἐν οἰκίᾳ Ἰούδα) Cum quo vetus hospitium Saulo videtur fuisse. Ταρσέα) Patrio etiam nomine indicatur Saulus, qui esset Tarsensis. Fuit autem Tarsus Ciliciae metropolis. Vid. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 197. προσεύχεται) Precibus et meditationibus indulget. Sensus: non iam est amplius gravis ille adversarius, iam anceps est et fluctuans, utram partem sequatur; restat nil nisi ut dubia eius quis propulset, et ad Christianismum eum adducat.

12. Καὶ εἶδεν — ἀναβλέψῃ) *Viditque* (is Saulus) *per visum* (in somnio divinitus sibi oblatum) *virum*,

Ananiam nomine, ad se venientem, sibique manus imponentem, ut oculorum usum recipiat. Syrus recte accepit ut continuata Christi verba. Et Saulus vidit Ananiam, et Ananias Saulum in visione; quod indicio erat, non fortuito, sed procurante Deo haec ita evenisse. Vid. not. ad Vs. 10.

13. Ἀπὸ πολλῶν) i. e. ἐκ πολλῶν, ex, sive de multis, sc. ἀνθρώπων, non ἐτῶν vel χρόνων, ut alii volunt. Insignis persecutor fuerat Saulus. τοῖς ἁγίοις σου) Sancti sunt *Christiani* iam nunc. Quum homines dicuntur ἅγιοι τοῦ θεοῦ, indicatur eos esse sacratos Deo, vel cultores Dei, vel dilectos Deo, ut ex multis V. T. locis constat. Ergo non est haerendum in sanctitatis notione, quasi vitae et morum sanctitas intelligatur.

14. Καὶ ὧδε ἔχει ἐξουσίαν) Ostendit Ananias, valde periculosum esse, eum accedere, qui potestatem acceperat in ipsa urbe Damasco capiendi homines eius professionis, cuius erat Ananias. Fortassis Ananias literis Christianorum Hierosolymitanorum edoctus fuerat, quo consilio Saulus Damascum sit profectus. Aut, ut alii volunt, per comites Sauli consilium itineris divulgatum erat. παρὰ τῶν ἀρχιερέων) Est Synecdoche. Ex parte enim nobilissima designatur totum synedrium. ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου) *Qui tibi nomen dederunt.* Descriptio Christianorum, v. 12. 1 Cor. I, 2. Hac phrasi LXX. ut plurimum illam hebraeam קָרָא בְּשֵׁם exprimunt.

15. Σκεῦος ἐκλογῆς) Pro σκεῦος ἐκλεκτὸν, *instrumentum exquisitissimum.* Hebraismus. Σκεῦος proprie *vas*, *instrumentum* cuiuscunque generis, h. l. est *homo*,

cuius ministerio aliquid effici potest, ὄργανον, hebr. כְּלִי, Polybius in Excerptt. de virtutt. et vitiis p. 1402.: Δαμοκλῆς ὁ μετὰ Πυθίωνος πεμφθεὶς κατάσκοπος πρὸς Ῥωμαίους, ὑπερέτικον ἦν σκεῦος, εὐφυὲς καὶ πολλὰς ἔχον ἀφορμὰς εἰς πραγμάτων οἰκονομίαν. Vid. *Raphelii* Obss. Polybb. p. 326. τοῦ βαστάσαι τὸ ὄνομά μου) *Ut nomen meum celebrando perferat* ad gentes etc. Continuatur metaphora, nam vasis utimur ad res huc illuc circumferendas. Βαστάζειν h. l. metaphorice est: *tradere, divulgare*, et ὄνομα τοῦ Χριστοῦ *doctrina Christi*. Sensus est: ut me et doctrinam meam annunciet, longe lateque divulget.

16. Ἐγὼ γὰρ — παθεῖν) *Ego vero illi ostendam, quanta debeat mei caussa perpeti mala.* Γὰρ h. l. non est *nam;* non enim est nexus horum verborum cum v. 15. Verte igitur: *vero, insuper, atque etiam*, vel simili modo. Sensus est: Saulus paullo post multa ob religionem Christianam experturus est mala, et tamen constans erit; quae aliis fecit, lubenter feret. Hoc eo pertinebat, ut Ananias desineret metuere virum, qui mox ipse sua sponte maxima mala toleraturus sit propter religionem. Fortassis eiusmodi cogitationes iam ante somnium animo volutaverat Ananias, Paulum Christi doctrinam suscepturum non esse, quum quantopere Iudaeorum furor in ipsum, a rebus eorum deficientem, exardesceret, facile praevidere posset.

17. Εἰς τὴν οἰκίαν) Illius Iudae, de quo supra Vs. 11. Ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας) Duplici de causa, tum ad sanandos oculos, tum ad impertiendum πνεῦμα, vid. ad VIII, 16. εἶπε — ἁγίου) Brevem summam colloquii Ana-

niae cum Saulo indicat Lucas; nam plura ab utroque dicta esse, non est dubitandum. Cf. XXII, 4. sqq.

18. Ὡσεὶ λεπίδες) *Veluti squamae*, quasi deciderint humores in oculis arefacti. Cf. Tob. XI, 13. Lucam Sauli sanationem ita enarrasse, ut de miraculo ipse cogitaret et lectores de eo cogitare vellet, apparet coll. XXII, 13.

19. Καὶ λαβὼν τροφὴν ἐνίσχυσεν) *Et cibo capto vires recepit.* Ἐνισχύειν hic neutraliter usurpatum notat, *invalescere, confirmari, vires capere, s. recipere.* LXX. interpretes Gen. XLVIII, 2. id de viribus corporis ponunt, pro ויתחזק *et confirmavit se.* Vocc. ὁ Σαῦλος in multis Cood. desunt.

20. Καὶ εὐθέως) *Et statim. Kuinoelius* Versum 19. cum 20. sic coniungit: *Et postquam per aliquot dies cum Christi sectatoribus versatus erat, protinus in synagogis docuit* etc. ἐν ταῖς συναγωγαῖς) Semper enim Apostoli primum Iudaeos affati sunt, ut aut eos converterent, aut omnem eis excusationem adimerent. ἐκήρυσσε τὸν Χριστὸν) Lege Ἰησοῦν, ut habent nonnulli Codd. et Verss. Nam quaestio erat, an Iesus Nazarenus esset ille Christus, sive Dei filius. Messiam esse Dei filium, hoc per se omnibus Iudaeis notum erat. Cf. infra Vs. 22. Docuit autem Paulus, Iesum hunc, neminemque alium esse filium Dei, i. e. Messiam Iudaeis promissum.

21. Ὁ πορθήσας) Verbum πορθεῖν (fere id quod λυμαίνεσθαι, VIII, 3.), si de hominibus aut animalibus

usurpatur, verti potest: *perdere*, *opprimere*, quae generalis notio tres continet speciales, nimirum *hostiliter tractare*, *captivos abducere*, *occidere*, ut patet ex locis a Kypkio laudatis.

22. Ἐνεδυναμοῦτο) *Confirmabatur*, sive corroborabatur; fortior fiebat in dies, sc. *fide*, et firma persuasione Iesum esse Messiam. Atque cum hac persuasione crevit et παῤῥησία, nam quo magis attonitos eos videbat, eo fortius insistere eis docendo, refutando argumentisque rem suam comprobando conabatur. συνέχυνε) Pudefaciebat, confusos reddidit argumentis. συμβιβάζων) *Docens*, *ostendens*. συμβιβάζειν proprie notat *coniungere*, *compingere* (de partibus corporis arcte iunctis Eph. IV, 16. Col. II, 19), tum: *cogitando res conferre*, *colligere* (infra XVI, 10.) et ex adiuncto: *demonstrare*, *docere*. Haec verbi notio, quae 1 Cor. II, 16. et aliquoties apud LXX. Interpretes occurrit, rara est profanis. Occurrit tamen in Ocello Lucano de *universo*, c. III. εἴπερ ἀληθῶς ὁ λόγος συμβιβάζει, *siquidem revera ratio docet*.

23. Ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναί) *Completis satis multis diebus*, i. e. post tempus longius. Profectus est nempe Paulus in Arabiam, et post aliquod tempus reversus est Damascum, ut ipse narrat Gal I, 15—18. Auctor huius historiae multa exponit compendiose, et temporum multa momenta coniungit. Ex *Kuinoelii* aliorumque sententia ἡμέραι ἱκαναὶ referri possunt ac debent ad omne tempus commorationis Sauli in urbe Damascena, *antequam in Arabiam tenderet*, ut adeo ἱκαναῖς ἡμέραις annumerandae sint illae ἡμέραι τινὲς Vs. 19. (ubi not. cf.) memoratae.

24. 25. Cf. 2 Cor. XI, 32. 33. ex quo loco discimus, Iudaeorum precibus factum esse, ut Ethnarcha ab Areta, Arabiae rege, Damasco et circumiacentibus ditionis suae regionibus praefectus, ad urbis portas custodiam collocaret, adscitis forte nonnullis Iudaeis, qui indicarent, si Paulus accederet et fuga se incolumem extrahere vellet. Cf. *Kuinoelii* Commentar. ad h. l.

26. Παραγενόμενος — Ἱερουσαλὴμ) Monuimus iam ad Vs 23., Paulum non statim ex urbe Damasco Hierosolyma profectum esse, sed contulisse se in Arabiam. Ex loco citato Gal. I, 18. discimus, eum post triennium demum, quum rediisset Damascum, profectum esse Hierosolyma. Ergo Lucas triennii historiam omisit. Omnino credibile est, Paulum per hoc triennium non fuisse otiosum in Arabia, sed religionem christianam iis etiam in locis ab eo esse propagatam. ἐπειρᾶτο κολλᾶσθαι τοῖς μαθηταῖς) Familiariter conversari cum illis, ut V, 13. X, 28.

27. Ἐπιλαβόμενος) *Manu eum prehendens*, ex Hebraismo redundat. πρὸς τοὺς Ἀποστόλους) Sc. Petrum et Iacobum, Gal. I, 18. 19. καὶ διηγήσατο αὐτοῖς) Haec Graeci ad *Barnabam* referunt, et recte, propter illa quae sequuntur de Damasco. Conveniebat enim id potius narrari ab aliis, qui id scirent, quam ab ipso Saulo praedicari. καὶ πῶς — Ἰησοῦ) *Et quam libere Damasci professus sit nomen Christi*, i. e. Christum. Vid. ad Io. XVII. 11.

28. Καὶ ἦν — Ἱερουσαλὴμ) *Itaque assidue cum illis versatus est Hierosolymis.* Vid. supra c. I, 21. Quindecim dies se apud Petrum commoratum esse, scribit Gal. I, 18.

29. Πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς) Etiam cum Iudaeis, graeco sermone utentibus, ut hic Syrus. Vid. ad VI, 1. Cum Hellenistis plurimum rei habiturus erat Paulus, quia graecae linguae peritus, et ad gentes convertendas iter erat suscepturus.

30. Εἰς Καισάρειαν) Eam nempe, quae erat ad mare mediterraneum, ubi sedes Procuratoris Romani. Τάρσος est patria Pauli. Sine dubio in Cilicia etiam docuit.

31. Εἶχον εἰρήνην) Multis in exilium egressis deflagraverat vexatio; id est quod Chrisitiani pacem vocabant. Accedit, quod Paulus desierat vexare Christianos, iam ipse Christianus et Apostolus, et Iudaei ipsi magnas calamitates experti sunt, quod statuam Imperatoris Caii recipere nollent. Vid. *Ioseph.* Antiqq. Iud. Lib. XVIII, c. 8. et de B. Iud. L. II, cap. 10. οἰκοδομούμεναι, et numero membrorum et incrementis in cognitione religionis ac virtute proficiebant coetus. Comparatur societas Christiana cum aedificio, quod diligenti opera in maiorem molem excrescit. Πορευόμεναι κ. τ. λ.) *pietatis in Deum laude florentes, et Spiritus S. adiumento gaudebant efficacissimo.* Sic recte interpretatur *Kuinoelius.* πορεύεσθαι τῷ Φ. τ. K., *pietatis in Deum studiosum esse*, vitam integram scelerisque puram agere. Φόβος τ. K. est *pietas*, ut Rom. III, 18. 2 Cor. VII, 1. al. πορεύεσθαι, ut hebr. הלך, per metaphoram ita adhiberi solet, ut notet *vivere*. Vid. *Vorstius* de Hebraism. N. T. p. 196. τῷ Φόβῳ pro ἐν Φόβῳ. Παράκλησις significat *adiumentum* Spiritus Sancti, vid. not. ad Io. XIV, 16. Πληθύνεσθαι notat *largiter contingere*, et si ad obiectum refertur, cui quid largiter contingit, *abundare*. Redit Lucas ad narrationem eorum, quae

in *Iudaea* acta sunt. Quae sequuntur eo tempore accidisse videntur, quo Paulus Damasci et in Arabia commoratus est.

32. Aliam Lucas incipit sectionem, itinera enarrans, quae Petrus susceperit, ut conditas in Palaestina ecclesias visitaret Διὰ πάντων, sc. τόπων, quum omnes illas regiones, quarum Vs. 31. mentio facta est, peragraret. Visitabant Apostoli coetus Christianorum, ut eos in fide confirmarent. Λύδδαν) Lydda urbs fuit Palaestinae olim celebris, et perhibetur postea appellata esse Diospolis.

34. Στρῶσον σεαυτῷ) Sc. τὴν κλίνην, sive τὸν κράββατον. Lectum, quem antehac straverunt tibi alii, tute tibi sterne, in signum restitutae valetudinis. Cf. Io. V, 8.

35. Τὸν Σαρωνᾶν) *Sarona* satis constat, regionem fuisse campestrem et locum pascuum inter Caesaream Palaestinae et Taborem montem, lacumque Gennesarem, tractu longo ultra Ioppen se extendentem. Urbs quoque *Sarona* in eadem regione sita erat. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 150. coll. P. II. p. 333.

36. Ἐν Ἰόππῃ) *Ioppe* olim celebris urbs fuit maritima Palaestinae. Hodie *Iaffa* dicitur, ubi appellunt, qui iter religiosum in terram sanctam suscipiunt. μαθήτρια) *discipula*, assecla Christi, Christiana. Ταβιθὰ) Syrum טְבִיתָא est ex Hebraeo צְבִי *caprea*, vel *dama*, et quidem sylvestris, (quam arabico nomine Gazellam vocare solent, quae ab eximia pulchritudine laudatur,) mutatione τοῦ ת ut fit, in ט. Occurrit aliquoties apud

interpretes Chaldaeos. Δορκὰς) Sic vocabatur inter Graecos, quomodo *Thomas* Δίδυμος, *Cephas* Πέτρος. Sine dubio haec mulier Tabitha appellata est ob formae venustatem. Hoc autem nomen tum familiare fuisse Iudaeis, docuit *Ligtfootus* in Cent. Chorographica Matthaeo praemissa, c. 18. et *Bochartus* in Hieroz. Tom. II. pag. 305. sqq. edit. Lips. Αὕτη — ἐποίει) *Haec erat plena liberalitatis et beneficiorum, quae exhibebat.* Ἔργα ἀγαθὰ hic non sunt in universum recte facta, sed κατ' ἐξοχήν beneficiia aliis exhibita, quod series orationis indicat. *Gutthätigkeit.*

38. Μὴ ὀκνῆσαι) Notat ὀκνεῖν *dubitare, recusare et cunctari, moras nectere, tergiversari.* Sperabant Christiani illi, fieri posse, ut Petrus Tabitham in vitam revocaret.

39. Ἐπιδεικνύμεναι — ἱμάτια) Ostenderunt Petro vestes suas, quas Tabitha confecerat. Vestimenta confecisse videtur pia mulier eo consilio, ut distribueret egenis. μετ' αὐτῶν οὖσα, *dum viveret.*

40. Ἐκβαλὼν δὲ ἔξω πάντας) *Iussit egredi omnes.* Haud dubie, ut eo impensiores numini preces adhibere posset, si nullo praesentium lugentiumque strepitu esset interpellatus. Θεὶς τὰ γόνατα) *Positis genubus*, i. e. quum in genua procubuisset, qui gestus est praecantium. Ἀνεκάθισε, *erecta sedit.* Ceterum recentiorum Interpp. nonnulli dubitant, num vere animam efflaverit mulier ista, an forte deliquium animi tantum passa sit. Cf. *Heinrichsii* Excurs. V. et *Eckii* Versuch, die Wundergesch. d. N. T. aus natürl. Urs. zu erklären. Berol. 1795. p. 248. sqq.

CAP. X.

Hactenus Iudaeis tantum et Proselytis circumcisis operam dederant Apostoli, quia in ea erant opinione, beneficia Messiae nonnisi ad Israelitas pertinere; ethnicos autem si vellent participes fieri Messiae, debere prius circumcisione sociari Israelitis, quam fierent cives regni divini. Vid. XV, 1. 5. XVI, 3. Nunc autem providentia Dei factum est, ut ad ethnicos etiam accederent Apostoli, cuius rei initium fecit *Petrus*, ex promissione Christi Matth. XVI, 19. coll. Act. XV, 7.

1. Ἀνὴρ — Ἰταλικῆς) *Caesarea*, prius dicta turris Stratonis (vid ad IX, 30. VIII, 40.), florentissima erat Palaestinae civitas, et sedes Procuratoris Romani, quare plurimi Romani ibi degebant. Ἑκατοντάρχης, *centurio*. Ut enim Latini a centenario numero militum, quibus aliquis praefectus esset, nominarunt Centurionem, sic interpretando fecere Graeci ἑκατοντάρχην, et ἑκατόνταρχον, qui est vetustioribus ταξιάρχης. σπεῖρα, *cohors*, ut recte Vulgatus. Erat haec cohors Caesareae in praesidiis, ubi etiam erant Syri milites, a quibus Romani sive Itali hic distinguuntur.

2. Εὐσεβὴς, *pius*, qui vitam et mores suos instituebat ad normam legis naturae. Φοβούμενος τὸν θεὸν, cultor veri Dei, sed non circumcisus (Act. XV.), *gentilis*: cf. infra Vs. 28. 45. Cap. XI, 3. 4. 18. σὺν παντὶ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, *Cum tota familia sua*, id enim hic οἶκος est, ut saepe apud Iosephum, aliosque. ποιῶν τε ἐλεημοσύνας πολλὰς τῷ λαῷ) Non solum suae gentis hominibus, sed etiam Iudaeis. καὶ δεόμενος τοῦ θεοῦ διαπαν-

τὸς) Assiduus in precibus fundendis ad unum et verum Deum. Talis quum esset Cornelius, dignus est habitus qui primus ex gentibus Christianae societati adiungeretur. E locis supra laud. apparet, vanam esse eorum sententiam, qui putarunt, Cornelium *proselytum portae* fuisse, qui, relicto idolorum cultu, ad Iudaeorum sacra sine circumcisione transgressus esset. Attamen (bene monente *Heinrichsio*) pius et rectus fuit veri numinis cultor, adeoque et Iudaeorum nationi favens (ut et Centurio ille Luc. VII.), forsitanque iam id agens, ut ad Iovae sacra accederet. Tam gravem autem rem meditanti, accedente singulari visione, in mentem venit, non ad prisca Iudaeorum sacra accedere, sed amplecti protinus Iudaeorum sacra a Iesu purgata et a discipulis eius Galilaeis tradita. Ita factum est, ut non Iudaicae religionis sed christianae cultor existeret. Vid. et *Kuinoelium* ad initium hui. Cap.

3. Εἶδεν — πρὸς αὐτὸν) *Conspexit manifesto per visum, hora diei nona angelum ad se venientem.* Ὅραμα *est visum quodcunque, sive vigilanti, sive per quietem somni oblatum fuerit, eine jede ausserordentliche und wunderbare Erscheinung.* Interpp. quidam statuunt, Cornelio non vigilanti sed somnianti hoc visum oblatum fuisse, quum et interdiu somno interdum nos demus, et magis se dent Orientales. Ita *Thiessius* in Commentario, qui Cornelium quidem prandii tempore nullum cibum sumsisse, horaque tertia pomeridiana somno abreptum, simulque eis, quae Lyddae et Ioppae egerat Petrus, perculsum, ad eiusmodi somnia fuisse perductum autumat. Sed ὥρα ἐννάτη precibus destinata erat (III, 1.), et Cornelium precatum esse,

ipsius verba ostendunt. Vs. 30. *Eichhornius* (Allg. Bibl. T. III. p. 391. sqq.) suspicatur, describi hic singularem Cornelii fidentiam, firmamque confisionem animi, qua post multas dubitationes, et preces ad Deum factas confirmatus fuerit in proposito Petrum ad se arcessendi. Lucam enim pro more suo brevitatis studiosum (c. IX, 23.), praeteriisse momentum, quod, si additum fuisset, narrationi lucem afferre potuisset. Arbitratur nempe Vir doctus, Cornelium antea de Petro audivisse, eiusque res, et nominatim diversorium eius, (Vs. 5.) ex cive Ioppensi, qui Caesaream forte venisset, cognovisse. Licet enim in narratione genio coelesti partes quaedam assignatae sint, et per eum Cornelius Petri diversorium comperisse dicatur, in promtu tamen esse, rem aliter evenisse, quum narratio ipsa res, quae neutiquam naturae humanae vires excedant, contineat; neque necesse fuisse, ut Deus Cornelio Petri hospitium revelaret, quum hoc in tam parvo oppido, quale Ioppe erat, percontando facile inveniri potuerit. Tandem vero Cornelium, Petri arcessendi proposito inter preces confirmato, hanc animi sui sententiam, laetitiam (secundum Iudaicas opiniones expressam) et internam quasi vocem sic arripuisse, quasi vox angeli esset, fortassis etiam, dum praecationis ardore concitatus esset animus, pro angeli voce habuisse. *Storrius* vero (diss. exeget. in libror. N. T. historic. aliquot loca, P. II. p 81. sqq.) vulgarem, interpretationem, quae mire et proxime intercedente Deo omnia accidisse censet, adversus *Eichhornium* defendit. Sed Storii argumenta redarguit Eichornius l. c. p. 1073. sqq. — Nos quidem cum *Heinrichsio* et *Kuinoelio* arbitramur, Cornelio in ἐκστάσει se obtulisse speciem genii coelestis, cuius

voces putaret et diceret cogitationes in animo suo subortas. Ut ita statuamus monent verba εἶδεν ἐν ὁράματι Vs. 3, ὁ δὲ ἀτενίσας αὐτῷ καὶ ἔμφοβος γενόμενος Vs. 4., ἰδοὺ ἀνὴρ ἔστη ἐνωπιόν μου ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ Vs. 30. Cornelius igitur rem tam gravem suscepturus (vid. ad Vs. 2.), a cibi potusque usu largiori abstinebat (Vs. 30.), quo aptior esset ad meditandum et precandum (vid. IX, 9.), et ardentissimis precibus Deum implorabat, vellet animum suum illustrare et ad veritatem dirigere. Inter precandum se confirmatum sentiebat in proposito Petrum ad se arcessendi et subito ei se offerebat species quaedam, geniumque coelestem se videre putabat, et quae tunc cogitabat ipsi erant angeli voces. »Sed ne vel sic insigniora providi numinis indicia non agnosces, quo moderante res ita sibi iunctae et aptae fuerunt, cuiusque propiore vi haudquaquam indigna erat res, de qua agebatur, ut Petrus, tam insignis regni Messiani vindex, opinionem, cui inde a materno lacte innutritus erat, mitteret, atque et erga paganos aequum se et iustum praestaret.« *Heinrichsius.*

4. *Αἱ προσευχαί σου — τοῦ Θεοῦ*) *Preces tuae et eleemosynae ascenderunt in memoriale*, in sacrificium, *coram Deo.* Haec formula e multorum Interpp. sententia ducta est a sacrificiis, quae vel dicuntur ascendere, vel esse *μνημόσυνον.* Dum flamma, fumus coelum versus se elevabat, totum sacrificium veluti in flamma et fumo ad coelum scandere videbatur. *Μνημόσυνον* per se est id, quod admonet. Ubi igitur sacrificia dicuntur *μνημόσυνα*, sensus est, ea commonefacere, admonere Deum, ne obliviscatur hominis, qui illud sacrificium offert. Hinc *suffitus* legalis dicebatur אזכרה. Quod

voc. LXX. saepe reddunt per μνημόσυνον, Lev. II, 2. 9. 16. VI, 15. Num. V, 26. Sacrificiis autem *preces* et aliis in locis conferuntur, e. c. Apoc. V, 8. Iam quia fumus sacrificiorum et suffitus *adscendit* in coelum, et preces, sacrificiis comparatae, *ascendisse* in coelum dicuntur, ut et Apoc. VIII, 3. 4. Ἐνώπιον τ. Θ. praegnanter dictum est pro: ascenderunt in coelum et venerunt ante Deum. Sensus vero huius loci est: Preces tuae gratae Deo et acceptae sunt; pietas tua probitasque Deo est cognita, Deus eam remuneraturus est summo beneficio, hoc nimirum, ut de Christi doctrina edoceaeris. *Kuinoelius* negat, metaphoram h. l. a sacrificiis petitam esse. Verbum ἀναβαίνειν adhibitum dicit, quoniam sermo est de precibus, quae in coelum, Dei sedem, pervenerunt, ut 1 Marc. I, 51. Exod. II, 23.; voc. μνημόσυνον autem vulgari significatione, *memoria, recordatio* sumendum putat, ut verba simpliciter sonent: *precum tuarum liberalitatisque tuae recordatus est Deus*, i. e. Deus preces tuas exaudit, beneficia tua remunerari decrevit, coll. Vs. 31. Sensus idem est. Sunt quoque, quibus h. l. respici videtur ad opinionem Iudaeorum, quod hominum preces Deo ab angelis offerantur (Tob. XII, 12.) Sed, ut recte *Storrius* monuit, de angeli interventu h. l. nulla mentio facta est, sed preces Cornelii et misericordia penetrasse dicuntur ad coelum, ut Deus earum meminisset. Quae vero de pretio eleemosynarum dicuntur, cogitationes humanas potius quam divinum oraculum prodere videntur.

5. 6. Pro ὃς ἐπικαλεῖται Πέτρος cum optimis quibusdam Codd. legendum est τὸν ἐπικαλούμενον Πέτρον. Vulgaris lectio e Vs. 32. in hunc venit. Οὗτος — βυρ-

σεῖ) Ipsum vocabulum βυρσεὺς, et aliae rationes, quas *Walchius* affert, (diss. de Simone coriario ad Act. X, 6. Ienae 1757.) ostendunt, Simonem ex eorum coriariorum genere fuisse, quos Graeci βυρσοδέψας, Latini *coriarios subactarios* nuncuparunt, qui ex caesorum animalium detractis pellibus coria praeparaverunt. ᾧ ἐστιν — θάλασσαν) Apud veteres coriarii plerumque extra urbes, prope flumina, officinas et domos suas habuerunt, tum ob foetidos in eorum officinis et aedibus odores et sordes, tum vero, quod aqua hi, coria praeparantes, nullo fere pacto carere poterant. Vid. Walch. l. c. Verba οὗτος λαλήσει σοι, τί σε δεῖ ποιεῖν, quae in Codd. plerisque desunt, pro glossemate habendae sunt; quare recentt. N. T. Editt. ea e textu eiecerunt. Facile apparet, verba illa ex c. IX, 6. X. 32. seu XXII, 10. invecta esse.

7, Ὡς δὲ ἀπῆλθεν ὁ ἄγγελος) Quum finita ecstasi ad se rediisset. Pro Κορνηλίῳ multi optimae notae Codd. habent αὐτῷ. Vulgaris lectio e glossemate orta est. Εὐσεβῆ) Non: *ad Iudaeorum religionem transgressum*, sed *pium probumque*, ut Vs. 2. Τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ) Qui apparebant ei, i. e. ad iussa eius exsequenda pro foribus assistebant. Verbum προσκαρτερεῖν Dativo personae iunctum notat, *adhaerere alicui*, *constanter alicui praesto esse*, et quum de servis et ministris sermo est, *famulari*, *ministrare*. Sic Demosthenes in *Neaeram*, τὰς θεραπαίνας τὰς Νεαίρᾳ τότε προσκαρτερούσας, *ancillas, quae tunc Neaerae famulatae sunt.* In verbis Lucae igitur Genitivus τῶν προσκαρτερούντων, ante quem ἐκ subaudiendum est, tam ad δύο οἰκέτας, quam ad στρατιώτην referendus est.

9. Ἀνέβη — δῶμα) *Ascenderat in tectum.* Τὸ δῶμα, *tectum domus*, quo sensu haec vox haud raro est apud Iosephum, e. g. Ant. VI, 4, 1. VII, 2, 1. Tectorum usus uti multiplex erat, sic et ibi, utpote ab omni perturbatione remoti, piis meditationibus dare se, precesque ad Deum fundere solebant veteres Hebraei. Cf. supra c. I, 13.

10. Ἐγένετο δὲ πρόσπεινος) *Valde autem esuriit.* Particula πρὸς auget significationem, ut fere vertere possis: *er fühlte Heisshunger.* Indubie ieiunaverat ante. ἤθελε γεύσασθαι) *Cupiebat cibum capere, comedere*, absque Hebraismo, quum haec huius verbi notio sit satis frequens Graecis. Hesychius: γεύσασθαι, πειράσαι, ἅψασθαι. Ubi bene monet *Ernesti*, πειράσαι forte ita dictum esse, uti apud nos *versuchen*, de cibis. παρασκευαζόντων) *Parantibus autem illis cibos*, sc. iis, quorum erat *parare.* Παρασκευάζειν h. l. de parandis cibis est intelligendum. ἐπέπεσεν — ἔκστασις) *extra se raptus est.* ἐξίστασθαι h. l. est, (ut in Apologia Apuleius) *ad oblivionem praesentium externari.* Victorinus de Contempl. Lib. V. *Mentis alienatio est quando praesentium memoria menti excidit.* In ecstasi itaque esse dicitur, qui repentino quodam animi furore abreptus acrius exardescit, ita, ut, sensuum externorum usu aliquamdiu cessante, rerum externarum sibi non sit conscius, sed mersus profunda cogitatione imagines rerum absentium et spirituum species cernere sibi videatur. Hoc loco sermo est de ecstasi animi a Deo effecta, sive de ea animi distractione, qua res, imagines et verba a Deo suggesta ei obversantur. Cf. infra XI, 5. XXII, 17. coll. 2 Cor. XII, 2. 4. Omnis enim eiusmodi ἔκστα-

σις sistebatur ut vis proxime a numine illata, quae numinis vis ἐπιπίπτει, *ingruit*. In Petro caussa huius ἐκστάσεως erat tum in ieiunando, tum in precando. Mersus profunda cogitatione ita quasi descenderat in se, ut nesciret quid extra se gereretur. Ad esum proxime spectabat ista visio, siquidem de edendo Apostolus cogitaverat. »Videtur Petrus, antequam ei visum contingeret, de ciborum discrimine in lege constituto cogitasse, ac secum reputasse, quanto facilius et latius doctrina Christi propagari posset, si eam quoque gentilibus tradere, eosque, non circumcisos, in coetum christ. recipere liceret.« *Kuinoelius.*

11. Καὶ θεωρεῖ τὸν οὐρανὸν ἀνεωγμένον) Haec coelorum apertura cum reliquis consequentibus in Petri imaginatione tantummodo exstitit, ut fieri solet in somniis, et visionibus ecstaticis, in quibus non res ipsae sensibus, sed rerum emblemata phantasiae obiiciuntur. Vid. *Witsii* Meletemata Leidensia, p. 211. *Eichhornio* in Biblioth. P. III. pag. 420 — 424. (*Ueber das Gesicht des Apostels Petrus*) visum, quod Petro obtigit, cum fame gravissima ita coniunctum fuisse videtur, ut ea fessus, dum cibi apparabantur, inter preces, corpus amplius fagitantes, deliquium animi passus fuerit; humi igitur prostratum, oculis clausis, vel etiam semiapertis, sui vix compotem iacuisse. Durante hoc deliquio, phantasiam ipsi illusisse, et obtulisse phantasma, ut audire vocem: *macta et vescere* coelitus sibi videretur. Quum autem caussas huius animi status ignorans, deliberaret secum, quid sibi hoc visum vellet: providentia Dei moderante factum esse, ut e tecto aedium duos peregrinos advenientes conspiceret; et quia eorum missio

rem christianam concerneret, eum hoc omne phaenomenon postea ad πνεῦμα ἅγιον retulisse. καταβαῖνον σκεῦος — τῆς γῆς) *Utensile, tanquam linteum magnum, alligatum extremis partibus quatuor, vidit descendere*, i. e. *demitti ad sese usque, et deferri supra terram.* Σκεῦος (vid. ad IX, 15.) significat omne id, quod in usu est domestico, etiam e lino aut lana; h. l. *involucrum*, sequitur enim ὡς ὀθ. μεγάλην. Ἀρχὰς *cuiusvis rei extremitates* satis graece dicas. Sic de funis extremitate legitur apud Diod. Sic. ἀχρὶ σχοινίου.

12. Πάντα τὰ τετράποδα τῆς γῆς) *Varii generis seu conditionis animantes quadrupedes.* Πάντα populariter est accipiendum de cuiusvis, seu varii generis animalibus. Eadem significatione legitur Matth. IV, 23. καὶ τὰ θηρία — οὐρανοῦ) *ferae, reptilia et volucres*, sc. varii generis animantia, munda et immunda. Verba καὶ τὰ θηρία, in optimae notae Codd. omissa, valde suspecta sunt, uti et Vocc. τῆς γῆς, quae in Codd. antiquis pluribus desunt, in aliis post ἑρπετὰ posita reperiuntur.

13. Θῦσον καὶ φάγε) i. a. Macta omnia ista, et de omnibus ede. His symbolis non solum significatum est, licere Petro omnibus gentium cibis vesci, sed, ipsos gentiles, quos antea denotarent animalia immunda, iam esse mundos, Vs. 28. i. e. licere homini Iudaeo consuetudine eorum uti; annunciandum iis esse Evangelium sicuti Israelitis.

14. Μηδαμῶς) Nequaquam scilicet faciam hoc, ut de istis comedam. πᾶν κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον) *Aliquid profani et impuri.* Alterum per alterum explicat. Sic

cibos profanos ac nefarios dixit Apuleius. κοινὸν, *commune* est, quo vulgo utuntur gentes, non etiam populus Deo sanctificatus, seu *omnis res per leges rituales Mosaicas interdicta et prohibita;* hic autem intelliguntur animalia, quae victui inepta putabantur. Levit. XI. De rationibus harum legum vid. Scholia ad Levit. et *Spencerum* de *Legibus Hebraeor. Ritual.* Lib. I. cap. 5. Sect. 1. *Michaelis* ad h. l observat: quando Petrus impuros et communes cibos prohibitos existimet, esse hanc vocem somnolenti. Nam diu ante, Matth. XV, 10 — 18. et Marc. VII, 14 — 23. contrarium erat edoctus. Fortasse igitur Petrum innuere voluisse, se eiusmodi cibos, quos nunquam degustasset, aversari. Quae tamen explicatio non placet. Praeferendum quod alii monuerunt, Christianos antea Iudaeos ciborum discrimen, in Lege Mos. constitutum, observasse, et vero etiam gentilium consortium fugisse, quod dictorum Christi aut immemores fuissent, aut illa, praeconceptis opinionibus praepediti, nondum recte intellexissent. Si enim Petrus reliquique Apostoli dictorum Christi memores fuissent, sponte quoque intellexissent, gentilibus aditum ad religionem christ. patere; sed et illud Christi mandatum Matth. XXVIII, 19. male intellexerant, opinantes, nonnisi eos gentiles in coetum christ. recipiendos esse, qui prius ad sacra Iudaeorum transiissent. Hanc ipsam ob causam Apostoli post abitum Christi divina institutione carere non poterant. Quod ipse Dominus praedixerat. Vid. quae notavimus ad Io. XIV, 16. 17. 26.

15. Πάλιν ἐκ δευτέρου) Per pleonasmum. Repetendum vero est verbum ἐγένετο (ex Vs. 13.) ἃ ὁ θεὸς

ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου) *Quae Deus tanquam munda commendat*, (eo ipso quod de coelo animalia illa demittuntur) *tu ne pollue*, i. e. ne polluta dixeris aut existimes; licitus est eorum usus. *Rem facere* dicuntur, inprimis apud Poetas, qui eam talem esse declarant, qui modus loquendi apud scriptores Hebraeos, Graecos et Romanos reperitur. Sic Levit. XIII, 3. 13. 17., ubi de leprosis sermo est, sacerdos, qui aliquem *immundum pronunciat*, dicitur eum μιαίνειν, contra καθαρίζειν, si eum *purum declarat*. Cf. *Wineri*. Gramm. p. 103. edit. sec. Scopus huius visi huc redit: quorum hominum consortium Deus censet licitum, horum hominum consortium non esse vitandum. Cf. Vs. 17. sqq.

16. Ἐπὶ τρὶς) Iterum vocula ἐπὶ abundat. Simili pleonasmo ἐς sive εἰς ponunt Profani. *Polyb.* III, 28. ἐπὶ τρὶς. Theocritus *Idyll.* 17, 71. ἔκλαγε φωνῇ ἐς τρὶς, *ter voce insonuit*. Solent visa et oracula, quae penitus animo infigi Deus vult, repeti. Cf. et Gen. XLI, 32.

17. Τί ἂν εἴη τὸ ὅραμα ὃ εἶδε) *Quid sibi vellet*, s. *quid significaret visio illa, quam viderat*. Palaephatus de incredib. c. 32. ἐθαύμαζον τί ἂν εἴη τὸ γεγονὸς, *mirabantur quid sibi vellet id quod acciderat*. Dubius autem haerebat Petrus. Potuit enim proprie intelligere verba visionis, atque existimare, sibi et omnibus Christianis iam non religiosius servandum esse ciborum discrimen, atque comedere ipsis licere cum gentilibus. Sed potuit et symbolicam significationem habere illud ὅραμα, hanc scilicet, gentiles, ciborum discrimen non observantes, et hactenus immundos habitos, non amplius tales esse habendos, eos potius in coetum christ.

recipiendos esse. Hanc posteriorem significationem veram esse, adventus legatorum Cornelii Petrum edocebat. διερωτήσαντες τὴν οἰκίαν σίμωνος) *Interrogando s. percunctando quaerebant aedes Simonis*, nempe coriarii, ut supra Vs. 6.

18. Φωνήσαντες) *Acclamantes*, *inclamantes*, scil. τινὶ, *cuipiam*.

19. Iam cogitabat Petrus, hos viros, quos aut e tecto conspexerat, aut vocantes audiverat, non casu et fortuito, sed ad ipsius dubia solvenda advenisse, et apud se constituebat, cum iis abire, quoquo ipsum vocarent. Hocce vero propositum recte tribuit τῷ πνεύματι, Spiritui S., qui in qualibet re ad rem christ. pertinente praesens adest. Pro ἐνθυμουμένου verior lectio est διενθυμουμένου. Voc. τρεῖς, quod textus vulgaris post ἰδοὺ exhibet, a Codd. permultis abest. Facile addebatur e Vs. 7.

20. Ἀλλὰ ἀναστὰς κατάβηθι) Eleganter particula ἀλλὰ adhibetur in *adhortando*, et verti debet *agedum* ut ap. Xenoph. Cyrop. I, 3. ἀλλὰ κρέαγε εὐωχοῦ. Μηδὲν διακρινόμενος) *Nihil haesitans*, nempe ideo, quod illi ad quos arcesseris, Iudaei non sunt. ἐγὼ ἀπέσταλκα αὐτούς) *Ego eos misi*, i. e. feci, ut mitterentur.

21. Verba: τοὺς ἀπεσταλμένους — αὐτὸν desunt in optimis et plerisque Codd. et Verss. Est quoque lectio ipsa varia et inconstans, adeoque damnanda.

22. Μαρτυρούμενος — Ἰουδαίων) Non unius et alterius, sed *totius gentis laudibus ornatus*. Est ergo

illud ὅλου acute pronunciandum. ῥήματα) Scil. τῆς ζωῆς, ut supra V, 20. vel πάντα σοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ προστεταγμένα. inf comm. 33.

23. Ἐξένισε) *Recepit hospitio;* participes fecit hospitii sui, volente Simone coriario. Post ἐπαύριον addendum vulgari textui est ἀναστὰς, quod multi Codd. et Verss. exhibent. Contra voc. ὁ Πέτρος suspectum est. Τῶν ἀπὸ τῆς Ἰόππης) *Ioppensium.* Sic ap. Herodot. οἱ ἀπὸ τῆς Σπάρτης, *Spartani.*

24. Καὶ τῇ ἐπαύριον) sc. ἡμέρᾳ. Eadem phrasis Vs. 23. Sensus est: quarto die post visionem Cornelii Caesaream advenisse Petrum, coll. Vs. 30. τοὺς ἀναγκαίους φίλους) *Amicos necessarios*, sc. *intimos. Necessarii* interdum etiam sunt *consanguinei*, vel *affinitate iuncti.* Sed h. l. nonnisi *familiares* intelligendi esse videntur; nam improbabile est, centurionem, hominem Italum, multos *consanguineos* Caesareae habuisse; nec opus erat consanguineos et affines, iam voce συγγενεῖς notatos, iterum commemorari; *familiarium* vero, improbabile est, mentionem non fieri, quos tamen a centurione advocatos fuisse vix est, quod dubites.

25. Ὡς δὲ ἐγένετο (τοῦ) εἰσελθεῖν τὸν Πέτρον) *Quum in eo esset, ut fores intraret Petrus.* προσεκύνησεν) *Adorare voluit*, procidens ad pedes Petri, eum veneratus est. Iudaei quidem, et aliae gentes Orientis eum honorem exhibebant, non regibus tantum, sed et aliis in dignitate positis. At apud Graecos et Romanos is mos Deorum honori reservatus erat. Hinc Petrus Vs. 26.: ἀνάστηθι κἀγὼ αὐτὸς ἄνθρωπος εἰμί.

27. Συνομιλῶν αὐτῷ) *Cum eo verba faciens*, sc. a loco quo ei obviam factus est ad introitum domus eius. Cf. Luc. XXIV, 14. Hoc solent una ambulantes.

28. Ὑμεῖς ἐπίστασθε — ἀλλοφύλῳ) *Vos scitis nefas esse Iudaeo familiariter uti externae s. alienae gentis homine, imo etiam adire eum*, sc. extra necessarios usus. Cum gentilibus familiaritatem aliquam habere ἀθέμιτον apud Iudaeos habebatur, non quidem ex lege Mosis, sed ex decretis sapientum, quae pari in honore habebantur. Κολλᾶσθαι τινὶ est: *associare se alicui*, familiaritatem nectere cum aliquo: προσέρχεσθαι, accedere, vel intrare eius domum. Ἀλλόφυλοι apud Iosephum duplici sensu occurrunt. Primo enim, et quidem κατ' ἐξοχήν ita dicuntur *Palaestini* s. *Philistaei*, ut Ant. IX, 5. 3. deinde in universum omnes, qui neque ortu, neque religione Iudaei sunt, ut Lib. eodem c. 6. §. 6. Hoc loco ἀλλόφυλος intelligitur quicunque Gentilis, neque religione Iudaeus, saltim non circumcisus. καὶ ἐμοὶ — ἄνθρωπον) *Sed Deus me edocuit neminem hominem censere impurum.* Sic igitur Petrus eventu et facto intellexit, non amplius fore discrimen populi sancti et populorum ex opinione Iudaica impurorum, paganos potius aeque recipiendos in coetum Dei ac Iudaeos. Nam κοινὸς, ἀκάθαρτος est, qui ex opinione Iudaica exclusus est e communione populi Dei. Ceterum apparet ex hoc exemplo, quantam vim habuerint visa ad edocendos Apostolos de rebus magni momenti ad religionem pertinentibus, veluti hic edoctus est Petrus, Paganos recipiendos esse in coetum christianum. Quam utilis, quam scitu necessaria Apostolis fuerit haec veritas, non est cur multis moneamus. Habemus hic etiam

exemplum eius rei, quam promiserat Christus Io. XIV, 26. Cf. supra not. ad Vs. 14.

29. (Ἐπὶ) τίνι λόγῳ) *Quam ob caussam.* Perinde est sive inter Hebraismos, sive inter locutiones bene graecas referas hanc phrasin. Polybius: πρός τινα λόγον.

30. Ἀπὸ τετάρτης — ὥρας) *Ante quatuor dies*, seu *quarto abhinc die*, *ad hanc horam* (scil. illius diei) *ieiunavi*. Ἀπὸ h. l. significat *ante*, ut Matth XXV, 34. ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *ante mundum conditum.* Cf. 2 Thess. II, 13. Apoc. XIII, 8. Alii per quatriduum integrum Cornelium ieiunasse volunt repugnante contextu. Visio contigerat Cornelio ante quatuor dies. Si vero de ieiunio quatriduo sermo esset, scribendum fuisset νηστεύω, non: ἤμην νηστεύων.

32. Ὃς παραγενόμενος λαλήσει σοι) *Qui ubi advenerit loquetur tecum*, sive dicet cetera, nimirum pertinentia ad salutem tuam et tuorum.

33. Πάντες ἡμεῖς) Cornelii igitur exemplum in amplectenda religione christ. sequi statuerant affines et amici, qui aderant, omnes. Ἐνώπιον τοῦ θεοῦ) *Inspectante Deo*, qui corda nostra novit, et scit nos sincero animo cupere audire et discere voluntatem divinam. Vetustior videtur esse lectio Syri et Latini aliorumque: ἐνώπιόν σου. Quodsi enim vera lectio esset Θεοῦ, Lucas in fine Versus pro ὑπὸ τοῦ Θεοῦ scripsisset, ὑπ' αὐτοῦ.

34. Ἀνοίξας — τὸ στόμα) Exorsus est Petrus. Cf. Matth. V, 2. ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι) *Reipsa de-*

prehendo. Petro persuasum fuerat, nefas Iudaeo esse cum gentibus versari; nec incircumcisis doctrinam Christi esse praedicandam. Vid. not. ad Vs. 14. Hanc opinionem visione ea, cuius mentio Vs. 11. et deinceps, eripere ei Dominus conatus erat. Quum autem adhuc subdubitaret, edoctus iam est amplius Cornelii exemplo (cui genius coelestis promiserat, ipsum a Petro edoctum iri), verum esse, quod significatum ei aenigmatice κατ' ὄψιν fuerat; unde ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνεσθαι se ait, i. e. ipsa veritate ad mutandam sententiam se cogi. ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ θεὸς) *Deum non habere rationem dignitatis s. externae conditionis hominum.* Nam *personarum acceptor* est, qui personarum habet rationem, et inter eas discrimen aliquod statuit. Vox hebraeo-graeca, apud alios Auctores non occurrens, praeter sacros.

35. Ἐν παντὶ ἔθνει) Non indifferentismus religionum, sed *nationum* hic asseritur. Deus non tantum Iudaeos sed et ex omnibus aliis nationibus homines beneficiorum Christi participes fieri vult. ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην) *Colens eum, et exercens virtutem*, pro modulo cognitionis primae, ex lumine naturae haustae. Etiam inter paganos fuerunt, qui recte de Deo, eiusque providentia et regimime statuerent. Ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, *recte agens*, secundum legem naturae Rom. II, 14. 26. δεκτὸς αὐτῷ ἐστι) *Gratus et acceptus ei est*, et maiora accipit, ad coetum christ. admittendus est, quamvis sit non circumcisus.

36. 37. Locum hunc vexatum *Thalemannus* in versione Latine ita interpretatus est, ut subaudito κατὰ ante

τὸν λόγον, verba huius commatis iunxerit verbis comm. 35. *(qui eum ex quacunque gente colit, et recte agit, is ei acceptus est,)* ita: *secundum eam doctrinam, quam Deus tradi iussit Israelitis, per quam denuntiat pacem* (inter Iudaeos et Gentiles,) *per Iesum Christum, qui est omnium Dominus.* Vs. 37. *nostis quae evenerint primum in Galilaea, et deinde in universa Iudaea, inde a baptismate a Ioanne instituto.* Secundum hanc interpretationem τὸ γενόμενον ῥῆμα significat *rem gestam*, ut saepius, et intelliguntur miracula Christi, non tamen exclusa eius doctrina. Alii novam hic periodum inchoari existimant, et vertunt: *Quod attinet ad doctrinam quam* (Deus) *tradidit Israelitis, promittens illis felicitatem per Iesum Christum, hic* (Iesus) *est omnium Dominus*, i. e. huius doctrinae summa est haec, Iesum esse omnium Dominum. Ἀποστέλλειν τὸν λόγον, *tradere doctrinam.* Alias interpretum de huius loci sensu sententias collegit *Wolfius* in Curis ad h. l. quas omnes recensere, instituti ratio non permittit. Praeferenda videtur *Erasmi*, *Er. Schmidii*, *Heumanni*, *Boltenii*, *Beckii* (Obss. critico-exegett. P. I. p. 13. Lips. 1795. 4.), *Heinrichsii*, *Kuinoelii* aliorumque sententia, qua verba ὑμεῖς οἴδατε a comm. 37. avelluntur; τὸν λόγον vero et comma 37. τὸ γενόμενον ῥῆμα, uti per appositionem iuncta censentur, atque verba: οὗτός ἐστι πάντων κύριος uncis includuntur; ut sensus sit: *Doctrinam, quam Deus* (Θεὸς subaudiendum) *Israelitis tradendam curavit, annuncians felicitatem per Iesum Messiam, (qui est omnium dominus,) vosmet nostis, doctrinam* (ῥῆμα) *inquam, quae per totam Iudaeam propagata est, exorsa a Galilaea, inde a baptismate, quod Ioannes com-*

mendavit. Πάντων κύριος, vid. Io. XVII, 2. ibique notata. ὑμεῖς οἴδατε) *Vos nostis.* Hoc non de plena et accurata religionis christ. cognitione intelligendum; sed οἴδατε est i. q. ἀκηκόατε, cf. supra II, 22. IX, 13. Caesareae multi Iudaei habitabant, Philippus ibi doctrinam Christi praedicaverat (VIII, 40.); multa igitur Cornelius eiusque amici de Christo audiverant. Fortassis ipse Cornelius Petro, antequam hic orationem suam exordiretur, dixerat, se iam notitiam eorum habere, quae accuratius cognoscere cupiat. Hinc Petrus orationem exoriens dicit: ὑμεῖς οἴδατε, *ihr wisset also*, etc., et Vs. 39. pergit: καὶ ἡμεῖς κ. τ. λ., *sane quidem, nos sumus testes* etc.; vera sunt quae audiistis.

38. Ἰησοῦν — δυνάμει) *Ut nempe Deus Iesum Nazarenum largissime donavérit spiritus sancti donis* etc. Accusativus Ἰησοῦν pendet ab οἴδατε Vs. 37. Vocula ὡς hic omnino transposita est, et αὐτὸν abundat, uti τούτων supra c. I, 22. quod exemplis similibus illustrat *Kypke* ad h. l. Δύναμις, *vis miracula edendi. Ungere*, tropice sumtum, in universum est *tribuere aliquid, inaugurare.* Ratio huius tropicae significationis quaerenda est in ritu symbolico Iudaeorum, qui ungere solebant reges, sacerdotes, et alios; qua actione symbolica significabant, hominibus illis, qui oleo illinerentur, tribui certa iura, certam dignitatem. Ergo phrasis: *Deus unxit Iesum Spiritu*, sine tropo recte exprimitur: Deus fecit ut Iesus esset doctor, et legatus divinus, dum eum dotibus eximiis instruxit. Πνεῦμα καὶ δύναμις, *divina vis.* Hac divina vi instructus esse dicitur is, qui vel facit, vel habet, quae ipse nec facere, nec habere potest, sed Deus per eum agit, eique

dat. Nominatim Prophetae instructi esse dicuntur πνεύματι καὶ δυνάμει, (ut Elias et Ioannes Baptista, Luc. I, 17.) i. e. idonei redditi a Deo vel ad docendum vel ad patranda miracula. Cum igitur Iesus dicitur instructus fuisse πνεύματι καὶ δυνάμει, tum spectatur qua est legatus divinus. Cf. Io. III, 34. Hac divina vi non tantum docendi, sed etiam miracula patrandi instructus Iesus διῆλθεν — διαβόλου, *peragravit* (Palaestinam) *benefaciens, et sanans omnes in potestatem diaboli redactos*, i. e. omnes daemoniacos, omnis generis aegrotos, nam phrasis *in potestatem diaboli redactum esse* est periphrasis hominis daemoniaci. Alias καταδυναστευόμενοι dicuntur, *qui oppressi sub iugo crudelissimae servitutis ingemiscunt*, uti apud Ioseph. XII, 2. 3. Ὁ θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ) *Deus eum adiuvit.*

39. Pro ὃν ανείλον cum antiquissimis et plurimis Codd. legendum est: ὃν καὶ ἀνείλον, *quem tamen* etc.

40. Ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι) Fecit eum cognosci, visu, auditu, tactu, 1 Io. I, 1. vel ita instituit, ut ille conspicuus fieret, vivum apparere iussit. Δοῦναι, ex hebr. נָתַן, *disponere, constituere.*

41. Ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις) *Declaratis prius a Deo testibus.* χειροτονεῖν, proprie *sublata manu eligere*, ut in Graecia manibus sublatis fiebant electiones magistratuum, deinde *eligere, creare, declarare quocunque modo.* οἵτινες — αὐτῷ) i. e. consuetudine eius usi sumus, et familiaritate. συνεφ. καὶ συνεπ. αὐτῷ populariter est dictum, pro: eius consuetudine usi sumus. Vid. ad Luc. XIII, 26. Haec addidit Petrus, ut maiorem fidem suis dictis adstrueret.

42. Ὅτι αὐτὸς — νεκρῶν) i. e. quod a Deo sit constitutus omnium hominum, nunc viventium, et eorum qui olim in terris vixerunt, iudex et dominus, praemia et poenas olim distributurus. Nomen κριτὴς h. l. omnem gloriam Christi synecdochice exprimit, fideliumque respectu coronidem denotat beneficiorum Christi, 2 Tim. IV, 8. coll. Hebr. XII, 23.

43. Τούτῳ — μαρτυροῦσιν) *De hoc omnes Prophetae docent, per eum omnes in eum credentes, peccatorum veniam consecuturos esse.* Omnes, i. e. plurimi Prophetarum de eo testantur. Sic enim πάντες saepe ex re ipsa est sumendum. Pertinent huc omnes loci V. T. ubi Prophetae loquuntur de foedere novo, in quo ἄφεσιν ἁμαρτιῶν futuram esse dicunt. Prophetas N. T. nonnulli intelligunt, i. e. Apostolos et alios doctores christianos; sine urgente necessitate, ut mihi quidem videtur. Ἄφεσις ἁμαρτιῶν hic ponitur pro omnibus Christi beneficiis, quorum haec est caput quasi et summa. Ergo sensus est, Prophetas praedixisse, Messiam redditurum esse felices omnes eos, qui eius religionem suscepturi essent. *Eckermannus* (Theolog. Beitr. Particul. II. pag. 139. sq.) eam significationem verbi μαρτυρεῖν, cum Dativo constructi, praefert, qua idem est ac *laudare et commendare*, *probare*, ut Luc. IV, 22. Io. III, 26. Luc. XI, 48, ut sensus sit: doctrinam de remissione peccatorum, per Iesum adipiscenda, consentire cum doctrina veterum Prophetarum, atque ab iis dudum fuisse probatam et commendatam. Ps. XL, 7 — 9. L, 8 — 15. Ies. I, 16. 17. Ezech. XVIII, 21. 22. Hanc explicationem commendat *Heinrichsius*, qui praeterea addit: »Quodsi in verbo μαρτυρεῖν solam testificandi, laudandi vim in-

veneris, convenientissime *aut* eo respicies, quod saepissime de futuro Messia loquuntur omnes fere Prophetae, atque, quotiescunque aurea ista secula carminibus celebrant, meliorem quoque cultum, qui gratiores Deo homines redditurus sit et acceptiores commendatum iri praesagiunt, *aut* ad exprimendam simplicem illam sententiam: *omnes prophetae de futuro hoc Messia vaticinati sunt* dicta haec a Petro existimabis, quam quidem nudam sententiam extulerat idem c. III, 24., hic autem ornatiorem profert, eo quod specialius aliquod Messiae meritum diserte affert.«

44. Ἐπέπεσε — τὸν λόγον) *Acceperunt Spiritus sancti dona omnes audientes sermonem.* Ἐπιπίπτειν, ut latinum *illabi.* Aen. III, 89. *animis illabere nostris.* Cf. not. ad cap. VIII, 15. Erat autem haec dispensatio plane necessaria, ut disceret Petrus, et per Petrum Apostoli, non negandum illis aquae baptisma, quibus etiam Spiritus baptisma Deus impertiret.

45. Ἐξέστησαν — πιστοί) Obstupuerunt Christiani ex Iudaeis. Nam περιτομὴ per transnominationem *homines circumcisi,* Rom. IV, 9. Gal. II, 7. 8. 9. ἐκκέχυται) Eadem vox, quae supra II, 17. 33. respondet hebraeo שָׁפַךְ Ioel II, 28. et copiam ingentem donorum significat. Mirati sunt Iudaeo-christiani, quod gentiles dona Spiritus sancti accepissent, quia putabant, neminem gentilium sine circumcisione et transitu ad Iudaismum iura civitatis christianae adipisci posse.

46. Λαλούντων γλώσσαις) Sc. διαφόροις vel ἑτέραις, Variis linguis, ut Apostoli et alii in primo coetu, c. II, 6. 11. qui locus omnino hic est conferendus.

47. Ὕδωρ κωλῦσαι) Id sic dicitur, sicut *prohibetis aquas* apud Ovidium. Prohibet aquas Deus, quum imbrem negat; prohibet aquam, qui non sinit bibi, et qui non sinit lavari. Hac loco sensus est, neminem posse prohibere, vel nihil omnino obstare, quo minus baptizentur ii, qui pariter atque ipsi Spiritum sanctum accepissent.

CAP. XI.

2. Διεκρίνοντο πρὸς αὐτὸν οἱ ἐκ περιτομῆς) *Altercati sunt cum eo fideles e Iudaismo.* Οἱ ἐκ περιτομῆς, *circumcisi*, *Iudaei*, et hic quidem Christiani ex Iudaeis, ut c. X, 45. Verbum διακρίνεσθαι significat in sacris litteris *disceptare*, *ambigere*, *dubitare*, *litigare*, *altercari*. In sermone graeco significat et *decernere*. Putabant Christiani ex Iudaeis, derogari nobilati gentis Iudaicae, si Iudaeus familiariter uteretur homine ethnico.

3. Ὅτι — συνέφαγες αὐτοῖς) *Quare adiisti Gentiles, atque cum iis epulatus es?* commercium cum iis habuisti? Ὅτι hoc loco interrogandi vim habet, et notat *quare? quam ob rem?* pro τι γέγονεν, ὅτι, vel τί ἐστιν, ὅτι; Sic Marc. IX, 12. 20. coll. Matth. XVII, 19. Reprehendebant Petrum, quod non tantum commercium habuisset cum Gentilibus, sed eos etiam in coetum Christianorum per initiationem baptismatis recepisset.

4. Ἐξετίθετο) *Narravit;* nam ἐκτίθεσθαι in N. T. saepe est *narrare*, *exponere*, *explicare*. Sic e. g. infra c. XVIII, 26. XXVIII, 23. Hanc significationem accepit ad imitationem hebraici נגלה, ut Iobi XXXVI,

15. Est tamen hoc sensu quoque apud Iosephum Ant. 12, 2. Καθεξῆς, *Singillatim;* a capite ad finem. Nuda rei gestae narratio sufficere poterat ad Petrum excusandum.

12 Οἱ ἓξ ἀδελφοὶ οὗτοι) Qui testari poterant, a Deo dona Spiritus sancti in *Cornelium* et domesticos eius effusa.

15. Ἐν δὲ — ἐν ἀρχῇ) *Quum ego vero coepissem verba facere, tributa sunt hominibus illis dona Spiritus sancti, uti et nobis ab initio*, nempe die pentecostali. Ἐν τῷ ἄρξασθαί με, paullo laxius accipiendum est, ut non vertatur *quum inciperem*, sed *quum coepissem*, quod fieri potuit in media illa oratione. Cf. c. X, 44.

16. Ἐμνήσθην — ἁγίῳ) Supra c. I, 5. Sunt proprie Ioannis Baptistae verba, Matth. III, 11. Marc. I, 8. Luc. III, 16. Io. I, 26. Sed quae Ioannes dixerat, probavit Christus. Hanc vero Christi promissionem Petrus non tantum ad Apostolos, sed ad omnes Christianos referri vult.

17. Ἐγὼ δὲ — τὸν θεόν; Pro: τίς ἤμην ἄρα (μὴ) δυνατὸς. Quis ego eram, ut Deo possim obsistere? Deus eos tales vocavit ad salutem, non ego. Similis verborum constructio apud Cic. Rosc. Amer. 49. *Quid censes hunc ipsum Roscium quo studio esse?* Vid. *Wineri* Gramm. p. 191.

18. Ἀκούσαντες δὲ ταῦτα ἡσύχασαν) *His auditis siluerunt*, sive, ut vertit Vulgatus: *tacuerunt*, i. e. acquieverunt. Verbum ἡσυχάσαι hac notione aliquoties est apud Philonem, veluti Lib. I. Alleg. εὐθὺς ἡσύχασεν, *quum dixisset — mox tacuit.* ταῦτα emphatice: *ita* rem comparatam esse, dass die Sache *so* zusammen-

hänge. ἄραγε — ζωὴν) *Ergo etiam Paganis Deus concedit, ut emendentur* (ad christianam religionem perducantur) *suae felicitatis caussa.* Μετάνοια h. l. est transitus a falsa religione ad veram, et nominatim a gentili superstitione ad christianam religionem, sperandamque inde felicitatem. Sensu theologico hic non sumi vocem μετάνοιας inde apparet, quod Cornelius cum familia sua vir εὐσεβὴς fuisse dicitur: c. X, 2. Sic etiam quum de *Iudaeis* sermo est, μετάνοια haud raro est transitus a contemtu Messiae ad venerationem eius, ad religionem christianam.

19. Per reliquam huius cap. partem describitur propagatio religionis christianae extra Pslaestinam. Οἱ μὲν οὖν — Ἀντιοχείας) *Qui ergo dispersi fuerant inde a tempore calamitatis, quae Stephano acciderat, hi itinera fecerunt usque Phoenicen, Cyprum et Antiochiam.* Ἡ θλῖψις ἡ γενομένη ἐπὶ Στεφάνῳ, *calamitas quae acciderat Stephano*, vel ob Stephanum. Alii: *post* Stephani mortem, ut ἐπὶ denotet: *post*, et sensus sit, *post Stephani* tempus vel caedem exortam esse hanc, quae memoratur, calamitatem, cuius fit mentio c. VIII, 1. sq. In hac significatione ἐπὶ occurit apud *Aelian.* Var. Hist. XII, 1. ἐπὶ πολλοῖς ἐβιάσθη, *post multa coacta est.* De dispersis illis vid. supra c. VIII, 1. sq. *Antiochia*, cuius hic fit mentio, est Antiochia Syriae, qua haec Ciliciam spectat. Fuit haec urbs, Strabone teste, metropolis Syriae, sedes regia illorum, qui huic regioni imperitarunt, et postea legatorum Romanorum, ad Orontem fluvium. Cicero orat. pro Archia c. 3. eam vocat locum nobilem, celebrem quondam urbem, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis adfluentem. Habitabant in ea Graeci, sed et Iudaei habebant

ibi splendidissimam Synagogam, teste Iosepho, de B. I. Lib. VII, 3, 3. Ad hanc urbem exules Christiani, qui Hierosolymis secesserant, velut ad tutum aliquem portum confugerunt. μηδενὶ — Ἰουδαίοις) Non ausi sunt, ethnicis istarum provinciarum incolis evangelium promulgare, quia de iis, quae Petro acciderant, nil compertum habebant.

20. Ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς) Legendum potius Ἕλληνας, *docuerunt Graecos*, i. e. *Gentiles*. Si enim Christiani illi Cyprii et Cyrenaei Hellenistas docuissent, nihil fecissent aliud nisi quod etiam fecerant illi, de quibus v. 19 dictum est. Nam Hellenistae etiam fuerunt Iudaei illi (τίνες ἐξ αὐτῶν referendum est non ad διασπαρέντας, sed ad Ἰουδαίοις Vs. 19. extr.), qui tantummodo alia lingua utebantur quam Iudaei Palaestinenses. Legendum est igisur Ἕλληνας, *Graecos*, i. e. Paganos. Illi igitur Iudaei (Hellenistae), per Palaestinenses Iudaeos ad religionem christ. conversi, faciliores erant in tolerandis admittendisque paganis. Hanc lectionem habent versio syriaca, et latina vulgata cum aliis nonnullis, Codex Alexandrinus, Chrysostomus et Eusebius.

21. Χεὶρ Κυρίου) *Auxilium divinum*, sc. per Evangelium se exserens.

22. Ἠκούσθη εἰς τὰ ὦτα) i. e. ἠκούσθη τοῖς ὠσίν, *auribus auditus est sermo ille*, vel *res illa*. Pleonasmo emphatico, ut: Vocemque his auribus hausi. Λόγος h. l. est *fama*, *rumor*. Barnabam, Cyprium (IV, 36.), Hellenistam, miserunt, ut Christianos Antiochenos, antea gentiles, in fide confirmaret.

23. Τὴν χάριν τοῦ θεοῦ) *Beneficium divinum*, i. e. incrementum ecclesiae. τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ Κυρίῳ) *Ut firmo et constanti animo adhaererent Domino*, i. e. religioni christianae, quam amplexi erant. Πρόθεσις τῆς καρδίας h. l. est *firmus et constans animus*, ut 2 Tim. III, 10. προσμένειν, *adhaerere*, ut apud Ioseph. Ant. XIV, 2, 1. μόνων τῶν ἱερέων Ἀριστοβούλῳ προσμενόντων, *quum soli sacerdotes Aristobulo adhaererent.*

24. Per voc. ἀγαθὸς *Heinrichsio* lenitudo simul et mansuetudo animi exprimi videtur, qua animos facillime sibi conciliabat et ad relig. christ. amplectendam pronos reddebat; idem verba: καὶ πλ. πν. ἁγ. explicat: sed etiamsi leniore esset animo, studio tamen et ardore rei christ. propagandae effervescebat.

25. Σαῦλον) Prae ceteris Paulus erat idoneus ad hoc negotium, quia a Christo ipso delectus, adhaec etiam linguae graecae peritia erat instructus. Vid. IX, 29. Hunc ergo, amicum veterem et beneficio a se affectum (IX, 27.), Barnabas socium assumsit. Paulus in patriam, Tarsum confugerat, propter insidias sibi a Iudaeis structas, c. IX, 30.

26. Ἐγένετο — Χριστιανούς) *Versati sunt autem cum illo coetu per integrum annum, imbuentes doctrina Evangelica permultos; ac primum Antiochiae fideles Christianorum nomine insigniti sunt.* Ἐκκλησία h. l. est coetus fidelium. συνάγεσθαι *confluere, convenire*, interdum etiam significat *hospitio excipere, benevole et humaniter aliquem suscipere*, ut Matth.

XXV, 35. hebraico loquendi modo. Sic 2 Sam. XI, 27. *συνήγαγεν αὐτὴν εἰς τὸν αὐτοῦ*. Cf. Iudd. XIX, 15., in quibus locis in hebraico legitur אָסַף. Vertere igitur licet, *benevole excepti sunt*. Alii *συναχθῆναι* vertunt: *congregari*, congregatumque manere et una versari; vel etiam hoc Passivum neutraliter accipiunt: *se congregare*, *convenire*. Vox *χρηματίσαι* sat crebro neutraliter notat, *denominari*, *nomine accipere*. Vid. *Kypke* in h. l. *Χριστιανούς*) Antea *discipuli* Christi, *πιστοὶ* tantum vocabantur, vel fortasse Nazareni et Galilaei. Quaerunt eruditi, an hoc nomen sibi ipsis imposuerint discipuli, an ab aliis illud ipsis sit impositum? Non videntur sibi ipsis imposuisse; potuissent enim graviorem invidiam sibi conciliare, si voluissent adeo novo nomine distingui a Iudaeis. Quamdiu pro Secta Iudaeorum habebantur, iisdem iuribus et privilegiis cum his fruebantur, et facilius odium Romanorum evitare poterant. Igitur credibile est, hoc nomen ipsis ab aliis esse impositum. Nam Antiocheni ad iocos et dicteria erant proni, *Zosimo*, *Iuliano*, *Procopio*, aliisque testibus. Quum igitur, qui partes Anticaesaris alicuius sequebantur, solerent nomine ita desinente a Latinis appellari, e. g. Caesariani, Pompeiani, Mariani, Herodiani; morte principis autem illae partes extinguerentur; Antiochenis mirum videbatur, discipulos Christo Regi, quem ignominiosa morte sublatum ipsi fatebantur, adhuc adhaerere; unde illis per ludibrium istud nomen imposuerunt. *Christianorum* nomen, quod peropportunum putabatur ad cultores Iesu Christi ab Iudaeis internoscendos, mox extra Palaestinam in omnibus Romani imperii provinciis frequentari coepit. Nec tamen ipsi *μαθηταὶ* ea iam aetate illud nomen usurpa-

runt, sed soli extranei; veluti rex Agrippa in sermone ad Paulum (XXVI, 28.), non hic ipse, Agrippae respondens; neque aliter Petrus, Epist. I. c. IV, 16. (Saepius illud nomen in Apostolorum scriptis non reperitur.) Etenim si minus infamandi studio inventum id nomen erat, at certe apud ἀπιστοὺς eo tempore in probro habebatur. Quippe Christianorum *haeresis* (XXIV, 5. 14. XXVIII, 22.) in suspicionem seditionis adducta fuerat ab Iudaeis, ut quae non imperatorem Romanum, sed alium quendam, Iesum, regis ac domini nomine appellaret (XVII, 6. 7. coll. Luc. XXIII, 2.); nec alia deerant crimina, quorum culpa satis probabili specie in Christianos derivabatur. Vid. Tacit. Ann. XV, 44. Cf. *Knappii* Opuscc. p. 498. *Christianorum* autem nomen adeo non aversati sunt qui Christo nomen dederant, ut potius honori sibi ducerent, et postea retirent. Ceterum Antiochiae primus erat coetus Christianorum, ex Iudaeis et gentilibus mixtus. Nam hactenus Iudaeo-christiani nondum in unam societatem coierant cum iis, qui ex gentilibus ad Christum accesserant.

27. Προφῆται) De Prophetis N. T. consulenda sunt inprimis loca in Epist. ad Roman. XII. et 1 Cor. XIII. XIV. Fuerunt, ut patet ex his aliisque locis, viri tales, qui subito quodam et inopinato saepe Spiritus Sancti afflatu ad publice dicendum in ecclesia impellebantur, et nunc docebant, nunc Deum carminibus celebrabant, nunc preces recitabant, vel etiam vaticinia proferebant. Dignitate inferiores erant Apostolis, superiores vero ceteris doctoribus omnibus (Eph. II, 20. III, 5.) κατῆλθον ἀπὸ Ἱεροσ.) Aderat ergo frequentissimum consortium inter ecclesiam Palaestinensem Hierosolymitanam et ecclesiam

Antiochenam extra Palaestinam, et huc illuc ibant redibantque, Vs. 22. 29.

28. Λιμὸν μέγαν μέλλειν ἔσεσθαι) Pro μέγαν cum aliis libris legendum videtur μεγάλην. Constat, auctoribus *Dione Cassio* Lib. LX. *Suetonio* in Claudio c. 28. et *Tacito* Annal. XII, 43. sub Claudio non semel sed aliquoties, nec in Iudaea solum, sed Romae etiam, praecipue tamen in Iudaea, famam esse grassatam. *Krebsius*, qui omnino hic conferendus, illam famem, ab Agabo praedictam, pertinere existimat ad Claudii annum quartum, quo fames exorta est, quae anno sexto adhuc duravit. ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην) Intellige aut *magnam Romani imperii partem*, aut *terram Iudaicam*, ut Luc. II, 1, quod posterius probabilius, quum v. 29. discipuli Antiochiae habitantes (ibi igitur fames non saeviit,) dicantur pecuniam misisse Christianis in Iudaea degentibus. Confirmat hanc sententiam Iosephi locus Antiqq. XX, c. 5. §. 2. ubi de fame loquitur, quae *Fado* et *Tiberio Alexandro* Procuratoribus, κατὰ τὴν Ἰουδαίαν fuerit. Idem c. 2, 5. commemorat, Helenam, reginam Adiabenorum tum temporis venisse Hierosolyma, atque fame urbem premente, multisque alimentorum inopia pereuntibus, misisse alios Alexandriam, qui vim magnam tritici coemerent, alios vero in Cyprum, qui caricarum sarcinas advehi curarent.

29. Καθὼς ηὐπορεῖτό τις) *Prout cuique suppetebat.* Elliptica est locutio, in qua Genitivus χρημάτων, aut simile quid supplendum est: *uti cuique opes suppetebant*, pro sua quisque facultate. Plane *Strabo* Lib. III. Celtiberos vocat χρημάτων εὐποροῦντας, *divites.*

ὥρισαν) Descripserunt, definierunt pecuniae certam summam. εἰς διακονίαν) *Ad levamentum pauperum.* Cf. supra c. VI, 1. τοῖς κάτοικ. — ἀδελφοῖς) Qui pauperes ferme erant; nam sua iam erogaverant, a Iudaeis autem quod sperarent, non erat. Christiani Palaestinenses divitiis opumque abundantia Antiochenis longe inferiores fuisse videntur.

30. Πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους) Haec prima est presbyterorum in ecclesia mentio. Iudaeis זְקֵנִים dicti, non solum qui iudiciis publicis, sed et qui synagogis singulis praeerant. Totum autem regimen ecclesiarum Christi conformatum fuit ad synagogarum exemplar. Ex epistolis Apostolorum utcunque colligi potest, hos Christianorum Presbyteros partim docuisse, partim rerum externarum curam in coetu christiano habuisse. διὰ χειρὸς) *Per*, hebr. more.

CAP. XII.

1. Κατ' ἐκεῖνον — τῆς ἐκκλησίας) *Circa illud tempus*, nempe regnante *Claudio*, Romanorum Imperatore. Redit hic Lucas in tempus praeteritum. Nam fames, de qua c. XI, 27. sqq. post mortem demum Herodis Agrippae fuerat. *Herodes iste*, de quo hic sermo est, apud scriptores profanos vulgo *Agrippa* et quidem *Maior*, dicitur. Hic *Herodes* s. *Agrippa* nepos fuit Herodis illius Magni, cuius mentio Matth. II., filius Aristobuli, Herodis M. iussu interfecti, et patruus Philippi Tetrarchae. Titulum *Regis*, et Tetrarchiam, quae

Philippi fuerat, debuit munificentiae liberalitatique Imperatoris *Caii*, Ioseph. A. XVIII, 6. 10. qui non multo post addidit tetrarchiam Herodis, fratris ipsius, Lugdunum in exilium eiecti. Neque minus eum auxit et ornavit *Claudius* Imperator, qui, teste Iosepho Ant. XIX, 5, 1. imperio Agrippae adiecit, quicquid Iudaeae et Samariae olim ad eius avi Herodis regnum pertinebat. De familia Herodis copiosius exposuit *Fischer* de Vitiis Lexicor. N. T. Prolus. XVIII. p. 423. sqq. *Herodes Agrippa*, valde studiosus iudaicae legis, ἐπέβαλεν τὰς χεῖρας — τῆς ἐκκλησίας, *manus admovit*, i. e. *coepit affligere, nonnullos Christianos.* ἐπιβάλλειν, manus iniicere alicui ad capiendum, i. q. ἐπιχειρεῖν. Κακῶσαί τινας) Distinguitur haec κάκωσις a caede Iacobi, et Petri comprehensione, ut significetur, nonnullos christianos fuisse iniuriis maximis affectos.

2. Ἀνεῖλε — μαχαίρᾳ) Filium Zebedaei, Math. XX, 23. qui etiam vocatur Maior, distinguendus a Iacobo minore, Alphaei filio, et Iudae fratre. Haec Hierosolymis acta sunt. Alter Iacobus, cuius postea quoque mentio fit, ab Anania Pontifice fuit interfectus, regnante Nerone. »Ceterum causae rerumque opportunitates, quibus inductus manum iniecerit Iacobo, non exponuntur, quia nonnisi introducendus erat lector in ea quae sequuntur. Probabiliter nimia παῤῥησίᾳ peccare visus erat Iacobus. Copiosius autem exponitur res palmaria ipsa, quae iam sequitur.« *Heinrichsius.*

3. Προσέθετο συλλαβεῖν καὶ Πέτρον) *Amplius comprehendit Petrum.* Volebat e medio tollere ecclesiae capita. Solent N. T. Scriptores verbum προστίθημι aliis

verbis addere, ita, ut partim adverbialiter ponatur pro *deinde*, *amplius*, *porro*, *praeterea*, et indicet, aliquem pergere in agendo; partim vero plane abundet. Imitati sunt hac in re Scriptores hebraicos, qui eadem ratione suum יסף aliis verbis addere solent, e. g. Gen. VIII, 10 Deut. III, 26. ἦσαν — ἀζύμων) Hebdomas paschalis. His ipsis diebus festis Herodes, qui studium et zelum avitae legis affectaret, Petrum supplicio tradere non potuit.

4. Τέσσαρσι τετραδίοις στρατιωτῶν) *Quatuor quaternionibus militum*, i. e. sedecim militibus. Custodiebant Petrum milites more Romano. Quanto enim studio Agrippa, Romae educatus, si a sacrorum cultu discedatur, mores Romanorum aemulatus sit, sat clare docent loci Iosephi Antiqq. XIX, 7, 4. et 5. coll. c. 8, 2. Milites, quibus custodia captivorum vel carcerum, aliorumque locorum committebatur, quatuor apud Romanos simul esse solebant, qui excubitum noctis ita faciebant, ut vigiliis in quatuor partes ad clepsydram distributis, singuli deinceps ternis horis vigilarent. Quia igitur Herodes Petrum custodiri voluit a quatuor militibus, quorum duo ei alligati (v. 6.), eum in ipso carcere observarent, totidem ante fores excubarent: facile intelligitur, necesse fuisse, ut quatuor militum quaterniones deligerentur, qui custodiae hominis praeficerentur. Vid. *Walchii diss. de vinculis Petri* etc. *Fischer* de vitiis Lexicor. pag. 432. ἀναγαγεῖν, et mox προάγειν est *producere* aliquem tanquam reum, partim ut ad crimina respondeat, partim ut poenas luat.

5. Προσευχὴ — ἐκκλησίας) *Assiduae preces fusae sunt a coetu Christiano.* Ἐκτενὴς, *extensus*, inten-

sus. Προσευχὴ ἐκτενὴς significat *intensas*, *ardentes*, *vehementes preces.* Eiusmodi precibus magna vis attribuebatur. Hebr. XIII, 18. 19.

6. Τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ) Quum producturus scilicet esset postridie Herodes Petrum. Somnus autem Petri indicat bonae conscientiae et confidentis Deo animi securitatem. μεταξὺ — δυσὶ) Militibus adligatus et quidem duabus catenis. Utraque nempe manus, ut eo tutior esset custodia, singulari catena fuit onerata; ita, ut dextra ad alterius militis sinistram, sinistra ad alterius dextram esset alligata, ope nempe manicarum, quarum formam et usum *Walchius* l. c. descripsit.

7. Καὶ ἰδοὺ ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη) *Tum improviso angelus Dei superstitit. Eichhornius* (Allgem. Bibl. d. bibl. Litterat. Tom. III. p. 396. sqq.) totius huius narrationis summam hanc esse arbitratur, ut Petrus *modum* liberationis ipse ignoraverit, ideoque beneficium acceptum singulari providentiae Dei *universe* assignaverit, quod ipsum solum exprimat angeli mentio. Fieri potuisse putat, ut Petrus ab ipso praefecto, qui ei faveret, vel ab alio quovis homine ereptus sit. Sed lege quae contra disputavit *Storrius* in dissert. exeget. in libror. N. T. historic. aliquot loca. P. II. pag. 84. sqq. Alii statuunt, fulgur nocturno tempore carcerem penetrasse, et foribus perruptis liquasse catenas Petri, qui tamen illaesus manserit; hunc vero, quum expergefactus custodes carceris ictu fulminis prostratos vidisset, fulminis quasi ductu sine mora per eos transiisse foras in plateam, antequam sensisset, se Dei potentia e carcere liberatum esse. Huiusmodi coniecturas aliis diiu-

dicandas relinquimus. Interim hoc est verum, saepe ministerio angelorum adscribi operationes divinas, ex causis naturalibus ortas. Exemplum habemus in ipso hoc capite v. 23. ubi angelus Herodem percusisse dicitur. Ceterum quocunque tandem modo Petrus carcere liberatus sit, continet haec res insignius providentiae divinae specimen, Apostoli vitam tuentis, atque ad largiora rei christianae incrementa afferenda conservantis. Cf. *Heinrichsii* Excurs. ad h. l. ἐν τῷ οἰκήματι) Οἴκημα idem est quod δεσμωτήριον, *carcer*, apud Atticos praesertim. Vid. *Kypke* et *Wetsten.* πατάξας δὲ τὴν πλευρὰν) *Percussit latus.* Ut solent, qui aliquem volunt excitare. ἐξέπεσον) Solvente illo angelo.

8. Περίζωσαι, *praecinge te.* Vestes Orientalium ad imos usque pedes demissae erant, quas succingere, et circa lumbos subligaculo arcte ac firmiter constringere moris erat, ne currentibus, laborantibus, aut etiam pugnantibus impedimento essent. Ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, *indue calceamenta tua.* Περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου, *circumda tibi vestimentum tuum.*

9. Prorsus ignorat Petrus, quid sibi fiat, ut accidit hominibus ex somno expergefactis. Visionem sibi apparere putabat.

10. Διελθόντες — τὴν πόλιν) Non contemnenda est *Ligtfooti* sententia, coniicientis, carcerem hunc fuisse extra civitatem intra duos extimos muros. Si enim fides habenda scriptoribus ludaicis, triplex murus urbem Hierosolyma cinxit; quorum interior et antiquissimus sexaginta, exterior nonaginta, medius quatuordecim turres

habuit. Per *primam custodiam* Lucas intelligit *primos excubantes vigiles*, metonymice, ut: *Noctem custodia ducit insomnem ludo.* Vero simillimum est, gravem soporem, Deo ita providente, artus militum occupasse, ut nec liberationi Petri obsistere, nec eius rationem edisserere valuerint. Ἦλθον ἐπὶ — τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν) *E carcere in ipsam urbem Hierosolymorum.* Sine dubio turres interioris muri duplicem habuere portam, quarum altera ad civitatem, altera ad pomoerium, sive illud spatium, quod inter interiorem et medium murum fuit, duxit. αὐτομάτη) Αὐτομάτως fieri dicitur, quod fit sine labore humano.

11. Καὶ ὁ Πέτρος γενόμενος ἐν ἑαυτῷ) *Petrus vero quum ad se rediisset;* i. e. quum somno penitus dissipato, et animo ex stupore ob rem inopinatam iterum collecto, satis sibi conscius esset, et quid secum ageretur rectius intelligeret et perpenderet. De his, qui ex stupore aliquo et perturbatione ad se redeunt, Polyb. I, 49. ταχὺ δ' ἐν αὑτῷ γενόμενος. *Horatius* Epist. II. 2. 138. *ubi — redit ad sese.* Καὶ πάσης — Ἰουδαίων) *Ex omni exspectatione populi Iudaici,* i. e. ut falleretur exspectatio populi Iudaici, ut frustra esset omnis illa exspectatio.

12. Συνιδών τε) *Considerato ubi locorum esset,* quaesivit proximam domum fidorum sibi. *Considerans,* vel *desiderans*, quid videlicet agendum esset, ut saepe apud Profanos. τοῦ ἐπικαλουμένου Μάρκου) Graeci huno Ioannem cognomine Marcum, Evangelistam Marcum fuisse perhibent, consobrinum Barnabae, cuius Petrus ad Evangelii praeconium opera sit usus.

13. Τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος) *Ianuam vestibuli*, s. *aediculae portam continentis.* Per πυλῶνα *conclave*, s. *conclavia* intelliguntur, quae portae adiacent, s. superstructa sunt. Sic Polybius L. XV, c. 29. τὸν χρηματιστικὸν πυλῶνα τῶν βατιλείων vocat portam regiae et vestibulum, in quo reges soliti de negotiis conveniri. ὑπακοῦσαι) Hoc loco denotat *audire* pulsantem ostium, et sciscitando cognoscere quis adsit. *Demosthenes* in *Everg.* ἐκέλευσα δὲ τὸν ἄνθρωπον τὴν ὑπακούσασαν μετελθεῖν αὐτὸν, Iussi ancillam, quae, *quum audiisset pulsantem*, praesto fuerat, arcessere ipsum. Ῥόδη) *Menander* Antistita ap. *Stob.* bis Ῥόδη, mulieris nomen. Quemadmodum *Susanna* nomen habet a liliis, *Hadassa* a myrto, ita *Rhode* a rosis.

15. Ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστίν) De angelo tutelari hoc plurimi intelligunt. Si hoc est, congregati illi loquuntur ex opinione vulgi; nam Iudaei et ethnici angelos tutelares singulis hominibus dari crediderunt. Christiani igitur illi, qui scirent, Petrum sollicite custodiri, et in vincula esse coniectum, ut de eo supplicium sumeretur (Vs. 4.), quum sibi minime persuadere possent, Petrum e carcere evavisse, putabant adfuisse eius genium tutelarem, ut significaret, illum moriturum esse, et congregatos moneret, precarentur, ut constanter mortem subiret.

17. Κατασείσας — σιγᾷν) Κατασείειν in universum est, *alicui manu, vel alio quocunque modo, signum dare.* Sic est apud Iosephum A. XVII, 16, 2. Deinde inprimis Oratores κατασείειν τῇ χειρὶ dicuntur, quum, orationem habituri, manu silentium indicunt; ap. eun-

dem A. VIII, 11, 2. Ἰακώβῳ) Fuit is Iacobus minor, Alphaei, auctor epistolae, Episcopus Hierosolymorum. καὶ τοῖς ἀδελφοῖς) Iis, qui in eo loco tunc non aderant. Multis enim in locis coetus habebant, ne nimia multitudo in unum conglobata suspectiores eos faceret. εἰς ἕτερον τόπον) Probabilis est eorum sententia, qui Petrum Antiochiam profectum esse putant, coll. Gal. II, 11. Pontificii nonulli sine idoneis rationibus statuunt, Petrum concessisse Romam, ibique episcopatum suscepisse. Mox eum rediisse Hierosolyma patet ex c. XV. huius libri.

18. Τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο) *Quid factum esset Petro?* ut Io. XXI, 21. et saepe apud Profanos.

19. Ἀνακρίνας — ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι) *Caussae cognitione de iis instituta, poena eos affici iussit.* Ἀπαχθῆναι usurpatur a Graecis aeque ac Latinis *de deductione ad mortem*, interdum tamen de abductione vel in carcerem, vel ad poenam qualemcunque etiam non capitalem. Hesychius: ἀπάγεσθαι, εἰς θάνατον ἕλκεσθαι. Custodes quorum culpa vinctus e custodia effugerat, gravissima poena, ea ipsa plerumque, quae elapso inferenda fuisset, apud veteres solebant affici. καὶ κατελθὼν — διέτριβεν) *Et descendens e Iudaea, Caesaream profectus est, ut ibi aliquamdiu commoraretur*, s. et ibi aliquamdiu commoratus est. Θιέτριβεν, sc. ἐκεῖ. Vel interpunctione ad vocem Ἰουδαίας apposita, εἰς τὴν Καισάρειαν valet ἐν τῇ Καισαρείᾳ.

20. Ἦν δὲ ὁ Ἡρώδης (omittitur hoc nomen in nonnullis Codd. antiquis) θυμομαχῶν Τυρίοις καὶ Σιδωνίοις) *Infestus erat* his urbibus Herodes, nocebat illis quan-

tum poterat. Θυμομαχεῖν proprie est, *infenso animo bellum meditari, vel gerere.* Sed bellum meditari adversus Tyrios et Sidonios vix poterat Herodes; erant enim subiecti imperio Romanorum, quibus ipse etiam regnum suum debebat Est igitur θυμομαχεῖν h. l. *infenso in aliquem esse animo.* Prohibuit forsan Herodes annonae aliorumque terrae proventuum in has urbes transportationem, quod easdem maxime vexabat. Hoc sensu de *Hannibale* dicit *Corn. Nepos* c. 1. quod, quamvis patria pulsus esset, *nunquam destiterit animo bellare cum Romanis*, i. e. quod nocere Romanis omni ope annisus sit. Similia loca sunt ap. Polyb. et Plutarch. Quae commiserint Tyrii et Sidonii, quibusve rebus regis iram provocaverint, non additur; forsan (uti *Heinrichsius* suspicatur) in mercatura cum Iudaeis Herodis imperio subiectis nimium lucrum captaverant, siquidem vix intentante minas Herode, mitigare regem sibique reconciliare enixissime student. ὁμοθυμαδὸν δὲ παρῆσαν πρὸς αὐτὸν) Legati ex communi utriusque civitatis decreto. καὶ πείσαντες) Πείθειν est, *sibi consiliare*, sive precibus, sive donis. Xenophon de republ. Athen. ἐὰν μὴ πείσῃ τὸν ἄρχοντα τῆς θαλάσσης, *nisi maris dominatorem sibi conciliaverit.* τὸν ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος) *Cubicularium.* Supplere potes ὄντα, s. γινόμενον, s. τεταγμένον. Sic Plutarchus in Othone: ἐπὶ τῶν ἐπιστολῶν γενόμενος τοῦ Ὄθωνος, *qui Othoni fuerat ab epistolis.* ἠτοῦντο εἰρήνην) i. e. Rogabant hae urbes, *ne ipsarum turbaret tranquillitatem* et *ne ipsas*, commeatuum transvectione aliove commercio impedito, aliisve modis, quos facile suppeditat vicinitas, *premeret atque infestaret. Pax* enim non tantum *bello*, sed et ἀκαταστασίαις 1 Cor. XIV, 33. et τῷ μάχεσθαι,

rixis privatis, et τῷ ἀδικεῖν Act. VII, 26. opponitur, et εἰρήνην ἔχουσι, *qui quiete et tranquille vivunt*, Act. IX, 31. διὰ τὸ — βασιλικῆς) Sc. χώρας. *Quia regio eorum ex regis territoriis alebatur.*

21. Ταυτῇ τὲ ἡμέρᾳ) *Statuto die.* Fuit dies secundus ludorum, pro salute Imperatoris Romani celebrari Caesareae solitorum, de quo Iosephus A. XIX, 8, 2. omnino hic conferendus. Reges Iudaeorum hoc dederunt adulationi, ut *Caesareae*, quae splendide erat aedificata, ludos scenicos in honorem Caesaris agerent, atque in eo mores Paganorum imitarentur. Hoc fieri Hierosolymis, ubi veri Dei templum erat, non potuit. ἐνδυσάμενος ἐσθῆτα βατιλικὴν) Ex argento rara arte textam, quae, solis radiis in eam incidentibus, splendorem de se edebat admirabilem, teste eod. Ioseph. l. c. καὶ καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος) *sedens in edito loco.* Per βῆμα h. l. intelligendus est suggestus, in theatro Caesareensi ab Herode M. exstructus, unde et spectaret ludos, et, si luberet, concionaretur; quod intelligitur ex Iosepho l. c. παρῆλθεν εἰς τὸ θέατρον, *processit in theatrum.* ἐδημηγόρει πρὸς αὐτοῦς) *Concionem ad eos habuit.* Iosephus l. c. tradit, ludos ab Herode esse celebratos. Sed nulla hic pugna est, quum utrumque sit factum. Videtur nempe haec Herodis oratio spectasse ad compositionem pacis cum Tyriis Sinodiisque factae. Fuit autem hoc in Graecorum institutis, ut, quas res in quamplurimorum notitiam volebant pervenire, eas in celebritate ludorum proponerent.

22. Ὁ δὲ δῆμος — ἀνθρώπου) *Dei oratio est haec, non hominis.* Iosephus l. c. huius acclamationis caus-

sam ab admiratione vestimentorum magnificorum Herodis repetere videtur, Lucas ab admiratione orationis ab eo habitae. Sed utrumque esse potest, et illa verba; στολὴν βασιλικὴν, nullam aliam ob caussam adiecta videntur, quam ut indicaret Lucas, vestis illius regiae magnificentiam in clamore illo adulatorio commovendo, valuisse. *Adulatores*, Iosephus inquit, *Deum appellabant* (Herodem) *dicebantque, propitius nobis esto, et, licet hactenus te veluti hominem reveriti sumus, in posterum mortali sorte maiorem habebimus.*

23. Παραχρῆμα δὲ ἐπάταξεν αὐτὸν ἄγγελος Κυρίου) Vox ἐπάταξε indicat poenam a Deo repente, et immediate immissam. Iosephus in eadem re l. c. tradit haec: *Paullo post autem, oculis in altum sublatis, supra caput bubonem funiculo cuidam insidentem conspexit* (Herodes) *et statim hunc malorum nuncium esse intellexit.* Nempe funibus, si non super omne theatrum, tamen super gradus et capita spectatorum, vela tendebantur, ut ii, nudis capitibus in theatris saepe per maximam diei partem sedentes, a solis ardore defenderentur. Vid. Lucret. IV, 73. Plin. Hist. Nat. XIX, 1. Addit Iosephus, Herodem subito fuisse ventris cruciatibus correptum, et auferri se iussisse. Iosephus igitur ea, quae in sensus oculosque hominum ceciderunt prodidit, Lucas autem loquendi et cogitandi rationem Iudaeorum secutus est. Saepe enim immediatae operationes divinae, vel etiam ex caussis naturalibus ortae, ministerio Angelorum adscribuntur. Cf. Io. V, 4. ἀνθ' ὧν — Θεῷ) Iosephus: *Rex neque illos* (adulatores) *obiurgavit, neque impiam eorum adulationem reiecit.* Hoc Lucas his verbis expressit: *Non exhibuit Deo*

honorem, non professus est, nihil ad se pertinere talia, quae proprie uni Deo conveniunt. Peccat ergo et blasphemiae reus est non solum ille, qui talia verba impia profert, qualia protulerant assentatores, sed et is, qui ea accipit, nec βλασφημίαν inhibet. Ex theocratia Iudaeorum istae opiniones deducendae. γενόμενος σκωληκόβρωτος) *Quum eroderetur a vermibus. Iosephus* l. c. scripsit, τῷ τῆς γαστρὸς ἀλγήματι illum confectum, quinto die esse mortuum. Ex hac igitur Lucae narratione patet, huius cruciatus caussam dedisse rodentes alvum vermes. Putredinis vermicularis vi plures homines, etiam dum viverent, vexatos, et deinde consumtos esse, docet *Richardus Mead* in tractatu *de morbis biblicis*, in vernaculam verso, Lips. 1787. Morbus Herodis forsan fuit idem, qui a Graecis foediori nomine φθειρίασις appellatur, quo et Antiochus succubuit, 2 Macc. IX, 9; Pherecydes, Aelian. var. hist. IV, 28. V, 2; Maximinus, Lactant. de mort. persec. c. 33. ἐξέψυξεν) Hoc non eo valet, ut Herodes statim in ipso theatro post has hominum acclamationes mortuus esse dicatur; sed illo tempore coepit dolores sentire, et domum deportatus paucis diebus post inter magnos cruciatus diem obiit supremum. Tanta est brevitas Lucae in narranda hac historia, ut multa de modo quo res accidit, vix intelligi possent, nisi Iosephus eandem historiam tradidisset.

24. Ὁ δὲ λόγος — ἐπληθύνετο) Multa hominum fruge. Doctrina enim Evangelica germini comparatur. Ergo sensus est: *Doctrina divina* (religio christiana) *indies latius propagata est.*

25. Ὑπέστρ. ἐξ Ἰερουσαλὴμ) Al. leg. ἀπὸ, al. εἰς Ἰερουσαλὴμ, al. εἰς Ἀντιόχειαν, al. ἐξ Ἰερουσαλὴμ εἰς Ἀντιόχειαν. Et ex Hierosolymis reversos esse Antiochiam, verum est. Verbum ὑπέστρεψαν fortassis in Plusquamperfecto est exponendum, ut dicere velit Lucas, haec quae modo de Herrode narrata sunt, ante quam Barnabas et Paulus Hierosolymis Antiochiam reversi fuissent, evenisse. πληρώσαντες τὴν διακονίαν) *Confecto negotio*, quum subvenissent pauperibus Iudaeae, ex pecunia Antiochiae collecta. Supra c. XI, 29. 30.

CAP. XIII.

Incipit tertia huius historiae Apostolicae epocha, usque ad finem libri pertinens, quae historiam de Pauli Apostoli meritis et itineribus comprehendit.

1. Ἦσαν — Σαῦλος) In magnis urbibus, qualis Antiochia, sicut multae erant Iudaeorum synagogae, quia omnes in unum locum coire non poterant, tantis spatiis divisi, ita plures Christianorum conventus. Singulis suus magister, qui et κατ' ἐξοχὴν dictus: ὁ ἐπίσκοπος. In rebus magnis magistri ex omnibus urbis regionibus coibant, ut hic. Triplex erat doctorum christ. gradus, 1) *Apostoli;* 2) *Prophetae*, qui non quidem a Iesu ipso creati, sed tamen diviniore πνεύματος ἁγίου vi agitabantur. Neutri tamen uno degebant loco, sed huc illuc ad colligendas confirmandasque ecclesias profiscebantur, id quod de Apostolis est notissimum, de Prophetis autem patet ex XI, 27. coll. XXI, 10. 3) *Doctores vulgares*, διδάσκαλοι, qui certo quodam loco commorabantur, Apo-

stolisque et prophetis inferiores habebantur, vid. 1 Cor. XII, 28. Eph. IV, 11. Ceterum non argutius quaerendum, quinam ex viris h. l. nominatis ad prophetas, quinam ad doctores vulgariores pertinuerint. Simeon, cognomine Niger, et Lucius homines sunt ulterius nobis non cogniti. Ἡρῴδου — σύντροφος) *Una educatus cum Herode tetrarcha*, eius sodalis. Herodem Antipam hic intelligendum esse, multis probavit *Io. Ern. Imman. Walchius*, qui totum hunc locum illustravit binis dissertatt. una *de συντρόφοις Veterum*, altera *de συντρόφῳ Herodis* (Ien. 1758. 4.) Hunc Herodem Antipam cum fratre Archelao Romae a privato quodam educatum esse, *Iosephus* tradit de B. Iud. Lib. I. c. 28. §. 4. *Menachemus* autem, quisque ille fuerit, cum Herode Antipa unam nutricem habuisse, ac simul Herodis filiorum socius in puerili aetate, eorumdemque convictor, condiscipulus ac collusor fuisse videtur, usque dum eos Pater Romam, ut ibi educarentur, misit. Principum filii suos habebant sodales, s. huiusmodi pueros, qui cum ipsis educarentur; qui mos etiam apud gentiles obtinuit. Varia exempla attulit *Raphelius* in Notis Polybian. ad h. l.

2. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ) *Quum autem illi ministrarent Domino*, i. e. munere suo fungerentur, et preces funderent ad Deum. De verbo λειτουργεῖν vide Schol. ad Luc. I, 23. Quoniam additur eos eodem die ieiunium egisse, verisimile est, fuisse illum diem solemnem, inter Sacra communia et preces ab omnibus Christianis Antiochenis celebratum; profecto enim ieiunium non egerunt quotidie. Dum igitur hunc diem celebrant, εἶπε — προσκέκλημαι αὐτούς, *Spiritus*

sanctus dicit: Seiungite mihi Barnabam et Saulum ad negotium, ad quod ego eos vocavi. Spiritus sanctus dixit, nimirum per aliquem istorum virorum, qui ad publica sacra facienda congregati erant. Πνεῦμα εἶπε pro: ἄνθρωπος εἶπε πνεύματι Φερόμενος. Contigit igitur uni ex iis revelatio, quod saepius factum esse, apparet ex 1 Cor. XIV, 26. Paullo aliter *Kuinoelius* hunc locum interpretatur, e cuius sententia doctores ecclesiae praecipui convenerunt, ut ex ipsorum numero eligerent, qui ad gentes profiscerentur, easque edocerent. »Nec,« inquit, »verba λειτ. α. κ. νηστ. nos cogitare cogunt de integro christianorum coetu die festo congregato. Etenim verbum λειτουργεῖν, quod omnino de cultu Dei adhibetur, quum h. l. addatur ieiunium, rectius de precibus intelligitur, de quibus illud etiam Syrus et Arabs intellexerunt, quum alias quoque ieiunia precibus iungantur. Vid. Matth. XVII, 21. Luc. II, 37. Act. X, 30. XIV, 23. Marc. IX, 29. 1 Cor. VII, 5. Quia autem Iudaei ardorem et fervorem precum ieiuniis adiuvare et adaugere studebant, hinc προσευχὴ et νηστεία ita coniunguntur, ut *preces ardentissimae* significentur. Sic quoque h. l. verba λειτουργούντων αὐτῶν καὶ νηστευόντων, *quum precarentur atque ieiunarent*, si sensum spectamus, notant: quum preces ad Deum ardentissimas facerent, eumque implorarent, vellet animos ipsorum regere, ut ad gentiles exteros edocendos cum maxime idoneos eligerent.« εἰς τὸ ἔργον, ὃ προσκέκλημαι pro: πρὸς ὅ κέκλημαι αὐτούς. Vel etiam ὃ positum est pro εἰς ὅ. Vid. *Kuinoelium* ad h. l. Vocare hic est destinare. Ἔργον, *negotium* h. l. est praedicatio Evangelii inter gentes.

3. Τότε — προσευξάμενοι) *Postquam illud ieiunium egerant, et preces fecerant*, i. e. postquam dies ille solemnis, quo congregati fuerant, praeterlapsus erat. ἐπιθέντες χεῖρας αὐτοῖς) Invocantes Dei opem ad impositum ipsis ministerium. ἀπέλυσαν) i. e. *Vale illis dixerunt.* Solemniter ergo inaugurati Barnabas et Paulus iter ingrediuntur, prosequentibus ardentissimis suorum votis precibusque. Primum hoc iter Pauli ad gentes incidit in an. Chr. 43. vel 44.

4. Οὗτοι — τοῦ ἁγίου) A Spiritu sancto missi esse dicuntur Barnabas et Saulus, quia monente et revelante Spiritu missi erant. εἰς τὴν Σελεύκειαν) *Seleucia*, ex nonnullorum sententia urbs Ciliciae, nomen habuit a novo conditore Seleuco, uno ex iis, qui imperium in orbis terrarum diversis partibus occupaverunt, mortuo Alexandro Magno. Alii rectius intelligunt Seleuciam Syriae ad Orontem fluvium. Strabo Lib. XIV. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 261. Κύπρον) Barnabae patriam, in mari Cilicio. Magna in nobilissima hac insula Iudaeorum multitudo degebat quibus iam XI, 19. traditum evangelium fuisse legimus.

5. Σαλαμῖνι) *Salamis*, urbs Cypri in regione orientali. εἶχον δὲ καὶ Ἰωάννην ὑπηρέτην) *Ioannem*, Marcum cognomine, habebant ministrum, sc. obeuntem munera minora, ut in ecclesia Diaconi. Hunc Ioannem Marcum fuisse Marcum Evangelistam, iam notatum est ad XII, 12. »Marco quidem numquam tribuitur nomen Ioannis a scriptoribus ecclesiasticis, sed observandum, multos homines cognomine frequentius appellatos fuisse, quam nomine ipso, veluti Barnabas (IV, 36.) Quod autem

narrantibus patribus Petri comes fuit Marc. Evang., non refragatur; neque enim Io. Marc. perpetuus fuit Pauli comes, imo mox eum reliquit, et ad Apostolos Hierosolymitanos se recepit, ubi et adfuerat c. XII, 12. Petroque se exhibuerat amicissimum, qui, quo tempore primam Epist. scripsit, eum secum habebat (circa annum 38.) 1 Petr. V, 13. Tum demum, quum in captivitate Romana detineretur Paulus, et Petrus forte iam obierat, eundem Marcum per Timotheum ad se revocat 2 Tim. IV, 11., sociumque secum habet Coloss. IV, 10. Philem. 24., elogio illo 2 Tim. IV, 11. diluens ea, quae olim de eo dixerat, Act. XIV, 38.« Haec *Heinrichsius* ad h. l., quocum consentit *Hugius* Einl. in d. N. T. Vol. II. §. 13.

6. Τὴν νῆσον) Addunt ὅλην Codd. Verss. et Patres nonnulli, quia ab Oriente ad Occidentem usque venerant. Ἄχρι Πάφου) *Paphus*, urbs occidentalis, sacra olim Veneri; unde Venus Paphia; regina Paphi. Τινα μάγον) Hesychius: τὸν ἀπατεῶνα, *impostorem*, magicas artes exercentem. Cf. ad VIII, 9. Vocatur etiam Magus ille ψευδοπροφήτης, i. e. *fraudator*. Etenim in N. T. Pseudoprophetae non semper sunt ii, qui falsas res praedicunt, aut falsam doctrinam tradunt, sed omnino fraudatores, in quacunque demum re fuerit fraus, e. c. Pseudo Messiae. Βαριησοῦς) Filius Iesu sive Iosuae alicuius. Talia nomina sunt *Barnabae*, *Barionae*, *Bartholomaei*, aliaque facta πατρωνυμικῶς.

7. Ὃς ἦν — Παύλῳ) *Qui erat apud Pronconsulem, Sergium Paulum.* Duplicis generis magistratus eo tempore in provincias mittebantur. Nonnullae enim

provinciae erant Caesareae; atque in has mittebantur Propraetores, qui iis praeessent. Aliae erant provinciae Senatus, populique Romani, et in eas mittebantur Proconsules. Cyprus antea quidem fuerat provincia Caesarea, sed Augustus eam donoverat populo, unde fiebat, ut per Proconsulem administraretur. Vid. Dio Cassius hist. Rom. L. IV, p. 525. ed. Leuncl. Ἀνδρὶ συνετῷ) Indicari videtur homo philosophorum placitis systematibusqus bene imbutus, adeoque et Bariesu, viro docto, favens, iamque adventantibus novae alicuius doctrinae praeconibus, et hosce audiendi cupidus et curiosus.

8. Ἐλύμας ὁ μάγος) Elymas non est nomen proprium huius viri, sed aequipollet voci sequenti ὁ μάγος. Est idem, qui Vs. 6. dictus fuerat Bar Iesus. Plene ergo vocabatur Bariesus Elymas, i. e. Bariesus magus, ad indicandam eius sapientiam. In lingua arabica et persica Elymon non solum sapientem, qui res divinas et humanas scrutatur, sed etiam *Magum, magicas artes exercentem* significat. Verba οὕτω — αὐτοῦ adiecit Lucas, ut Theophilo vocabulum insolentius explicaret.

9. Σαῦλος δὲ, ὁ καὶ Παῦλος,) ὁ καὶ Παῦλος, pro: ὁ καὶ καλούμενος Παῦλος, i. e. qui, ex quo cum Romanis conversari coepit, hoc nomine a suo non abludente, coepit a Romanis appellari. Frequentissimum erat Iudaeis inter Graecos Romanosque versantibus, patrium nomen in terminationem peregrinis auribus blandiorem flectere. Ita graeca nomina *Iason* pro *Iesus*, *Trypho* pro *Tarphon*, et prorsus diversa adeo nomina graeca *Menelaus* pro *Onias*, *Alexander* pro *Iannaeus* etc. Romana autem *Pollio* pro *Hillel*, *Alcimus* pro *Iakim*,

Silvanus pro *Silas*, et h. l. *Paulus* pro *Saulus* audiuntur. Non ergo (observante *Heinrichsio*) absimile est a vero, Apostolum, licet natione Iudaeum, at civitate tamen Romanum (XXII, 28.), utriusque gentis nomen assumsisse. Sine idonea caussa nonnulli Paulum a Proconsule Sergio Paulo nomen accepisse opinantur. Mutati nominis causa inde potissimum repetenda erit, quod iam ad gentes profecturus abdicare se prorsus voluit invjso nomine, quod Iudaismum priscum perpetuo in mentem revocabat, unde et ipse Apostolus in epistolis ad gentiles missis perpetuo nomine Pauli utitur. πλησθεὶς πνεύματος ἁγίου, i. e. *fervore divino incensus, et auxilio divino fretus.* Ideo enim h. l. Paulus dicitur repletus fuisse Spiritu sancto, tum quod ausus est hominem ex comitatu Proconsulis, et quidem coram Proconsule increpare, et poena afficere religionis caussa, tum quod confidenti animo praedixit homini illi secuturam poenam.

10. Ὦ πλήρης παντὸς δόλου καὶ πάσης ῥᾳδιουργίας) *O qui refertus es omni fraude et scelere.* Ῥᾳδιουργία Atticis significat levitatem, facilitatem in agendo. Alii tamen, ut h. l. Lucas, nomen usurparunt de ea facilitate, qua ad scelus et flagitium quodvis sine negotio impellimur; hinc significat *audaciam, temeritatem, scelus.* Etymol. Magn. ῥᾳδιουργία, i. e. ἡ πλαστογραφία, καὶ ἡ θρασύτης, καὶ ἡ δολιότης. Polybius L. IV. τὸ τῶν ῥᾳδιουργῶν καὶ κλεπτῶν φῦλον, *catervam improborum seu sceleratorum atque furum* dixit. υἱὲ διαβόλου) Soboles diabolica, Diaboli ingenium referens. Vid. Io. VIII, 44. ἐχθρὲ πάσης δικαιοσύνης) *Veritatis inimicissime.* διαστρέφων — εὐθείας) *Nonne desinis pervertere*

veras religionis christianae doctrinas? Viam, quae recta et plana est, dicis esse confragosam et obliquam, i. e. doctrinam rectam et planam dicis esse falsam et perversam. Ὁδὸς, *religio*, doctrina religionis, hominibus viam ad veram felicitatem monstrans. Ὁδοὶ Θεοῦ vocantur etiam *consilia Dei*, quae sunt recta et irreprehensa (εὐθεῖαι). Consilium Dei erat Sergium Paulum deducere ad christianam religionem; huic autem consilio obsistebat Magus.

11. Χεὶρ Κυρίου ἐπὶ σὲ) *Manus Domini contra te*, i. e. Deus ipse tuis conatibus resistet, vel *te puniet;* manu enim plagam infligimus. Παραχρῆμα — χειραγωγοὺς) *Protinus autem eum corripuit tanta coecitas et nox oculorum, ut oberrans quaereret, qui se manu duceret.* Per ἀχλὺν, si de oculis adhibetur, peculiaris oculorum morbus intelligendus est, quo oculus pellicula superinducta excoecatur. Morbus est temporarius (additur enim ἄχρι καιροῦ scil. τινὸς, *ad certum tempus usque*), non is, quem nostri *den Staar* appellare solent. Similis caligo erat, qua ipse Paulus correptus fuerat, c. IX. Loquitur de hoc et similibus Hippocrates *praedictor.* L. II. Sect. 2. Hesychius: ἀχλὺς ἡ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς λεπτὴ ὕλη, ὀμίχλη, σκοτία, ἀμβλυωπία. Verbum περιάγειν h. l. intransitive: *circumire, oberrare,* ut Math. IV, 23.

12. Ἐκπλησσόμενος — Κυρίου) *Obstupefactus de hac doctrina Domini.* Διδαχὴ h. l. non de doctrinae ipsius argumento, sed de rebus huic doctrinae annexis, de miraculis dicitur.

13. Ἀνάγεσθαι, verbum nauticum, quod de iis adhibetur, qui navem solvunt, in altum maris ducunt, ut

Luc. VIII, 22. infra XVI, 11. Οἱ περὶ τὸν Παῦλον) *Paulus et qui cum eo erant;* noto Graecismo. Iam Pauli potior, quam Barnabae ratio habetur. εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας) Perga, Pamphyliae urbs non procul a mari distans, celebris olim Dianae templo, ut *Mela* nos docet. *Cic.* Verr. I, 20. *Pergae fanum antiquissimum et sanctissimum scimus esse.* Cf. *Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 195. Ἰωάννης — Ἱεροσόλυμα) Fortassis propter molestiam itineris; siquidem de hoc discessu indignabundus Paulus loquitur XV, 37. 38.; et gravioribus iam itineris periculis obiicienda erant capita, quum interiores Asiae tractus penetrarent.

14. Εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Πισιδίας) Non illam Syriae, de qua supra. Cilicia autem et Pamphylia et Pisidia vicinae regiones sunt. De Antiochia Pisidiae cf. *die Alterthumsk.* l. c. εἰσελθόντες — σαββάτων) Quanquam Paulus praecipue ethnicorum caussa hoc iter instituerat, Iudaeos tamen minime neglexit, sed in singulis urbibus Synagogas primum adiit, ut praerogativa gentis servaretur. Τὰ σάββατα autem hic est pro τὸ σάββατον, ut saepe in Evangeliis. ἐκάθισαν) Occupabant subsellia doctorum legisque peritorum, quo profitebantur, se dicendi docendique quid habere. Vid. *Wolfium* in Curis ad h. l.

15. Μετὰ — προφητῶν) *Post lectam Pericopam ex Mose* (Paraschah) *et ex Prophetis* (Haphtaram). Moses enim anno vertente perlegebatur per sabbata, et lectiones Mosaicis congruentes in Prophetis prioribus et posterioribus adiungebantur. *Elias* in *Thisbi*, in voce פטר prophetarum lectionem post Antiochi demum Epi-

phanis tempora, quum legis lectio palam et severe esset interdicta, ortam docet; retentam vero deinceps. ἀπέστειλαν — λέγετε) *Miserunt praefecti Synagogae ad eos, qui dicerent: Carissimi populares; si qua vobis parata est cohortatio ad populum, dicite.* παράκλησις, institutio cohortationi iuncta, ut in nostris concionibus sacris. Vid. 1 Tim. IV, 13. 1 Thess. II, 3. Praefectorum erat praelegere pensum Codicis sacri, et curare ut in Synagoga omnia fierent ordine. Finita lectione e libris sacris, oratio habebatur a dicendi perito, non subtilis illa et docta, sed popularis, ad pios sensus in animis audientium excitandos alendosque accomodata. Ergo haec ad usum omnia referens, in hortando admonendoque tota versabatur. Quum igitur in Synagoga Antiochena recitata esset lectio sacra, honoris causa ad Paulum eiusque comites mittebant praefecti, et quaerebant, an quid haberent, quod populum monere vellent. Vid. *Vitringa* de Synag. Vet. Lib. II, c. 2. Pensum autem illo die in Synagoga praelectum fuisse Deut. I. et Ies. I., coniecit *Bengelius* probante *Kuinoelio*, quum haec capita hodienum uno sabbatho legantur, et Paulus Vs. 18. respexerit locum Deut. I, 31.

16. Ἄνδρες — τὸν Θεὸν) Οἱ Φοβούμενοι, aut σεβόμενοι τὸν Θεὸν, cum Ἰσραηλῖται ab iis distinguuntur, in N. T. dicuntur ii, *qui etsi natione non sunt Iudaei, eorum tamen religionem amplexi, verum Deum colunt; proselyti portae.* Eadem loquendi ratione utitur quoque Iosephus A. XIV, 7, 2. Neque tamen inde sequitur, semper et ubivis proselytos istiusmodi vocibus indicari, quum quilibet homo pius, decorum et religiosum cultum numini adhibens similibus nominibus insig-

niri possit; vid. ad X, 2. coll. XVIII, 13. al. Demonstrat Paulus in sequenti oratione, Iesum Nazarenum esse Messiam, a Deo ad salutem non tantum Iudaeorum, sed et totius humani generis missum. Id vero efficit non rhetoricis artibus, sed simplici narratione historiae Iesu, et maxime memorabilium fatorum populi Dei, ad eum spectantium. Probabilis est Interpretum sententia, Parascham praelectam continuisse aliquid, quod acciderat Israelitis in deserto aut Aegypto. Huic igitur tamquam fundamento orator innititur.

17. Ἐξελέξατο τοὺς πατέρας ἡμῶν) *Magnis beneficiis affecit maiores nostros.* Saepe enim ἐκλέξασθαι sicut hebr. בָּחַר notat *amare, beneficiis ornare.* Deut. IV, 37. καὶ τὸν λαὸν — Αἰγύπτῳ) *Et populum evexit durante incolatu ipsorum in Aegypto.* Notat ὑψόειν in genere *in statum eminentiorem conditionemque meliorem evehere*, et dicitur de iis qui in honore et dignitate constituuntur, qui opibus abundant, et quorum ingens fit numerus, quod locis profanorum scriptorum confirmat Kypke. παροικία, *peregrinatio;* ita commoratio Israelitarum in Aegypto vocari solet. Cf. Sap. XIX, 10. et supra not. ad VII, 6. μετὰ βραχίονος ὑψηλοῦ) *Cum potentia eximia*, hebraica phrasi, vid. Exod. VI. 1. 6. Num. XXXIII, 4. Haec separatio gentis Abrahamiticae eo consilio facta erat, ut notitia et cultus veri Dei in ea conservaretur. Adde, Messiam ex ea gente nasci debuisse.

18. Ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς) *Indulgenter tractavit eos.* Nam τροποφορεῖν est *mores alicuius ferre, seu tolerare*, indulgenter tractare, ex τρόπος, mos, et φέρειν.

Alii legunt: ἐτροφοφόρησεν αὐτούς, i. e. ἔθρεψεν αὐτούς, ut *Hesychius* interpretatur. Significat nempe hoc verbum *ulnis aliquem ferre, uti nutrix*, deinde summam curam et amorem indicat. Haec notio optime convenit contextui orationis. Non enim apparet, quare h. l. demonstretur, quomodo Deus Iudaeorum *pravos mores tulerit* in deserto; quae Dei cura in nutriendo populo conspicua saepius celebratur in sacris litteris. Exacerbasset potius orator auditorum animos, quos sibi conciliare voluit, si maiorum mores, ad idola semper proclives, intempestive in mentem revocasset. Accedit, quod lectionem ἐτροφοφόρησεν exhibent bonae notae codices vetusti, versio Syra antiqua cum nonnullis aliis versionibus, et Patres nonnulli. Eadem lectionis varietas adest in Deut. I, 31., ubi tamen sensus lectionem τροφοφορεῖν prae alia exposcere videtur. Confirmant etiam lectionem ἐτροφοφόρησεν loci Num. XI, 12. Deut. XXXII, 10. sq. 2 Macc. VII, 27.

19. Καὶ καθελὼν — γῆν αὐτῶν) *Quum septem nationes in Cananaea exstirpasset, dedit iis possidendam eorum terram.* Καθαιρεῖν h. l. est *expellere sedibus.* De septem illis nationibus vid. Deut. VII, 1. Ios. III, 10. Neh. IX, 8. Κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς) i. e. κατακληρονομεῖν ἐποίησεν, vel κατεκτήσατο αὐτοῖς, ut αὐτοῖς sit Dativus, ut vocant, *commodi.* Sic habes κατακληρονομεῖν, 1 Reg. II, 8. Deut. III, 28. Iud. XI, 24. Alii legunt κατεκληροδότησεν, *sorte distribuit.* Idem verbum saepius librarii posuerunt pro difficiliori κατακληρονομεῖν, cuius significationem Hiphilicam non viderunt.

20. Καὶ μετὰ — προφήτου) Contradicere videtur Paulus loco 1 Reg. VI, 1. ubi ab exitu Israelitarum ex

Aegypto ad aedificationem templi nonnisi 480. anni numerantur. Unde nonnulli hoc nostro loco legendum esse putant: ὡς τριακοσίοις πεντήκοντα ἔτεσι. Ex *Perizonii* sententia, in Origg. Aegypt. p. 321., anni servitutis, quibus Israelitae temporibus Iudicum ab exteris populis oppressi, et propriis ducibus destituti fuere, 1 Reg. VI, 1. non numerati sunt, quoniam in commentariis publicis in annorum computatione eorum nulla ratio habebatur; hi vero anni iis, quibus Iudices Israelitis praefuerunt h. l. annumerantur. Perizonium secuti alii diligentiore computatione effecisse sibi visi sunt, hos annos servitutis fuisse 111, annos vero Iudicum 339; prodeunt sic anni 450, qui quidem numerus fere convenit cum *Iosephi* calculo Ant. VIII, 3, 1. τῆς δ' οἰκοδομίας τοῦ ναοῦ Σολομὼν ἤρξατο — μετὰ ἔτη ΦΣΒ (592) τῆς ἀπ' Αἰγύπτου τῶν Ἰσραηλιτῶν ἐξόδου. Quibus 592 annis, si demes annos 40, quos in deserto degerunt, 17 Iosuae, 40 Samuelis et Saulis, 40 Davidis, 4 Salomonis, residui erunt 451. Hanc *Iosephi* annos numerandi rationem probavit *Michaelis* ad h. l. Sed haec omnis annos computandi ratio (recte monente *Kuinoelio*) est mere arbitraria; nam 1 Reg. VI, 1. omissos esse servitutis annos sumitur tantum, non probatur. Ex *Koppii* sententia verba ὡς ἔτεσι τετρακ. κ. πεντήκ. non de tempore ab occupata Palaestina ad Samuelem usque praeterlapso, sed vel ab Abrahami aetate, vel a Iacobi in Aegyptum discessu ad Iudicum tempora sunt interpretanda. Vid. *Koppii* Progr. cit. supra ad Act. VII, 6. Neque tamen idonea afferri potest ratio, cur Paulus a Patriarcharum quodam numerare coeperit. Alii, inter quos *Heinrichsius*, verba ὡς ἔτεσι τετρ. κ. πεντ. a seriore manu eddita putant, sed tamen ante exaratos ve-

tustissimos N. T. Codd. Alii denique, inter quos *Kuinoelius*, numerum annorum 1 Reg. VI, 1. corruptum esse suspicantur. »Mea quidem sententia non interpolatoris, sed Pauli verba h. l. leguntur et secutus est Paulus chronologiam Iudaeorum suae aetatis, locum autem 1 Reg. I, 6. corruptum puto« *Kuinoel.* Alias aliorum coniecturas vid. apud *Limborchium*, *Wolfium*, *Heumannum.* Quum chronologiae V. T. ordo nondum ad liquidum sit perductus, semper fluctuabunt omnia. Nobis quidem argutius in hanc rem haud inquirendum videtur. Nam etiamsi annorum numerus qui h. l., consentiente Iosepho, exhibetur, non conveniat cum 1 Reg. VI, 1.; ita computare tum soliti Iudaei videntur. Κριταὶ non tam iudices fuerunt, quam potius principes populi, qui cum suffetibus Carthaginiensium quodammodo conferri possunt.

21. Κἀκεῖθεν) Adverbium loci: *et inde*, *et illinc*, h. l. de tempore: *deinde*, *ab illo tempore.* ἔτη τεσσαράκοντα.) Numerus annorum, per quos Saul Israelitis imperavit, in libris sacris non definitur. Quare alii hic Samuelis prophetae, et Sauli regis annos in unam summam collatos esse statuunt; alii Paulum traditionem sequutum esse arbitrantur. Nam et Iosephus Ant. VI, 14, 9. Saulum regnasse refert annos 18 vivo adhuc Samuele, eoque mortuo 22.

22. Καὶ μεταστήσας αὐτὸν) *Postquam illum amovisset*, s. *sustulisset*, quod h. l. tam de remotione e vita, quam de remotione e regia dignitate intelligendum esse videtur; nam μεθιστάναι et *ab officio removere*, et *e medio tollere* significat. Μεταστῆσαι τοῦ ζῆν pro

e vivis tollere dicitur 3 Maccab. II, 28. et c. III, 1. ᾧ καὶ εἶπε μαρτυρήσας) *Quem etiam praedicans, dixit, in cuius etiam laudem dixit.* Μαρτυρεῖν saepe est *approbare, laudibus extollere.* εὗρον Δαβὶδ — καρδίαν μου) *Deprehendi Davidem, filium Iesse, tanquam virum secundum mentem meam.* Εὑρίσκειν h. l. *comperire, deprehendere*, ut Rom. VII, 21. Verba haec non leguntur in uno V. T. loco, sed desumta sunt ex Ps. LXXXIX, 21. et 1 Sam. XIII, 14. In priori loco extant verba: *Inveni Davidem ministrum meum;* in altero *Samuel* Saulo dicit, Deum quaesiturum esse virum, qualem optet. Solent Scriptores Iudaici, quos Paulus hic imitatur, haud raro recitare locum, qui totidem syllabis in V. T. non extat, sed ex pluribus aliis locis compositus est. ὅς — μου) Nempe in regendo populo; vel, ut alii volunt, in eo, quod Davides ab idolorum cultu abstinuit, legem et instituta Mosaica, et inprimis Iovae, unius numinis tutelaris, cultum observavit et defendit. Plura enim de Davide tradit historia, quae contra leges divinas et humanas facta sunt. — Propius ad propositum accedit Paulus, et ostendit, ex *Davidis* stirpe nasci debuisse Messiam, quod omnes Iudaei concedebant. Iam vero Iesum Nazarenum esse hunc promissum Messiam, docet in sequenti oratione.

23. Τούτου — Ἰησοῦν) *Ex huius gente Deus, secundum promissa sua dedit Israelitis servatorem, Iesum.* Pro ἤγειρεν optimi Codd. habent ἤγαγε, quomodo הֵבִיא LXX. ἄγειν, les. XLVIII, 15. Dan. IX, 24. *Venire fecit, misit.* De resurrectione Christi hic non est sermo. σωτῆρα Ἰησοῦν) Alii legunt σωτηρίαν, omisso voc. Ἰησοῦν, ut adeo scribendum esset: ἤγαγε

τῷ Ἰσραὴλ σωτηρίαν, *adduxit*, prodire iussit, *Israelitis salutem*, scil. per Iesum. Sensus idem est.

24. Προκηρύξαντος — Ἰσραήλ) *Ita ut Ioannes antequam* (Iesus) *adiret munus suum, primum ad baptisma atque emendationem prioris vitae invitaret totum populum Israeliticum.* πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ) Hebraismus: Antequam Iesus munus suum auspicaretur. Sic *ingredi consulatum* dicunt et Iurisperiti. πρὸ προσώπου (pro simplici πρὸ) autem, hebr. לִפְנֵי significat *ante*. βάπτισμα μετανοίας) Baptisma, quod ad religionem inaugurat, cuius basis et fundamentum est μετάνοια. Magna erat Ioannis Baptistae auctoritas apud populum. Quare testimonium eius plurimum valuit ad probandum, Iesum esse Messiam.

25. Ὡς δὲ — δρόμον) *Quum in cursu suo pergeret.* δρόμος, *cursus*, metaphorice *munus*, diciturque pro διακονία, XX, 27. Iamque (observante *Heinrichsio*) sicuti πληρῶσαι τὴν διακονίαν dicitur XII, 25. Col. IV, 17., ita h. l. πληρῶσαι τὸν δρόμον, cursum in obeundo munere constanter et strenue persequi. Sic implere post aliquem in Hebraismo est, aliquem sequi. Id enim, de quo in sequentibus sermo est, non est factum in fine muneris Ioannis. Verba quae sequuntur exstant Io. I, 20. Matth. III, 11. Marc. I, 7. Luc. III, 16.

26. Ἄνδρες — ἀπεστάλη) *O Fratres, ex Abrahami gente oriundi, et qui sunt inter vos cultores Dei,* (Proselyti) *ad vos haec doctrina salutaris defertur.* Non alienum hic negotium agitur. Nuntius is, quem adferimus, tam ad vestram, o Iudaei, quam ad vestram,

Proselyti, salutem pertinet. Hac ipsa hora, qua ego in Synagoga verba facio ad vos, curat Deus tradi vobis doctrinam de illa salute. Ἀποστέλλω, ut hebr. שָׁלַח h. l. est *tradi iubeo*. Ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης, *doctrina de hac salute*, vel doctrina haec salutaris. Σωτηρία, יְשׁוּעָה hic, ut saepius, beneficia Messiae significat.

27. Τοῦτον — ἐπλήρωσαν) *Quum non agnoscerent, hunc et oracula prophetarum, quae singulis Sabbatis praeleguntur, condemnando eum, eventum attulerunt istis vaticiniis.* Ἀγνοήσαντες et ad Iesum, et ad propheticas voces sive lectiones refertur. ἀγνοεῖν autem notat: *ignorare, non cognoscere; non intelligere, non capere.* Non *cognoverunt* Iesum, pro Messia eum non habuerunt; nec prophetarum oracula *intellexerunt*, ceperunt. κρίναντες ἐπλήρωσαν) Postquam condemnassent eum, implerunt illas, sc. voces Prophetarum. Ii quoque, qui vel inscientes, vel inviti ansam dant ad quamcunque ἀναπλήρωσιν oraculorum, eadem illa dicuntur πληροῦν et τελεῖν. Est hic ellipsis duplex: κρίναντες, nempe αὐτὸν: et ἐπλήρωσαν, nempe τὰς φωνάς. Κρίνειν pro κατακρίνειν, ut saepe. Quasi aliud agentes impleverunt maxime memorabilia vaticinia Prophetarum. Aliorum interpretationes attulit *Kuinoelius*.

29. Καθελόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου) Deest articulus, ut saepe. Vult enim dicere: οἱ καθελόντες α. τ. ξ., qui eum de cruce detulerunt, Iosephus Arimathensis, et comites eius. Alii ad καθελόντες subaudiendum praecipiunt Ἰουδαῖοι. Paulus, inquiunt, de ultimis Iesu fatis verba faciens, refert, quomodo eum tractarint Iudaei;

quasi dicat: Iudaei eum condemnarunt, Iudaei eum de cruce sublatum sepeliverunt.

31. Τοῖς συναναβᾶσιν — Ἱερουσ.) Intelliguntur, praeter Apostolos, mulieres (Matth. XXVII, 55.) aliique Christi asseclae. Vid. 1 Cor. XV, 5—8.

32. 33. Καὶ ἡμεῖς — ἀναστήσας Ἰησοῦν) *Et nos quoque vobis nunciamus, Deum promissionem, maioribus nostris datam, nobis, illorum posteris, misso Iesu* (eoque Messia constituto) *ratam fecisse.* Recte *Bengelius* aliique monuerunt, verba sic esse construenda: εὐαγγελιζόμεθα, ὅτι τὴν πρὸς τοὺς πατέρας γενομένην ἐπαγγελίαν ὁ Θεὸς ἐκπεπλήρωκε. Pronom. ταύτην ex Hebraismo redundat. Ceterum in locis N. T. longe plurimis, ut apud Graecos melioris notae, legitur εὐαγγελίζομαί τινί τι, sed h. l., quod rarius fit, cum accusativo et personae et rei coniungitur. Eadem constructio apud Heliodor. II, 16. πρῶτα μὲν εὐαγγελίζομαί σε τὴν Δημαινέτης τελευτήν. — Ἐπαγγελία) Intelligenda ea promissio, quam proavi Israelitarum acceperant, ex posteris prodituram esse Messiam, gentium servatorem. τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν) ἐξηγητικῶς, *posteritati ipsorum, nimirum nobis.* ἀναστήσας Ἰησοῦν) i. e. *Exhibens Iesum*, ut supra c. II, 30. III, 26. Τὸ ἀναστήσας hic respondet verbo ἤγειρε, quod supra Vs. 23. extat. Alii de *resuscitatione* ex mortuis accipiunt. Sed prior interpretatio, (de exhibitione et missione Christi) *contextui* melius convenit. Nam thesis a Paulo probanda proponitur Vs. 23., quam Vs. 24. et sequentibus probat et confirmat, et Vs. 34. demum docet eundem Messiam, a Deo missum post mortem in vitam rediisse. ὡς

καὶ ἐν τῷ ψάλμῳ τῷ δευτέρῳ γέγραπται) i. e. De Iesu, maximo omnium Rege intelligendum est id, quod praedictum est Ps. II. Vetus lectio fuit: ἐν τῷ πρώτῳ ψαλμῷ, nam olim in hebraicis codicibus Psalmus, qui nobis secundus est, primus fuit, quod is, qui praecedit, tanquam prooemium, numeratus non esset. In Codd. et Editt. plerisque, nec non in versione Vulgata atque Orientalibus tantum non omnibus legitur, ἐν τῷ ψάλμῳ τῷ δευτέρῳ. Neutrum tamen a Lucae manu videtur. Etenim quum N. T. scriptores non soleant citare numeros et capita, non magis ac Rabbini et Talmudici; verisimile est, Lucam scripsisse nihil nisi ἐν τῷ ψάλμῳ, nullo numero addito, ut olim in quibusdam Codd. extitit, id quod patet ex iis, quos *Griesbachius* testes pro hac lectione attulit. υἱός μου — γεγέννηκά σε) Sensus est: *Tu es filius meus*, (adeoque verus Messias,) *hodie* (nunc, in praesenti) *declaro*, *te esse natum meum*. Saepe res tum dicitur fieri, quum ea aut facta aut futura repraesentatur. Multa exempla collegit *Glassius* Lib. III. tr. 3. can. 15. Loquitur vates de certo quodam die, quo Deus sit declaraturus dignitatem regis a se constituti. Id nunc, Paulus inquit, impletum est; nam Deus et miraculis multis et resuscitatione Iesu ex mortuis eundem Iesum, quem vobis praedicamus, declaravit Messiam. Plura vid. in *Rosenmülleri* Scholiis ad Ps. II, 7. Cf. et supra not. ap IV, 26.

34. Ὅτι — εἴρηκεν) *Quod autem eum ex mortuis excitarit, non denuo moriturum, ita significavit.* Ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, *reverti ad corruptionem, ad putredinem*, est *denuo mori*. Hoc additur, quia demonstrandum erat, Iesum esse filium Dei. Nam alii

etiam homines in vitam revocati, sed rursus mortui sunt. Ὅτι δώσω — πιστὰ) *Praestabo vobis beneficia Davidi sancte et firmiter promissa*, ex Ies. LV, 3. Τὰ ὅσια Δαβὶδ sunt beneficia Davidi sancte promissa. τὸ ὅσιον, hebr. חסד, proprie *benignitas*, h. l. per metonymiam est ipsum *beneficium*. Τὰ πιστὰ, נאמנים, certa, firma, solida. Δοῦναι, implere, praestare. Intelliguntur beneficia Davidi promissa de rege ex eo nascituro et regno eius aeterno, 2 Sam. VII, 12. sqq Ps. LXXXIX, 1. sqq. De *resurrectione* Messiae locus Iesaiae proprie non agit, sed de rege aeternum regnaturo, qui non alius est, nisi Messias. Si autem regnum Messiae aeternum est, non potuit cum morte eius finiri. Debuit potius resurgere ex mortuis, ut regnaret in aeternum. Vid. *Eckermannum in den theologischen Beiträgen.* Partic. II. p. 175. sqq. Sed haec loci Iesaiae accomodatio *Heinrichsio* non placet. Is potius hunc locum non nisi praevie allegatum esse existimat, sensum autem verborum ὅτι δώσω — πιστὰ putat esse hunc: »exhibebo vobis (i. e. vel in vestrum commodum, vel vestra aetate, vel pleonastice dictum est) beneficia Davidi promissa: et quaenam sint illa, id iam addit.« Idem ad Vs. 36: „Hunc ergo Ps. XVI. solum eum locum fuisse existimo, unde, resuscitatum fuisse Iesum e mortuis, probare Vs. 34. voluerit Paulus; sicuti ex Ps. II. demonstraverat Vs. 33. eundem pro Messia a numine esse declaratum.“

35. Ἐν ἑτέρῳ) Alibi dicit, David scilicet, quod ex remotiore loco repetitur, ut saepe. Alii explicant: *dicit*, scil. Deus per Davidem; Davides effatus est promissa, quae Deus ei dederat. οὐ δώσεις — διαφθοράν) Est idem locus, qui supra II, 27. ex Ps. XVI, 10.

36. Δαβὶδ — βουλῇ) *Quum sua aetate*, i. e. tempore vitae suae *inserviisset Dei consiliis*, nempe in populo regendo. ὑπηρετεῖν βουλῇ Θεοῦ homines dicuntur, si tanquam instrumenta inserviunt numinis consiliis, et efficiunt, quae ex oeconomia Dei peragenda sunt. Reges, duces (Moses, Iosua) magistratusque ea de causa saepissime vocantur עברי יהוה, διακονοὶ, λειτουργοὶ Θεοῦ, e. c. Rom. XIII, 4. 6. ἐκοιμήθη — διαφθορὰν) *Obdormivit, et ad maiores suos collectus corruptionem passus est.* Occurritur exceptioni, Psalmum agere de Davide, quod Paulus refutat ab eventu. Saltim sensu eminenti et maxime proprio haec verba de Davide intelligi non possunt. Vid. not. ad II, 27.

38. 39. Ὅτι διὰ τούτου — δικαιοῦται) Post καταγγέλλεται pone comma. Ἀπὸ πάντων, i. e. ὧν, ἀφ' ὧν. *Per Iesum vobis annuntiari remissionem peccatorum, et ab omnibus, a quibus non poteratis liberari*, vel *absolvi per legem Mosis, per eum absolvi, quicunque crediderit.* הַצְדִּיק, LXX δικαιοῦν saepe est *a poenis liberare*, Exod. XXIII, 7. Ps. LXXXII, 3. Prov. XVII, 15. Ὁ πιστεύων, qui religionem christianam suscipit. Huic doctrinae opponitur ὁ νόμος Μωσέως, universa oeconomia Mosaica. Ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, *iuxta legem.* Sensus igitur est: Doctrinam Christi suscipiens absolvitur ab omnibus illis peccatis, a quibus iuxta legem Mosis absolvi non poteramus. Caussae vero, cur Iudaei non ab omnibus peccatis absolvi possent per legem Mosis, erant in ipsa huius legis natura. Ritibus enim et cerimoniis, quas lex ista praecipiebat, e. c. sacrificiis, lotionibus, non efficiebatur omnium peccatorum remissio. Omnia illa instituta externa pertinebant

tantum ad puritatem externam, ut ne quis excluderetur e gente Iudaica. Hoc argumentum, δικαιοσύνην et a peccatis immunitatem non per νόμον Mosis, sed per πίστιν Iesu Messiae adhibendam recuperari, in epistolis Paullinis, praesertim in epistolis ad Romanos et Galatas, uti et in epistola ad Hebraeos uberius tractatur. Vid. inprimis Hebr. X.

40. Βλέπετε — προφήταις) Videte, ne idem vobis eveniat, quod olim maioribus vestris urbe et templo exciso, ipsis deportatis ob contemtum beneficiorum Dei. Locus extat Habac. I, 5., qui memoriter laudatur, omissis verbis nonnullis, sensum non immutantibus.

41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ) *Videbitis vos, qui tot monita contemnitis, quid sim facturus.* De lectione hebraici textus: בגוים ראו vid. *Dathii* not. crit. et *Rosenmuelleri* Scholia ad hunc Habacuci locum. Ex plurimorum sententia LXX senes pro בגוים legisse videntur בוגדים. Etiam Syrus interpres: *transgressores.* *Pocockius* autem (in not. miscell. ad portam Mosis p. 29.) existimat, Beth in בגוים esse radicale ab arabico verbo בעא *iniustus, iniurius fuit;* hinc nomen בגיא, cuius pluralis igitur בגוים idem significet, quod graecae versionis καταφρονηταὶ, *insolentes, superbos.* καὶ ἀφανίσθητε) *Et obstupescite.* Ἀφανίζεσθαι proprie est *evanescere, deformari, vastari,* h. l. autem ad imitationem hebraici שמם quod non tantum *vastari*, sed etiam *attonitum esse, stupere* notat, idem est ac *obstupescere.* Dan. VIII, 27. Ies. LIX, 16. ἔργον — ὑμῖν) Prophetam vaticinari de Chaldaeorum irruptione in Palaestinam, contextus docet. Sed Paulus apte poterat uti

his verbis, quia calamitates, quas Iudaei post tempora Habacuci passi sunt, similes erant iis, quae illis a Romanis imminebant, praecipue in Palaestina viventibus et rebellantibus, ex parte tamen etiam omnibus in dispersione Iudaeis. Bene sic sensus orationis Paulinae accipi potest, quum ipse Iesus Iudaeis, ipsum respuentibus, destructionem civitatis per Romanos minatus sit, Matth. XXIV. Minus recte igitur *Heinrichsius* nil his verbis ab Apostolo exprimi credit, nisi generaliorem illam sententiam: »Videte, ne respuendis Messiae beneficiis in gravissimas poenas incurratis.«

42. Vulgaris lectio huius commatis est: ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων, παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα. Sed magnus est dissensus codicum, versionum et Patrum. *Griesbachius*, omnino hic conferendus, in edit. priori legendum putavit: ἐξιόντων δὲ παρεκάλουν εἰς τὸ μεταξὺ — ταῦτα. Tum supplendum τινὲς τῶν ante ἐξιόντων, et sensus esset: *Exeuntium nonnulli rogarunt, ut* etc. Si lectio haec vera est, *Iudaei* nonnulli rogarunt Apostolos, ut sibi porro praedicarent verbum. Ex vulgari lectione autem *Ethnici* rogarunt. Sed recte quaerunt Interpp.: quid paganis rei cum Synagoga Iudaeorum? quomodo ex improviso ii hic adstant? Sunt quidem, qui ἔθνη explicent: Iudaeos ex gentilibus conversos. Sed id ex loquendi usu probari nequit. In edit. noviss. *Griesbachius* tanquam genuinam lectionem effert: ἐξιόντων δὲ αὐτῶν παρεκάλουν εἰς τὸ μεταξὺ κ. τ. λ. (quam lectionem etiam *Knappius* et *Schottus* receperunt), *quum exirent Paulus et Barnabas, rogabant eos (man bat sie)* etc. Alii aliter legi volunt. Sed

quamcunque lectionem admittas, tantis difficultatibus huius loci interpretatio impedita est, ut lubentissime iis accedamus, quibus totus Versus e variis glossematibus consarcinatus esse videtur, id quod vel lectionis varietas et inconstantia satis superque docet. Verba εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον varie explicantur. Nonnulli (εἰς pro ἐν posito) de *insequenti Sabbato* accipiunt. Sed τὸ μεταξὺ σάββατον, sicuti ὁ μεταξὺ χρόνος, potius esset *Sabbatum intermedium*. Itaque σάββατον h. l. significaret *septimanam*, et sensus loci esset: *diebus septimanae*, vel etiam *diebus inter Sabbata interiectis*. Sic *Philo* de Victim. off. p 852. C. τὸν μεταξὺ χρόνον γενέσεως καὶ θανάτου παρὰ τοῦ θεοῦ χρῆσιν λαβών, *accepta usura temporis quod inter nativitatem et mortem interpositum est*. Item 2 Alleg. extr. τὴν μεταξὺ τοῦ βίου τρίψας ὁδὸν, *peracta interim vitae via*. Et sic semper apud Demosthenem. Optimum esse videtur, τὸ μεταξὺ σάββατον interpretari de *Sabbato proxime sequenti*, s. *quod post insecuturum erat*, quo sensu paullo insolentiori τὸ μεταξὺ apud Iosephum occurrit, Bell. Iud. II, 11, 4. V, 4, 2. etc. et apud alios scriptores. Vid. *Krebsium* ad h. l. Plura de hoc loco vide in *Bowyeri* coniect.

42. Λυθείσης τε τῆς συναγωγῆς) *Soluto vero conventu*. Sic Diodor. Sic. Lib. XIX, c. 25. τότε μὲν ἔλυσε τὴν ἐκκλησίαν. ἠκολούθησαν — τῷ Βαρνάβᾳ) secuti sunt Paulum et Barnabam, nempe domum, ut porro ab iis edocerentur. οἵτινες) Paulus et Barnabas. ἐπιμένειν (al. προσμένειν) τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ) *Ut perseverarent in doctrina evangelica*, quae h. l. per metonymiam vocatur gratia Dei, quia summo Dei beneficio nobis contigit. Nam χάρις generatim est *beneficium*.

44. Τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ) *Proximo Sabbato.* Codd. quidam legunt ἐχομένῳ pro ἐρχομένῳ. Quamcunque lectionem praetuleris, sensus erit idem. Nam ἔρχεσθαι et ἔχεσθαι in hac re promiscue, sensuque non diverso usurpari, usus loquendi docet. Dicitur enim ἐχόμενος non tantum de die proxime sequente, sed etiam longius intervallum designat. Sic apud Iosephum Ant. XII, 7, 5. ἐνιαυτὸς ἐχόμενος est annus instans. Vid. *Krebs.* ad h. l. σχεδὸν πᾶσα ἡ πόλις, i. e. magna hominum multitudo; non tantum Iudaei et Proselyti, sed gentiles etiam, ut patet ex com. 48.

45. Τοὺς ὄχλους) Etiam ex *gentibus*, quibus se aequari ferre non poterant. ἐπλήσθησαν ζήλου) *Ira, odio impleti sunt*, indignati sunt, non circumcisos in Synagoga permixtos esse circumcisis et filiis Abrahae, iisque fere aequales ab Apostolis haberi.

46. Παῤῥησιασάμενοι) *Usi oratione libera et aperta, atque confidente*, nihil territi ipsorum contumeliis. ἦν ἀναγκαῖον) i. e. Oportebat ex Christi praecepto et exemplo. Matth. X, 6. Luc. XXIV, 47. ἀπωθεῖσθε αὐτὸν) *Fastiditis*, מְאַסְתֶּם. Plurimis in locis V. F. מָאַס vertitur ἀπωθεῖν, interdum ἐξουθενοῦν, φαυλίζειν, aliisque verbis. καὶ οὐκ ἀξίους — ζωῆς) *Indignos vos iudicatis aeterna felicitate.* Est locutio figurata, referenda ad troporum id genus, quod Metonymiae nomine indicatur. Non enim certe Iudaei in ea fuere opinione, quod essent indigni aeterna felicitate, sed designarunt ea, quae solerent ea indigni. Tale et Rom. II, 1. Qui vero criminis *contumaciae* seu *dedignationis parendi* reus habetur, is, Christo auctore, eo ipso condemnatus est

(ἤδη κέκριται). Vid not. ad Ioann. III, 18. XII, 48. στρεφόμεθα, sensu reciproco: *convertimus nos.* Fecerunt hoc, ut credi fas est, in ipsa Synagoga, ubi haec gesta sunt. Errant, qui existimant, Apostolos ab eo tempore Iudaeis non amplius operam dedisse. Contrarium patet statim ex cap. XIV. At Antiochenses Iudaeos missos iam faciunt.

47. Οὕτω — τῆς γῆς) *Sic enim mandata nobis dedit Dominus: Constitui te doctorem gentium, ut tu sis salutifer usque ad fines orbis terrarum.* Verba haec sunt Iesaiae c. XLIX, 6. Illud φῶς ἐθνῶν, si de homine dicitur, significat *doctorem nationum*, Io. I, 4. Τοῦ εἶναί σε εἰς σωτηρίαν, *ut sis salutifer*, salutem afferas, eo nempe sensu, quo doctor salutem afferre potest. Ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς, cuiusvis gentis hominibus in omni terrarum orbe. In verbis Iesaiae non est vaticinium de Paulo, aut de N. T. doctoribus, sed Propheta proprie de se ipso loquitur. Dicit nempe Deus Iesaiae: A puero te mihi selegi non doctorem Iudaeorum tantum, sed aliarum etiam nationum, ita ut, quae tu vaticinaris, ea quoque ad alias gentes pertineant. Illa Prophetae verba Paulus transfert ad se. De me, inquit, idem valet quod Iesaias de se dixit. Vere Paulum ita dixisse, apparet e cap. IX, 15.

48. Ἀκούοντα δὲ τὰ ἔθνη, *quum audirent gentiles*, qui tum forte in Synagoga Antiochiae aderant, lucem sibi obtingere, nullum coram summo numine esse gentium discrimen. ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ Κυρίου) *Laudarunt evangelium*, i. e. Dei bonitatem in Evangelio apparentem. καὶ ἐπίστευσαν — ζωὴν αἰώνιον) *Et susce-*

perunt religionem christianam quotquot ordinati erant ad aeternam felicitatem. Varie explicantur verba: ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Nonnulli vertunt: *Quotquot studiosi erant felicitatis aeternae, appetebant aeternam salutem.* Usitatum enim est Graecis Perfecta Passiva saepius reciproca et media significatione ponere, quum multa verba Perfectum Medii non habeant. Quin etiam Latini Passivis pro Mediis seu Activis reciprocis utuntur. Τάττειν ἑαυτὸν εἴς τι Graecis est: *appetere aliquid, studiosum esse rei alicuius.* Sic apud *Xenoph.* Memorab. Socr. II, 1. 11. τάττω ἐμαυτὸν εἰς δουλείαν, significat: *Servus esse volo.* Alii (maxime eo tempore, quo cum Calvinianis agitabantur lites de praedestinatione) verterunt: *Et crediderunt, quicunque ordinarunt se ipsos* (i. e. in ordinem salutis tradiderunt se,) *ad vitam aeternam.* Dicunt nempe, τεταγμένους εἰς ζωὴν αἰώνιον opponi iis qui vita aeterna se ipsos indignos reddiderunt Vs. 46. nempe τῷ ἀπωθεῖσθαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ: ex lege igitur oppositionis τοὺς τεταγμένους, esse, τοὺς ἑαυτοὺς τάξαντας, nempe admittendo et sequendo illam τάξιν divinam vitae aeternae consequendae, verbum Dei audiendo, et Spiritui Sancto, per illud operari volenti, non resistendo. Cf. Vs. 42. Si retinetur significatio verbi τάττειν, *destinare*, non est laborandum in formula per se, et notione destinationis, sed respiciendum est ad ipsam rem de qua agitur, ex ea enim intelligitur caussa, cur iis, de quibus hic est sermo, parata fuerit aeterna felicitas. Susceperant nempe religionem, ideoque iis destinata, certa et parata erat felicitas futura. Sic etiam in Iudaeorum libris modo simpliciter dicitur aliquis felicitati aut miseriae destinatus, modo *probus* felicitati, *impro-*

bus miseriae destinatus esse dicitur. Loca collegit Wetstenius ad h. l. Utitur Paulus verbis vitae communis; his autem non substituendae sunt notiones philosophicae et metaphysicae. Sic nos etiam dicere solemus in vita communi: *Es ist mir einmahl so beschieden; es kann nicht anders seyn.* De absoluto decreto hic non est cogitandum. Ipso enim Paulo auctore, reiectio doctrinae divinae causa fuit, ob quam Iudaei se felicitate aeterna indignos reddiderunt; unde consequitur, veram causam, cur a Deo vitae aeternae destinati fuerint gentiles, fuisse ipsorum fidem. Multum vero lucis huic loco afferunt loca quaedam in Evang. Ioann., veluti VI, 37. *πᾶν ὃ δίδωσί μοι ὁ πατὴρ, πρὸς ἐμὲ ἥξει.* Ibid. Vs. 44. *οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ἑλκύσῃ αὐτόν.* Cf. ibid. XII, 39. 4., et quae ad illa loca annotavimus (in edit. sexta.)

49. Διεφέρετο) Διῃλθε λόγος. *Chrysostomus τουτέστι, διεκομίζετο. Divulgabatur autem doctrina Domini per totam istam regionem*, nempe per Pisidiam.

50. Παρώτρυναν) *Concitarunt, exacerbarunt τὰς σεβομένας γυναῖκας, proselytas;* nam erant et proselyti in ea urbe Vs. 43. *τὰς εὐσχήμονας*) *honestas.* Graeci h. l. *γυναῖκας εὐσχήμονας* Romano vocabulo *matronas* interpretantur. Has mulieres, quae Iudaicam religionem amplexae erant, maritis gentilibus matrimonio iunctas fuisse suspicantur nonnulli. Mulieres autem maritos suos incitabant. Particula *καὶ* ante *εὐσχήμονας* in Codd. optimae notae deest.

51. Ἐκτιναξάμενοι — *αὐτοὺς*) Non rem tantum, sed et rei symbolum observarunt, iuxta Domini verba Matth.

X, 14. ubi dicta vide. Declarabant hoc Symbolo, se nihil amplius commercii habere velle cum Iudaeis illis. ἐπ' αὐτοὺς) *adversus eos;* in testimonium contra eos, ut est Luc. IX, 5. εἰς Ἰκόνιον) Haec urbs, ad montem Tauri sita, caput olim fuit Lycaoniae. Hodie *Conia* vocatur. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 201.

52. Οἱ δὲ — ἁγίου) Ii qui circa Antiochiam Pisidiae, et in urbe ipsa, Christo nomina dederant, *laetati sunt;* mansit idem gaudium, quo primitus perfusi dicuntur Vs. 48.: non poenituit eos transiisse ad religionem christianam; sed et *impleti sunt Spiritu sancto*; sacro ardore correpti sunt, ita ut constanti animo in profitenda promulgandaque doctrina divina perseverarent.

CAP. XIV.

1. Κατὰ τὸ αὐτὸ) *Una, simul*, ut saepe apud Profanos. Supra c. III, 1. ἐπὶ τὸ αὐτό. Uterque, Paulus et Barnabas, *simul* ingressi sunt synagogam. Vid. Kypke. Sunt tamen, qui supplent ἔθος, ut sit idem quod κατὰ τὸ εἰωθὸς, ut infra c. XVII, 2. Neque tamen verba κατὰ τὸ αὐτὸ hanc significationem ferre possunt. καὶ λαλῆσαι, οὕτως) Ut docerent *eo modo* et successu. Λαλεῖν elliptice usurpatur de praedicatione Evangelii. ὥστε — πλῆθος) *ut Iudaeorum et Hellenistarum magna multitudo susciperet religionem christianam.* Voc. Ἕλληνες proselyti Graeci significari videntur. Πιστεύειν hic, ut saepissime est religionem suscipere.

2. Οἱ δὲ ἀπειθοῦντες — τῶν ἀδελφῶν) *Qui vero increduli fuerunt Iudaei concitarunt et irritarunt*

animos Gentilium contra fratres, i. e. Christi cultores. Κακοῦν hic est *aliquem exacerbare, contra alterum excitare et irritare, einen wider den andern aufhezen.* Sic est apud Ioseph. XXI, 1. 2. Videtur quidem constructio κακοῦν τινα κατά τινος, aliquid insolentis difficultatisque habere. Sed voces, τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν κατὰ τῶν ἀδελφῶν non pendent a verbo ἐκάκωσαν, sed ab ἐπήγειραν. Est enim is Scriptorum quum Graecorum, tum Latinorum mos, ut praemissis pluribus, ea interdum subiiciant, quae constructione non proximis iungenda, sed ad remotius, et nonnunquam ordine primum, referri debeant.

3. Παῤῥησιαζόμενοι ἐπὶ τῷ Κυρίῳ) *Libere, aperte docentes, freti Domino.* Proprie: *Libere docentes propter Dominum.* Nam ἐπὶ cum Dativo et potestatis ac iuris habet significationem, et caussae atque indicii, ut Herodoto in Polymnia: πυθόμενοι ἐπ' οἷς ἦλθον, *scisciscitati qua de caussa advenissent.* τῷ μαρτυροῦντι τῷ λ. τ. χαρ. ἀ.) *Qui confirmabat Evangelium suum gratiosum.* Ὁ λόγος τῆς χάριτος vocatur Evangelium, quia ex summa Dei bonitate processit. Confirmavit autem Dominus veritatem Evangelii, ut statim sequitur, signis et miraculis, quae ipso largiente, Apostolorum administratione edebantur.

4. Ἐσχίσθη) *In diversas partes abiit.* Ut Aen. II, 39. *Scinditur incertum studia in contraria vulgus.* οἱ μὲν ἦσαν σὺν τοῖς Ἰουδαίοις) *Quidam stabant a partibus Iudaeorum. Xenoph.* Hell. III. σὺν τοῖς ἕλλησι μᾶλλον, ἢ σὺν τῷ βαρβάρῳ εἶναι.

5. Ὡς δὲ — λιθοβολῆσαι αὐτοὺς) *Quum vero Gentiles et Iudaei cum primoribus suis consilium cepissent de iis violandis et lapidandis.* Ὁρμή, *impetus animi, consilium. Herodian.* VIII. 8. 6. ὁρμῇ δὲ ἀλόγῳ χρησάμενοι, ἀνῆλθον ὁμοθυμαδὸν εἰς τὰ βασίλεια, *Vesano quodam motu unanimiter ad regiam concurrentes.*

6. Συνιδόντες) *His compertis etc.* Λύστραν καὶ Δέρβην. *Lystra* et *Derbe*, duo Lycaoniae oppida, sibi vicina, quorum prima Iconio versus austrum, altera versus orientem ad radices montis Anti-Tauri sita erat. Vid. *Alterthumsk.* l. c. Dicitur ἡ Λύστρα, et τὰ Λύστρα, quemadmodum insula ἡ Ψύρα et τὰ Ψύρα. A Derbe *Gaius* erat oriundus, discipulus quidam comesque Pauli (XX, 4.); Lystrae *Timotheus* erat natus (XVI, 1. 2.).

8. Ἀδύνατος τοῖς ποσὶν) *Debilis, unvermöglich.* ἐκάθητο, *erat, habitabat.*

9. Καὶ ἰδὼν — σωθῆναι) *Et vidit, eum habere fidem convalescendi.* Σώζεσθαι h. l. esse *sanari*, inde apparet, quoniam sermo est de aegroto. Πίστις *fiducia* aegroti, qua certe sperabat, fore, ut sanaretur. Hanc fiduciam excitaverant cum Pauli oratio, tum miracula, a Paulo et Barnaba in urbibus illis edita (Vs. 3.), de quibus homo ille audiverat.

11. Λυκαονιστί) Ipsa Lucae narratio ostendit, Paulum non intellexisse, quae tum Lycaonice dicebantur; si enim intellexisset, statim tanquam re inopinata audita scidisset vestes, non vero expectasset, donec sacerdos

arcessitus cum tauris et coronis accederet, quod nonnisi post aliquam temporis moram fieri poterat. Ergo Apostoli non omnes linguas intellexerunt. Graeca lingua in illis quoque Asiae regionibus in usu erat, retinebatur tamen etiam lingua patria, eaque inprimis populus utebatur. Quaenam autem linguae Lycaonicae ratio fuerit, definiri nequit. *P. E. Iablonskius (disquisitio de lingua Lycaonica*, in Opusc. edit. *Te Water* T. III. p. 3. sqq.) eam statuit fuisse Assyriacam antiquam, eandemque Cappodocum fuisse linguam. Alii corruptam quandam Graecae linguae dialectum fuisse opinantur. οἱ θεοὶ — ἡμᾶς) Putarunt eos esse Deos, sub humana imagine terras invisentes. Id interdum factum credebant gentes. *Iupiter* apud Ovidium Metamorph. I. *Et Deus humana lustro sub imagine terras. Arrianus Epictet.* III, 1.

12. Ἐκάλουν τε τὸν μὲν Βαρνάβαν Δία) »Siquidem Barnabas, aetate et forma maior, prae se tulisse quid videtur, quod maiorem reverentiam incuteret.« *Heinrichs.* Putabant veteres, deos urbes potissimum sibi sacras invisere. Lystrae autem Iupiter colebatur. (Vs. 13). τὸν δὲ Παῦλον Ἑρμῆν) Solebat enim Iupiter Mercurium secum ducere. *Hyginus* poët. Astron. *Hunc autem* (Hyrica) *quum Iovem et Mercurium hospitio excepisset. Eurip.* Ion. 4. Ἑρμῆν μεγίστῳ Ζηνὶ δαιμόνων λάτριν. ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου) *Quia ille verba praeibat*, i. e. *Plurimum loquebatur.* Allusum videri potest ad cognomen Mercurii ἡγεμών. *Iamblichus* de Myster. init. θεὸς ὁ τῶν λόγων ἡγεμὼν ὁ Ἑρμῆς. Macrob. Sat. 1. 8. *Scimus Mercurium vocis et sermonis potentem.* Tanto autem facilius Lystrenses ad

hanc de Paullo persuasionem pervenire poterant, quanto maior in eo dicendi fuit vis. *Mercurius* enim eloquentiae praeses, et omnis quasi facundiae antistes credebatur.

13. Τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως) i. e. Iovis προπυλαίου, qui idem ac Iupiter custos et conservator fuit. Addit Lucas hoc ἐπίθετον, quia in una urbe unum saepe numen pro diversis epithetis singularia beneficia designantibus, in diversis templis cultum est, diversaque sacra et diversos sacerdotes habuit. ταύρους καὶ στέμματα) i. e. ταύρους ἐστεμμένους, *tauros cum corollis et vittis*, secundum sacrificiorum veterum ritum. Alii verba ταύρ. κ. στέμμ. per Hendiadyn explicanda esse negant, quum coronae seiunctae a bovibus cogitari possint, nec e voce *afferendi* certo colligi possit, στέμματα non per se afferri sed bobus imposita. Manu attulisse sacerdotem coronas, boum cornibus applicandas, priusquam isti immolarentur. De consuetudine victimas floribus ornandi vid. Wetst. ad h. l. ἐπὶ τοὺς πυλῶνας) Vel, ad loca circum portas urbis, vel ante fores aedium, in quibus Paulus et Barnabas diversabantur. Posterior sententia est verisimilior. Solemnia enim haec Apostolis fuisse destinata, evincit eorum sermo, quo hos honores a se amoliuntur. Videtur igitur Sacerdos solenni pompa, una cum turba ad ipsum Iovem praesentem in civitate, esse ingressum, ibique ante fores aedium, quas intraverant Apostoli, sacrificare voluisse. Num in ipsa urbe, an in suburbio diversati sint Apostoli, eaque ergo, quae hic narrantur, num intra an extra urbem gesta sint, haud definiverim. Certe, haec intra urbem esse gesta, non colligi potest e Vs. 10., ubi Paulus urbe eiectus dicitur. »Non enim (scite monente *Kuinoelio*)

inde sequitur, ea quae h. l. et Vs. 19. leguntur, eodem tempore esse facta. Contra tempore opus fuit, donec, id quod Vs. 19. additur, populo a Iudaeis Antiochenis persuaderetur, ut urbe eos eiicerent, quos ante deos esse existimarant.“ Pluribus de h. l. egit *Kuinoelius.*

14. Διαῤῥήξαντες τὰ ἱμάτια αὐτῶν) *Conscissis vestibus*, ad indicandum summum dolorem. Maxime hic mos Iudaeis solitus, si blasphemias audiebant. Matth. XXVI, 65. Pro εἰσεπήδησαν cum plurimis antiquis Codd. legendum est: ἐξεπήδησαν, *prosilierunt ad multitudinem.* διαῤῥήξαντες (pro διαῤῥηξάμενοι) forma Activa in N. T., ut in recentioribus scriptoribus; antiqui forma media usi sunt. Catalogum aliorum verborum, ubi in N. T. idem evenit, Vid. in *Wieneri* Gramm. §. 9.

15. Ὁμοιοπαθεῖς) *Similis conditionis et naturae* i. e. cibi et potus indigi, morbis mortique obnoxii. Sic etiam Iac. V, 17. Ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων) *Ab hisce vanis superstitionibus*, subaudito πραγμάτων. Innuit non solum conatum Lystrensium sacrificium offerendi Apostolis, sed omnem omnino cultum et apparatum vanum et superstitione plenum. Alii subaudito θεῶν, explicant: *ab his idolis et falsis diis*, quasi digito designasset statuas deorum. Sensus idem est. Deus aeternus et verus opponitur idolis terrenis iisque caducis. Voc. μάταιος tam de idolis dicitur, Zach. XI, 17. Ier. II, 5., quam de idolorum cultu, ut 1 Reg. XVI, 2. in versione Alexandrina. ἐπιστρέφειν — ζῶντα) *Vos convertere ad cultum Dei aeterni*, qui non moritur, ut Reges illi in Deos consecrati, sed semper vivit agitque. ὃς ἐποίησε — ἐν αὐτοῖς) Paulus in hac oratione Ly-

strenses ad veri Dei cognitionem ita studet perducere, ut simul falsam eorum de Iove et Mercurio persuasionem tacite quasi refellat. Postquam nimirum Deum generatim omnium rerum auctorem esse v. 15. dixerat, *bonorum speciatim fortunae* mentionem fecit v. 1. Constat enim, Iovem quidem omnium bonorum auctorem et quasi effectorem habitum esse, sed ita, ut ceterorum deorum quasi ministerio in bonis illis rite dispensandis, sapientissime uteretur. Sic *bona mentis* Minervae, *corporis* Aesculapio, *bona* denique *fortunae* Mercurio tulerunt accepta. Paulus contra docet, uni Deo Israelis nos omnia fortunae bona accepta ferre debere, eundemque tanquam unicum verum Deum beneficum esse colendum.

16. Ὃς ἐν ταῖς — ὁδοῖς αὐτῶν) *Qui superioribus* sive *praeteritis aetatibus sivit omnes nationes pergere secundum ipsorum sententiam*, i. e. passus est Deus nationes omnes sequi suum sensum, suas opiniones in cultu divino; non abduxit eas revelatione peculiari a suis religionibus. Πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ est *vivere suo arbitratu*, atque pro sua opinione. Hoc autem loco sermo est de religione, quam deserere monentur ii, ad quos Paulus loquitur. Ergo omnino sensus est: Deus passus est nationes omnes sequi suas opiniones de colendo numine; nec legem illis dedit, quibus pravos cultus compesceret, nec prophetas, ut Iudaeis.

17. Καίτοιγε — ἀγαθοποιῶν) *Quanquam dedit documenta providentiae suae et existentiae beneficiis generi humano exhibitis.* Hic horum verborum est sensus. Nam ἀμάρτυρος est is, de quo nulla extant do-

cumenta. Ergo Deus οὐκ ἀμάρτυρος est, cuius revera extant documenta. Deus nempe benefaciendo demonstravit, se esse verum et summum Deum. Vox ἀγαθοποιῶν optime connectitur cum superioribus. Satis memoriam sui insculpsit eorum animis, qui non cessat perpetuo illis benefacere. καιροὺς καρποφόρους) *Tempestates frugiferas*, frugifera anni tempora. Ἐμπιπλῶν — ἡμῶν) *Satians nos alimentis et laetitia*, vel ut *Thalemannus* vertit: *explendo nos cibo abundanti ad laetitiam.* Τὰς καρδίας ἡμῶν, i. e. nos. Alii cum *Grotio* εὐφροσύνην hic pro vino, tanquam effectum pro caussa poni putant; καρδίαν autem de *ventrinculo* interpretantur. Sic veteres Medici stomachum olim καρδίαν vocarunt, quando καρδιαλγίαν, καρδιωγμὸν etc. ventriculi affectus vocant. Vid. *Wolfii* Curas ad h. l. Sed nemo non videt, rhetoricum h. l. esse et ornatum sermonem. Hoc enim vult Apostolus: Deus non tantum necessaria, sed et copiam bonorum ad laetitiam suppeditat nobis. Ex his igitur omnibus, ut documentis certissimis, concludi potest, esse Deum et providentiam. Ceterum pro ἡμῖν et ἡμῶν *Griesbachius*, *Knappius* et *Schottus* recte rescribendum censent ὑμῖν et ὑμῶν, quum sermo sit de beneficiis gentilibus tributis, quibus Deus iis dedisset testimonia de se satis perspicua.

18. Τοῦ μὴ θύειν) i. e. ἀπὸ τοῦ μὴ θύειν. Represserunt aegre conatum sacrificandi. καταπαύειν h. l vim Activam habet, ut sit: *compescere.*

19. Ἐπῆλθον — τὰς ὄχλους,) *Venerunt autem Iudaei Antiochia et Iconio, qui multitudini persuaserunt*, i. e. multitudinem persuadendo irritarunt. Iu-

daei, qui iam Antiochiae et Iconii tumultus contra Paulum et Barnabam excitaverant, venerunt in urbem, in quam Apostoli profecti erant, ibique in conatu suo perrexerunt. Horum Iudaeorum persuasionibus tantopere res conversa est, ut incolae urbis quem paulo ante Deum esse putarant, eum nunc lapidibus obruerent. λιθάσαντες — τεθνάναι) Coniectis lapidibus in Paulum, extra urbem protraxerunt eum, rati esse mortuum. Non in Barnabam, sed in Paulum coniecerunt lapides, ut qui λόγου ἡγούμενος multitudini magis erat invisus.

20. Κυκλωσάντων — πόλιν) *Quum vero Christiani eum cingerent, surrexit ille et rediit in urbem*, reversus nempe ad praesentium sensum post animi exsternationem ex tot lapidum vulneribus illatam. *Quum eum cingerent*, vel, ad defendendum eum a multitudine tumultuante, vel, ut alii intelligunt, sepeliendi causa. *Pricaeus* suspicatur, Paulum se mortuum finxisse. Salva pietate sancti viri hoc statui posset. Nam vitam conservare voluisset, Christum diutius praedicandi, pluresque agones subeundi cupedine. Digna quoque est, quae commemoretur *Vateri* sententia: „Non corpus Pauli, qui an mortuus sit nec ne, tum innotuisset; sed lapidibus petitus, huc illuc tractus, ex urbe protrusus dici videtur, usque dum laberetur (cf. ἀναστάς), et suorum corona cinctus pro mortuo haberetur.“

21. Εὐαγγελισάμενοι — ἱκανούς) *In ea urbe quum Evangelium tradidissent, et collegissent discipulos satis multos.* Μαθητεύειν interdum simpliciter significat *docere;* hoc autem loco, quia praecessit εὐαγγελίζεσθαι, *docere Evangelium*, significat illud verbum

aliquem facere discipulum, adducere ad numerum discipulorum. Ἀντιόχειαν, scil. Pisidiae.

22. Παρακαλοῦντες — τοῦ θεοῦ) Ex τῷ παρακαλοῦντες repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ est λέγοντες, cuius notio in τῷ παρακαλοῦντες inclusa latet. Expone igitur, ac si scriptum esset, παρακαλοῦντες ἐμμένειν τῇ πίστει καὶ λέγοντες ὅτι δεῖ. Sic apud Ioseph. Ant. V, 1, 18. Sensus est, *per multiplices calamitates intrandum esse in regnum Dei*, i. e. eos, qui velint divini regni consortes, seu beneficiorum, quae huius regni civibus promissa sunt, participes fieri (cf. not. ad Io. III, 3.), oportere perpeti multas calamitates. Calamitates autem intelliguntur *illis temporibus* religionis causa perferendae. Ab his enim calamitatibus occasionem sumserunt Apostoli monendi Christianos recentes, perferendas esse calamitates religionis caussa, ut eos adhortarentur ad constantiam. De aliis miseriis vitae, quae non pertinent ad religionem, h. l. non est sermo.

23. Χειροτονήσαντες) *Quum constituissent.* Nam χειροτονεῖν, *constituere*, *eligere*, vid. not. ad X, 41. Solet quidem χειροτονεῖν sumi de quavis electione, etiam quae ab uno vel paucis fit; sed electioni, de qua hic agitur, accessisse consensum ecclesiarum, credibile est. Caeterum habemus hic novum exemplum antistitum, ex ipsis recens conversis sumtorum. προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν) Haec apte connectuntur cum praecedentibus, hoc sensu: Presbyteros eligebant, rem tanti momenti sobrie deliberantes, meditando, precibus fundendis. *Kuinoelius*: precibus ardentissimis factis presbyteros constituerunt. Vid. not. ad XIII, 2. 3. παρέθεντο αὐτ.

τῷ K.) *Tradebant illos curae Domini eius, cuius religionem susceperant.* Bonis votis eos commendabant Deo. Παρέδοντο, *commendabant.* Sic saepe apud Iosephum, ut Kypke ostendit.

25. Εἰς Ἀτταλειαν) Attaliam *Ptolomaeus* in ora maritima Pamphyliae ponit post Lyciam. Sic et *Strabo.* L. XIV. Alii Lyciae attribunt. Sed provinciarum fines a Romanis saepe mutati. Hodie: *Attalia*, *Antalia*, *Satalia.* Vid. *Alterthumsk.* l. c. p. 194.

26. Εἰς Ἀντιόχειαν) Nempe Syriae, ut sequentia ostendunt. Peraeque igitur ac Apostoli, Evangelium per Palaestinam professi, Hierosolyma saepius redeunt: ita et hi legati non continuum suscipiunt iter, sed Antiochiam, palmariam illam sedem, revisunt subinde, requiescentes ibidem, de successu conatuum suorum rationem reddentes, atque ad nova pericula adeunda accingentes se et instaurantes. ὅθεν — ἐπλήρωσαν) *Ubi commendati erant favori divino ad peragendum opus, quod iam absolverant.* Sic recte plurimi vertunt. Cf. Vs. 23. XX, 32. Exornavit Lucas his verbis hanc sententiam: unde dimissi erant ad evangelium paganis praedicandum.

27. Ἀνήγγειλαν — αὐτῶν) *Exposuerunt omnia, quae Deus iis exhibuisset beneficia.* Est locutio hebraica. Nam verbum עשה cum particula עם saepe ita usurpatur, ut sit *alicui boni aliquid exhibere. Grotius:* quanto honore eos affecisset Deus per tot hominum conversionem. Ἤνοιξε θύραν) i. e. *Occasionem dedit*, ut 1 Cor. XVI, 9. aliisque locis.

CAP. XV.

Καὶ τινες — Ἰουδαίας) *Quidam ex Iudaeis fidem amplexis, qui ex Iudaea venerant*, sc. Antiochiam. ὅτι ἐὰν — σωθῆναι) *Nisi circumcidamini more Mosaico, non potestis fieri felices.* Σωθῆναι h. l. non simpliciter de aeterna salute est intelligendum, sed de ea salute, vel felicitate, quam Iudaei a sua circumcisione repetebant. Haec autem felicitas in eo erat, ut circumcisi reciperentur in foedus cum Deo, et fierent membra populi Dei. Dicebant igitur illi Iudaeo-chriestiani Antiochenis: Nisi fueritis circumcisi, non potestis frui beneficiis, quae Deus populo suo promisit-non potestis ad Messiani regni felicitatem eniti. Sub circumcisione vero reliquorum etiam rituum Mosaico; rum observatio comprehenditur, ut patet ex comm. 5. Plerique bona fide credidisse videntur, circumcisionem et legem Mosaicam, utpote a Deo mandatam, etiam a Christianis esse retinendam. Alii vero tenaces veterum rituum fuisse videntur ex arrogantia, vel metu, ne a Iudaeis reliquis vexarentur. Cf. Galat. II, 4.

2. Γενομένης — πρὸς αὐτοὺς) *Igitur orto tunc dissidio haud parvo, et commota disputatione inter Paulum Barnabamque et illos.* Nam Paulo et Barnabae imposita necessitas, cum illis hominibus disputandi. Στάσις, *dissidium, acris contentio* ἔταξαν ἀναβαίνειν) *Ordinarunt ut ascenderent*, i e. proficiscerentur. Καὶ τινας — αὐτῶν) Hi, quinam fuerint, nescimus. Adnumerare illis possemus Titum, Gal. II, 1—5.; dummodo de tertio hoc itinere, quod Hierosolyma hic suscepisse legitur Paulus, ibi sermo esset. Cf. *Heinrichsii* Pro-

legg. ad Act. p. 59. πρὸς — Ἱερουσαλὴμ) Maior enim Apostolorum et ecclesiae Hierosolymitanae apud Christianos erat auctoritas, quam Pauli et Barnabae. Ad illos igitur recurrebatur in rebus controversis discutiendis, sicuti in quaestionibus ad Iudaicam religionem pertinentibus ad Synedrium.

3. Προπεμφθέντες) *Officiose deducti.* Significatur enim hoc verbo officium, quod ab amicis atque notis praestatur discedentibus, tam verbis et oratione, quam factis et opera; et inde sunt λόγοι προπεμπτικοὶ. ἐκδιηγούμενοι) scil. τοῖς ἀδελφοῖς ἐν τῇ Φοινίκῃ καὶ Σαμαρείᾳ *enarrantes*, Christianis in Phoenicia et Samaria degentibus. τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν) *Conversionem Gentilium*, sc. ad Deum, nempe Cornelii, Antiochensium, Cypriorum, Pisidarum, Pamphiliorum, Lycaoniorum, Lyciorum.

4. Ἀποδέχεσθαι, *excipere aliquem* hospitio, i. e. *libenter*, *humaniter*, ut XVIII, 27. Τῶν ἀποστόλων) Quorum praecipui erant Ioannes, Petrus et Iacobus, Gal. II, 9. ὅσα — αὐτῶν) Quantopere iis adfuisset Deus. Vid. ad. XIV, 27.

5. Ἐξανέστησαν — πεπιστευκότες) Sicut Antiochiae quidam e Iudaeis facti Christiani, ita et Hierosolymis quidam duriorem illam defendebant sententiam, praecipue autem ex illis, qui Pharisaei fuerant.

6. Ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου) *Ut cognoscerent ista de re*, vel de hac disputatione, s. quaestione. An hic conventus pro concilio possit haberi, nec ne, disputatur a doctis. De qua re consulendi sunt auctores, qui

de rebus ad historiam ecclesiasticam pertinentibus scripserunt. Vid. e. c. *Walchii Entwurf einer vollständigen Historie der Kirchenversammlungen.* p. 78. sqq. *Moshemium* in Commentariis de rebus Christianorum ante Constantin. M. p. 169. sqq. Ceterum praeter Apostolos et presbyteros illosque legis ritualis propugnatores, magnam quoque Christianorum multitudinem convenisse, rarratio ipsa docet, coll. Vs. 12. 22. 23.

7. Πολλῆς — γενομένης) *Quum diu disputatum esset;* Paulo et Barnaba libertatem Christianorum ex gentibus conversorum defendentibus, Iudaizantibus autem observationem autoritatemque rituum Mosaicorum urgentibus. ὑμεῖς ἐπίστασθε — πιστεῦσαι) *Nostis, Deum iam dudum me sibi elegisse, ut per me Pagani audirent doctrinam Evangelii et fide illam susciperent.* Constructio: ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο est tota hebraica, ut בָּחַר בְּצִיּוֹן ἐξελέξατο ἐν Σιὼν, *elegit Sionem. Deus elegit nos,* i. e. me Petrum. Loquitur de se in Plurali, et ἐν ἡμῖν est id quod ἡμᾶς, *me.* Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων, *ab antiquissimis inde temporibus, iam dudum, iam olim* (ut Ps. XLIV, 2. מימי קדם) seu: *ab incunabulis rei christianae.* Quum autem addit Petrus: *Deus me elegit*, respicit ad historiam, quae narratur Act. X.

8. Ὁ καρδιογνώστης Θεὸς ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς) *Cui perspectae et notae sunt animi cogitationes, Deus, adprobavit eos*, i. e. declaravit eos haud indignos, quibus Evangelium annunciaretur; testimonium favoris sui iis exhibuit. αὐτοῖς est Dativus commodi. *Morus: Er legte ihnen zum Besten einen Beweis ab*, etc. καθὼς καὶ

ἡμῖν) Qui circumcisi sumus, et Mosis instituta observamus. Proinde lites, quae iam agitabantur, diremisse iam ipse Deus videri poterat.

9. Καὶ οὐδὲν — καὶ αὐτῶν) *Nihil discrevit*, i. e. *discrimen fecit nullum inter nos et illos*, quod quidem attineat ad gratuiti favoris beneficium, conferendum credentibus. τῇ πίστει — αὐτῶν) *Fide puras efficiens mentes ipsorum.* Ἡ πίστις, scil. Christi doctrinae adhibita. Quae fides quum e cognitione doctrinae christ. nascatur, voc. πίστις *doctrinam christ.* in universum significare potest, ut saepius. Christi igitur doctrina Deus mentes Paganorum purgavit, dum eos a perniciosis erroribus liberavit, et flagitiis eripuit eorum mentes. Perducti enim sunt religione christiana ab idolorum cultu ad cultum veri Dei, atque ad cognitionem viae salutis, quae ipsis antea incognita fuerat. Hoc igitur vult Petrus: Ipsemet olim credideram, gentiles nonnisi circumcisione et observatione rituum puros effici, et dignos societate populi Dei reddi posse. Sed Deus nunc satis declarat, omnes illos recipiendos esse in societatem populi Dei, quorum mentes religione Christi ab erroribus et a vitiorum impuritate sunt purgati. Quum igitur mundati sint, non debent amplius immundis accenseri. Bene *Heinrichsius:* „A pravis cupiditatibus olim circumcisionis ritus purgavit proselytos, a Paganismo ad Iudaismum accedentes; iam vero purgat πίστις, fides Iesu Christi doctrinae adhibita, eos, qui e gentibus ad eius cultum accedunt.“

10. Τί πειράζετε τὸν Θεὸν;) *Cur Deum tentatis?* Tentare Deum dicitur is, qui agit ita ut velit experiri,

an Deus aliquid facere possit vel velit; qui nova desiderat potentiae et divinae voluntatis documenta, ubi iam extant documenta certissima. Itaque πειράζειν Θεὸν etiam vertere possis *diffidere Deo*. Quicunque vero Deo diffidet, is ab obendientia ei debita desciscit ad inobedientiam, atque adeo Deo *resistit*, *obnititur* (ἀντιμάχεται, supra V, 39.). Sic igitur ii, qui iugum legis Mosaicae imponere volebant Christianis, tentabant Deum, ei diffidebant, obnitebantur. Dederat enim Deus certissimum documentum, se Paganos etiam felices fieri velle, dum Cornelio eiusque familiae largitus fuerat Spiritum sanctum. De certo hoc facto dubitabant illi Iudaismi defensores, et experiri volebant, an res ita sit? Veteres quidam omittunt τὸν Θεὸν, ut sensus sit: Cur tentatis, i. e conamini imponere iugum illis etc. Sed vulgaris lectio Codd. auctoritate firmatur. ἐπιθεῖναι — βαστάσαι) Metaphorice: *Alligare gravando fratres, ad sustinendum ea, quae neque nostri maiores neque nos perferre potuimus. Iugum*, de quo Petrus loquitur, sine dubio est lex Mosaisa cum suis ritibus. Dicimur non posse, quod perdifficile est. Valde molesta fuit observatio legis Mosaicae ob ingentem illum numerum praeceptorum ritualium, quem videre potes apud Mosen de Kotzi in *Libro praeceptorum magno*. Et Petrus ostendit, quam durum sit, onus tam molestum iis imponi, quos Deus velit ab eo esse liberos.

11. Ἀλλὰ — κἀκεῖνοι) *Sed et nos credimus*, (non observatione legis Mosaicae, sed) *favore et benignitate Domini Iesu fore ut salus nobis contingat, quomodo et illis*, sc. Paganis, qui non servantur per legem Mosis, quam nunquam habuerunt, sed beneficio

Christi. Nonnulli haec verba καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι non retulerunt ad τῶν μαθητῶν, sed ad οἱ πατέρες, et Petrum dixisse arbitrati sunt: Sicut et maiores nostri per Messiam se servari crediderunt. Sed adversarii hoc non concessuri fuissent Petro. Pharisaei enim, adversus quos Petrus disputabat, omnino in ea erant opinione, Iudaeos per legem Mosaicam salute potiri (Vs. 1.), non solo Messiae beneficio. Necesse est igitur, ut in conclusione orationis Petrinae sit illud: Nos Iudaei, ut illi Pagani, mero beneficio Messiae, χωρὶς ἔργων νόμου, speramus felicitatem.

12. Καὶ ἤκουον — δι' αὐτῶν) Haec eo consilio commemorarunt Paulus et Barnabas, ut confirmaretur pluribus exemplis, quod Petrus dixerat supra v. 7—9. Nisi enim Deus voluisset, ut doctrina Christi propagaretur inter gentes, non comprobasset Pauli legationem per miracula.

13. Ἀπεκρίθη Ἰάκωβος) *Loqui coepit*, ut supra III, 15. et alibi. *Iacobus minor*, *Alphaei* filius hic intelligitur, qui post Petrum maxima auctoritate pollebat apud Christianos.

14. Συμεὼν (hebraica pronuntiatione, i. e. Simon Petrus. Καθὼς πρῶτον — ὀνόματι αὐτοῦ) *Quemadmodum primum Deo placuerit recipere ex gentibus ingentem multitudinem inter cultores nominis sui.* Λαὸν ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, proprie: *gentem de nomine suo vocatam*, i. e. sibi propriam, cultu et obsequio sibi deditam. Verba illa: ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ desunt in Codd. Verss. et Patr. haud paucis. Ἐπεσκέψατο λαβεῖν, *Libenter recipere voluit*, vel placuit ipsi

recipere. Similis huio est locutio Ierem. XXXII, 41. καὶ ἐπισκέψομαι τοῦ ἀγαθῶσαι αὐτούς. Cf. textum hebr. Sensus igitur est: Deus inter gentes sibi collegit coetum, qui dicitur populus Dei, sicut olim Iudaei dicebantur populus Dei.

15. Καὶ τούτῳ συμφωνοῦσιν) *Huic rei consonant.* Petrus experientiam, et eam quidem, quae sibi obtigerat, produxit; Iacobus Scripturam propheticam superaddit.

16. Ἀναστρέψω — πεπτωκυῖαν) *Rursum aedificabo domum Davidis collapsam.* Ἀναστρέφω, אָשׁוּב, verbum pro adverbio. Et Hebraeis omne habitaculum σκηνὴ dicitur, quia ea habitatio vetustissima. καὶ τὰ κατεσκαμμένα — αὐτήν) *Et ea quae diruta sunt in ea reficiam, eam restituam.* Τὰ κατεσκαμμένα, sc. μέρη, *suffossas*, s. *dirutas partes.* Κατασκάπτειν, *effodere*, pro *evertere penitus*, in qua significatione hoc verbum apud Profanos etiam occurrit, ut *Kypkius* docet. Ἀνορθοῦν, *iterum aedificare, instaurare, reficere.* Desumta sunt haec et sequentia verba ex Amos. IX, 11. 12. *Domum Davidis*, quam reaedificandam esse Propheta dixit, non esse domum proprie dictam, sed effigiem regni Davidici, facile apparet. Ita etiam *mons Sion*, ubi palatium Davidis fuit, omnem omnino civitatem Israeliticam indicat. Sensus igitur huius commatis est: *civitatem Israeliticam felicitati suae esse restituendam.*

17. Ὅπως ἂν — ταῦτα πάντα) *Ut reliqui homines Deum quaerant, et omnes nationes, quae ab eo nomen acceperunt; haec ita dicit Dominus.* Ad καὶ repete ἐζητήσωσιν με. Πάντα τὰ ἔθνη κ. τ. λ.) Omnes

gentes, de meo nomine vocatae, quae una cum Iudaeis erunt meus populus, populus mihi peculiaris. Verba Vs. 16. 17. sunt e versione graeca, a qua hebraicus textus h. l. valde differt. In hoc enim (Amos. IX, 12.) haec extant verba: *Ut* (Israelitae) *possideant reliquias Edomi, et omnes gentes quae abs me nomen acceperunt* etc. Alexandrini autem interpretes, quos Iacobus sequitur, pro יירשו legerunt ידרשו, transposita porro particula את, et addito יהוה, pro ארם legerunt אדם. Sensus huius loci e textu hebraico est, Deum post clades Palaestinae publicas effecturum esse, ut floreat iterum civitas afflicta, ut Israelitae accipiant imperium in Idumaeos, et in omnes nationes, quae ad cultum veri Dei essent transiturae. Hunc locum Iacobus, Alexandrinos secutus, memoriter profert, et simul ad alia flexit. Sicuti nempe reditus ex Babylonico exilio saepe est imago recuperatae per Messiam felicitatis: ita hic etiam reaedificatio civitatis Iudaicae repraesentat futura simul tempora, quibus civitati Iudaicae per Messiam alia contigit salus. Porro quum in Psalmis et passim in Prophetis Israelitis promittitur, eos habituros esse imperium in gentes omnes, hoc minime accipiendum est historice; huiusmodi enim imperium Iudaei nunquam habuerunt; sed prophetice innuitur, omnes, i. e. plurimas nationes accessuras esse ad colendum Deum verum, quem Israelitae colebant. Quare saepe additur, ceteras nationes venturas esse Hierosolyma Dei colendi caussa; Iudaeam fore quasi matrem omnium gentium etc. Ergo prophetico more historica cum Symbolis per illam historiam adumbratis coniuncta sunt. Ceterum recte observant Interpretes, clariora prophetarum ad sententiam Petri firmandam testimonia proferre Iacobum potuisse.

Constat enim, saepissime prolatum esse a Prophetis augurium, remotissimos populos collectum iri, qui iusto honore Iovae cultum prosequerentur; veluti Ies. II, 1 —4. cap. LX. Mich. IV, 1. 2. et innumeris locis aliis.

18. Γνωστὰ — ἔργα αὐτοῦ) *Nota enim sunt Deo omnia opera sua.* Ἔργα θεοῦ, *quicquid Deus facit, vel facere decrevit.* Sensus esset: *Non nunc demum hoc consilium cepit, aperuitque Deus: sed apud se statuit olim, et per Prophetas significat;* illud ergo stabit, et ratum erit, et quicunque contra illud faciunt, Deo resistunt. *Thalemannus* vertit: *Etenim cara sunt Deo semper omnia opera eius*, i. e. amat omnes homines, non modo Iudaeos, sed etiam Gentiles. Hanc interpretationem probat *Schleusnerus* in Lexico sub voce γνωστὸς, hac adductus ratione, quod verbum γινώσκειν ut hebr. יָדַע saepe significat *amare.* Sed voce ἔργα homines comprehendi vix credibile est. Dubia tamen sunt verba: ἐστι τῷ θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ, quia a multis codicibus vel plane absunt, vel variant, ut constructio sit talis: λέγει κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα, γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος, *dicit Dominus*, (nunc) *efficiens quae iam olim nota erant*, sc. ex scriptis Prophetarum. Haec lectio *Griesbachio* vera esse videtur, probante *Heinrichsio*, qui haec verba a Iacobo, Amosi locum memoriter laudante, tanquam Prophetae verba adiecta fuisse censet, iisque hunc sensum substituit: „dixit Iova, qui effecit haec, quae inde ab aeterno praescivit, seu *decrevit.* γνωστὸν, *decretum*, constitutum, a γινώσκω, *statuo mecum.*« Quae tamen significatio neque Luc. XVI, 4. (ad quem locum provocat,) neque alio N. T. loco, verbo γινώσκω tribui potest. Non sine ra-

tione suspicatur *Matthaei*, totum hunc versum suppositum esse ab aliquo, qui, ut ipse opinabatur, lenius iungere volebat verba prophetae et Iacobi, ut argumenti vis luculentius appareret.

19. Παρενοχλεῖν) *Facere negotium*, s. obiicere molestiam gentibus, s. conturbare gentes; ne scilicet sic multis aditus ad Christianismum praecluderetur.

20. Ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς) *Scribere*, uti apud Latinos interdum *mittere* simpliciter est scribere, *epistolam mittere*; vel etiam *praecipere*, qua notione hoc verbum saepe apud Iosephum, Ant. I, 1, 1. II, 2. 1. aliisque locis. Τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων) *Ut abstineant se a pollutis idolorum cibis*, sive a pollutionibus ciborum; cuius generis sunt ea quae idolis consecrata sunt. Ἀλίσγημα (ab ἀλισγέω, *polluo*, quod legitur apud LXX. Dan. I, 8. Mal. I, 7. 12.), *inquinamentum*, *foedatio*. H. l. ἀλισγήματα sunt *cibi vetiti*, de quibus lex agebat, quales ante omnes εἰδωλόθυτα, quae non esse impura non poterant. Sic ἄρτους ἠλισγημένους Malach. I, 6. 7. vocat *panes pollutos*. Ipse Lucas infra Vs. 29. XXI, 25. εἰδωλόθυτον vocat, quod h. l. ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων. Mos erat gentilibus, ut sacrificiis peractis, et cum data esset sacerdotibus pars victimae Diis consecratae, vel venderentur carnes ex victimis residuae in macello, vel ex iisdem instituerentur epulae cum amicis sive in templis, sive in aedibus privatis. Ovid. Metam. XII, 154. *Sacra tulere suam: pars est data cetera mensis.* Istae autem carnes ita erant Iudaeis abominationi, ut non modo, qui eiusmodi epulis interessent, sed etiam illos, qui

carnibus ex victima residuis atque in macello ad vendendum expositis vescerentur, idololatriae contagione sese contaminare existimarent. Quare Christianis, qui antea gentiles fuerant, iniungendum esse censuit conventus, ut abstinerent a talibus conviviis invitati, ne offensioni sint Christianis e Iudaeis Nec sine ratione. Periculum enim erat, ne Christianis, qui his epulis interessent, persuaderent Pagani ut redirent ad idololatriam. Deinde etiam epulae sacrificales habebantur in honorem idolorum. Qui igitur iis intererant, ii participes fiebant cultus, qui idolis illis praestabatur, ut taceam scandalum quod datum fuisset aliis Christianis, si vidissent fratres christiana libertate sic abuti, ut interesse epulis sacrificalibus Paganorum non dubitarent. Cf. 1 Cor. VIII. totum et 1 Cor. X, 14. sq. καὶ τῆς πορνείας) Iacobus, ut facile apparet, de iis monet, quae disputationem recipere videbantur, et quae Iudaeos poterant offendere, et impedire, quo minus pii ex gentibus cum piis Hebraeis in unam ecclesiam coalescerent. Est igitur sermo de adiopharis per se, quibusque ex charitatis tantum lege abstinendum esset. Quomodo autem inter adiaphora, per se videlicet, *scortatio* poterat reponi? Longius quaesita videtur *Heinsii* sententia, qui statuit esse hoc loco ἀλίσγημα πορνείας, ut ἀλίσγημα εἰδωλοθύτων, ut vetetur, ne gentes cibis, qui idolis essent a meretricibus oblati, vel mercede emti meritricia fuerant, se polluant. Hellenistae aliqui haud dubie πορνείαν, i. e. πορνικὴν θυσίαν, ἀτελῶς dixerunt, ut si, πορνεῖον μίσθωμα, πορνείαν σάρκα, dicas. Nihil vero usitatius erat apud gentes, quam ut meretrices, quae sufficientem corpore quaestum fecissent, luculentas Veneri Divisque victimas, eadem hac foedissima mercede

pretioque emtas partasque offerrent, quod Dei lege vetitum. Deut. XXIII, 19. Ceteris probabilior est eorum sententia, qui scortationem intelligunt non in se, ut morale quid, ut flagitium quoddam, sed quoad cum idololatria et cultu Deorum erat coniuncta. Constat enim, fuisse quaedam sacra publica, in quibus scortatio propemodum licita, et tanquam in parte sacrorum illorum haberetur, veluti Romanorum Lupercalia, sacra Bonae Deae et Bacchanila, Graecorumque Dionysiaca. Iam Mosis tempore coniunctam fuisse illam veneream nequitiam cum idolorum cultu, patet ex Num. XXV, 1. XXXI, 16. Non igitur mirum, si Apostoli, ubi prohibent epulas sacrificales, simul etiam prohibent πορνείαν, cum epulis illis coniunctam. Cf. *Bengelii* Gnomon, et *Wetstenius* ad h. l. Alii, quibus *Schleusnerus* in Lexico ad vocem πορνεία accedit, de metaphorica vocis πορνεία significatione cogitarunt, ita ut significet *idololatriam*, non quidem crassam illam, sed subtiliorem, et illa aetate receptam, quae ad accubitum in εἰδωλείῳ et esum τῶν εἰδωλοθύτων spectat, ut docuit *Io. Seldenus* in uxore hebraea. p. 493. Adde *Henckii Magazin für Religionsphilosophie*, *Exegese und Kirchengesch.*, qui insuper ἁλισγ. τ. εἰδ. sensu angustiori, et πορνείαν latiori accipit, et totum locum sic vertit: *Die aus den Heiden bekehrten Christen sollen sich enthalten der heidnischen Opfermahle, und überhaupt alles dessen, was zum Götzendienste gehört, so wie auch des Essens vom Erstickten und vom Blut.* Nec contemnenda est *Guil. Abrahami Telleri* sententia (Wörterbuch des N. T. sub voce Hurerey) hanc vocem explicantis de matrimonio cum ethnicis, Exod. XXXIV, 51. 16. In eandem sententiam incidit *Heringius* (in

Diss. de voce πορνεία in decreto Apostolico Act. XV., quae extat in Biblioth. Nova Brem. Cl. 4. p. 289. sqq.), qui h. l. sermonem esse censet de Christianis nondum nuptiali vinculo iunctis; his praecipi, ut potius ex Christianis sibi eligant vitae sociam aut socium, quam ex gentilibus. Nec huic sententiae repugnare, ait, locum 1 Cor. VII, 12. sqq.; ibi enim Apostolo rem esse cum iis, qui matrimonium iam ante contraxissent, quam unus eorum ad sacra christiana se convertisset. Disputarunt contra hanc explicationem *Ernestius* in *Neuer theol. Bibl.* T. VII. p. 682. sqq. et *Noesseltus* l. c. p. 106. sqq. *Michaelis* intelligit *carnem in macello venalem*, a verbo περάω seu πέρνημι *emo*, quam significationem huius vocis illustrare et confirmare vult ex *Iulio Polluce*, L. IX. §. 54. ubi ἐμπόριον dividitur in καπηλεῖα, καὶ πορνεῖα, ἃ καὶ οἰκήματα ἄν τις εἴποι. Plene autem h. l. dicendum fuisse πορνείαν σάρκα. Quum autem in macellis victimarum quoque reliquiae vulgo venderentur, veritos esse Iudaeos, ne forte inscii εἰδωλόθυτα comederent, si carnibus e foro uterentur. Vid. Michaelis *Einleitung.* etc. edit. 4. p. 201. sqq. et *Anmerkk. zum N. T.* ad h. l. Sed, ut recte contra monuit *Nitzschius*, parum certa sunt exempla a Michaele allata, quibus demonstretur, voc. πόρνειος apud Graecos usitatum, de rebus venalibus adhibitum fuisse. Valde porro durum fuisset, vetare Christianos carnibus in foro emtis vesci. Est etiam locus Paulinus 1 Cor. X, 25. 26. huic interdicto plane contrarius. *Nitzschius* et *Kuinoelius* pluribus ostendere student, voc. πορνεία h. l. non tantum ad epulas sacrificiales esse referendum, sed spectari in universum, quatenus scortatio est legi divinae contraria. Porro abstinere debebant Christiani τοῦ πνικ-

τοῦ καὶ αἵματος) *Suffocato et sanguine.* Vide Levit. XVII, 10. sqq. Suffocatum animal est vel sponte mortuum, vel venatione captum. Huiusmodi animalis esu abstinendum erat Iudaeis, quoniam sanguis omnis in eius venis et arteriis remansisset. Licitus tamen erat animalis capti esus, postquam sanguis ab omnibus venis erat secretus. *Sanguinem* porro occisarum victimarum Iudaei ex lege Mosis ad aram adspergere, sive in terram fundere solebant; sed ab eius esu iis omnino erat abstinendum. Ethnicis contra sanguis et suffocatum in diliciis erat. Sanguinis usus in gentilium sacrificiis, foederibus, ritibus magicis obtinebat, eumque etiam bibere solebant, ut hoc ritu diis suis arctiori foedere se devincirent Vid. *Michaelis* Ius Mos. T. IV. §. 206. Quoniam autem esus eius Christianis ex Iudaeis erat abominabilis, profecto non poterat expectari, ut cum Christianis ex Paganis una ederent, atque cum iis se coniungerent, nisi isti in hac re sese iis accommodarent. Haec videtur fuisse huius interdicti caussa. Alias de hac re sententias vid. in *Wolfii* Curis philologicis et *Deylingii* Observatt. sacr. P. II. Veteres Christiani praeceptum de non edendo sanguine perpetuo observandum esse duxerunt, quod ex *Tertulliano*, *Minucio*, *Canonibus Apostolicis*, aliisque locis Veterum *Grotius* ad h. l. probat. Sed ea una ex caussa, ut Iudaeorum offensa vitaretur, datam esse hanc legem, res ipsa docet. Prolixe de hac re disputat, atque dubitationes removet *Michaelis* ad h. l.

21. Μωσῆς — ἀναγινωσκόμενος) *Moses enim ab antiquissimis inde temporibus in singulis oppidis habet, qui eum praedicent, quum in synagogis sabbato quo-*

que eius libri praelegantur. Difficile est dictu, quomodo hoc comma cohaereat cum antecedenti. Ratio reddi videtur, cur Christiani ex Ethnicis abstinere debeant ab esu ciborum etc. Revocatur nimirum Iudaeis in memoriam interdictum harum rerum, quoties Moses legitur; quare cavendum, ne animi eorum irritentur. Subaudiendum igitur: *alioquin plurimi* (Iudaeo-christianorum) *offenderentur;* sunt enim in singulis urbibus addicti legi Mosis, quoque sabbato recitatae. *Wetstenius* hunc esse sensum statuit: Nihil hic innovamus, neque Mosis legem abolemus. Vigeat auctoritas legum Mosaicarum apud Iudaeos natos, legantur porro eius libri ab omnibus, dummodo ne isti legi subiiciantur, quos ipse subiectos non voluit, aut plura a gentibus requirantur, quam Moses requisivit. Alii explicant: Vobis praecipue, qui e gentilibus estis conversi, hoc inculcandum est; Christianis e Iudaeis eadem inculcasse parum attinet, illi enim e lege sua hoc discere possunt, quam quovis sabbato praelectam et antea audiverunt, et etiamnum audire possunt. Ita quoque auctor Scholii cod. Mosq. apud *Matthaei* nodum solvere studet. Habet nempe haec: Μωυσῆς γὰρ) *ὥστε περιττὸν τοῖς Ἰουδαίοις ταῦτα ἐπιστέλλειν, ἀπὸ τοῦ νόμου ταῦτα μανθάνουσιν. ἀπὸ τοῦ νόμου γὰρ ταῦτα εἴλιπται. ἡ γὰρ καινὴ (διαθήκη) οὐδὲν τοιοῦτον διατάττεται, οὐδαμοῦ τοῦ χριστοῦ περὶ τούτων διαλεγομένου.*

22. Τότε ἔδοξε — αὐτῶν πέμψαι) In verbis: ἐκλεξαμένους πέμψαι, *ut eligentes mitterent*, e *Kypkii* sententia Accus. ponitur ut apud Latinos pro: ἵνα ἐκλεξάμενοι πέμψωσι. Sic Xenoph. *Cyrop.* L. VII. ἔξεστι δέ σοι ἰδόντι ταῦτα, ἐλθόντα ἔτι καὶ περὶ τῆς ἁρπαγῆς

βουλεύσασθαι, *licet tibi, ut haec videns etiam veniens de rapina consultes.* Alii *ἐκλεξαμένους* passive pro *ἐκλεχθέντας*) explicant: *delectos ex sese viros.* Ita sumitur infra comm. 25. Plura de hac verborum structura vid. apud *Kuinoelium* ad h. l. et cf. *Wineri Gramm.* §. 32, 5. Ἰούδαν τ. καλ. Βαρσ.) Homo ulterius non cognitus. *Grotius* et *Wolfius* ad Vs. 27. eum fratrem fuisse putant Iosephi Barsabae Act. I, 23. memorati. Σίλας, *Silvanus* (vid. ad XIII, 9.), comes Pauli in itineribus per Asiam minorem et Graeciam; vid. 2 Cor. I, 1. Act. XVII, 1. 10. 1 Thess. I, 1. *ἄνδρας ἡγουμένους*) *Viros primarios, facile principes.* Nam *ἡγούμενοι* h. l. sunt, qui praecipua aliqua auctoritate et dignitate inter suos florent, ob singularia, quibus a Deo exornati erant, dona. Hoc sensu apud Iosephum Ant. XI, 4, 4.

23. Γράψαντες) Pro *γράψαντες*, ex Grammatices regulis, ordinarie scribendum fuisset *γράψασι*, ut *τοῖς ἀποστόλοις*, tanquam suo subiecto, responderet. Sed hoc *ἀνακόλουθον* grammaticum a loquendi more Graecorum non abhorret, et in Scriptoribus Atticis etiam saepe invenitur. Cf. etiam *Kypkii* observ. ad h. l. *τοῖς κατὰ — Κιλικίαν*) Ad quem locum *Morus* annotavit haec: »Cur non dicitur, omnibus omnino christianis e paganis scribimus? Adest causa. *Antiochenis*, inter hos orta fuerat contentio ea de re; *Syris*, nam Antiochia primaria erat Syriae urbs, ut adeo lis multa inter Antiochenos Syriam ipsam permearet; *Cilicibus*, de his nihil legimus antea, sed ideo adduntur, quoniam Paulus paulo post iter in Ciliciam fecit, ut adeo his Cilicibus novum hunc nuntium decretumque afferret, praesertim quum

Cilicia esset proxime contermina Syriae.» χαίρειν) *Salutem.* Est formula initialis epistolarum, Graecis consueta, subaudita voce εὔχομαι, *opto te valere.*

24. Ἐξ ἡμῶν ἐξελθόντες) *Egressi ex nobis*, i. e. ex nostra congregatione. Aliqui hoc sunt interpretati de discessione quorundam atque defectione ab Apostolis. Ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις) *turbarunt vos doctrinis*, vel sermonibus. Ταράττειν est, in pace et tranquillitate ambulantes scrupulis turbare. ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν) *Avertentes animos vestros*, a recto tramite nempe. Oppositum huius verbi est κατασκευάζειν, ut vel ex ἀνασκευῇ et κατασκευῇ Rhetorum notum est: iam quum κατασκευάζειν in sacris litteris sit, *vera religionis christianae cognitione imbuere et instruere*, facile intelligi potest, vi vocis oppositae ἀνασκευάζειν denotare, *animos falsa doctrina imbuere et corrumpere, atque adeo a vera salutis aeternae consequendae via abducere conari.* λέγοντες — νόμον) *Iubentes* (vos) *circumcidi atque observare legem*, ritus legis Mosaicae. Ad περιτέμνεσθαι nonnulli subaudiunt δεῖν. Sed, aliis recte observantibus, verbo λέγω iam inest praecepti significatio. οἷς οὐ διεστειλάμεθα) *Quibus mandata talia non dedimus;* qui auctoritatem apostolicam prae se ferre nequeunt.

25. Γενομένοις ὁμοθυμαδὸν) *In unum sensum ingressis*, unanimi consensu; vel *quum una convenissemus*, in conventu omnium.

26. Παραδεδωκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν) *Qui ultimo discrimini et extremis periculis exposuerunt vitam*

suam. Respicitur ad ea discrimina, quae Antiochiae, Lystrae etc. eos adiisse audiverant Apostoli. Efficaciter commendant *Paulum* et *Barnabam*, ut qui nihil existimandi sint facere sui caussa, quum propter Christum et ecclesiam tot pericula subierint, et subeant quotidie.

27. Καὶ αὐτούς — τὰ αὐτά) Ut verbis eadem vobis dicant, quae continet epistola, et certos vos faciant, epistolam hanc non esse suppositam. Ἀπαγγέλλοντας, Praes. pro Fut. ἀπαγγελοῦντας.

28. Τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν) *Nobis per Spiritum sanctum;* nobis Spir. S. adiutis. ἕν διὰ δυοῖν, vel: *Spiritui sancto per nos loquenti;* et consilia nostra dirigenti, Io. XVI, 13. et supra XIII, 2. Spiritus sanctus revelavit, quid in ea re statuendum esset. Consilia religionis causa, Deo quasi praesente animoque ad eum allato, capta potissimum ad hunc auctorem referuntur. *Praeter haec necessaria.* Ἐπάναγκες, *necessario*, est adverbium, et phrasis nostra elliptica, quam plene enunciaveris: πλὴν τῶν ἐπάναγκες ὄντων τούτων. Si adverbia nominibus iunguntur, participium verbi εἰμὶ supplendum esse, vulgare est. Quod hic de *necessitate* de talibus abstinendi dicitur, id non ita intelligendum est, quasi in natura sanguinis et suffocati aliquid sit, cur christianis non liceat iis vesci. Necessaria erat haec abstinentia non in se, sed relate et certo modo. Adstringitur nempe haec necessitas ad illius temporis conditionem, ut aliarum gentium cum Iudaeis esset consuetudo magis apta, et minus dissentanea vitae ratio.

29. Ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτούς) *A quibus si vobis caveritis.* Constructio paullo insolentior, ut Ps. XI, 8.

Apud Hebraeos litera ם proprie valet ἐξ, nonnunquam ἀπὸ. εὖ πράξετε) Verti potest: *recte agetis*, vel *felices* s. *beati eritis*. Significatus *recte faciendi* hic praeferendus esse videtur. Formula: *hoc si facietis, recte facietis*, solemnis est Graecis in clausulis orationum et epistolarum. ἔῤῥωσθε) *Valete*. Usitata Graecis clausula litterarum, sicut exordium χαίρειν. Pertinent huc, quae Paulus commemorat Gal. II, 7 — 9.

31. Ἀναγνόντες δὲ) Christiani Antiochenses. ἐχάρησαν ἐπὶ τῇ παρακλήσει) *Illa institutione gavisi sunt*. Alii παράκλησις vertunt: *solatium*, ut intelligatur, fuisse eos antea dolore affectos turbidis aliorum sermonibus. Sed *instituendi* notio praeferenda est; eadem significatione verbum παρακαλεῖν statim Vs. sq. adhibetur. Multum ipsis placebat, quod viderent, libertatem, qua utebantur, ab Apostolis probari. Bene *Heinrichsius:* Sie freuten sich der Belehrung, die so recht nach ihrem Wunsche ausgefallen war.

32. Καὶ αὐτοὶ προφῆται ὄντες) *Qui et ipsi doctores erant*, nempe ut Paulus et Barnabas, quibuscum missi erant Antiochiam. Προφήτης, נָבִיא saepe in universum est doctor, ut satis constat. Ceterum vid. ad XIII, 1. XI, 27. διὰ λόγου — ἐπεστήριξαν) *Cum copiosa oratione cohortati sunt et confirmarunt fratres*. Est enim παρακαλεῖν et cohortari et consolari. Τοὺς ἀδελφούς, praecipue illos e Iudaeis Christianos, quibus scrupulos adimire non adeo facile erat.

33. Ποιήσαντες δὲ χρόνον) *Quum vero per aliquod tempus ibi commorati essent*; Iudas nempe et

Silas. Ποιεῖν pro διατρίβειν (infra XVIII, 23. Iac. IV, 13.) alii etiam Scriptores habent. ἀπελύθησαν μετ' εἰρήνης ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν) *A fidelibus dimissi sunt bonis ominibus votisque.* Similes phrases sunt apud Iosephum et Philonem. πρὸς τοὺς Ἀποστόλους) Legendum videtur: πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας αὐτούς. Sic enim praeter optimos codd. habent Copt. Aeth. Vulg. cant. Euthal. Cassiod. Beda.

34. Deest hoc comma in multis Codd. et Patribus. Alii addunt: μόνος δὲ Ἰούδας ἐπορεύθη. Recte nonnulli censent, temere haec esse illata, ab iis fortasse, qui comm. 22. 32. 33. et 40. inter se pugnare crediderunt. Sed potuerunt Silas et Iudas aliquamdiu Antiochiae remanere, quamvis peractis negotiis dimissi essent ab Antiochenis. Potuit etiam Hierosolyma proficisci, et inde, a Paulo revocatus, Antiochiam reverti.

36. Hoc secundum Pauli iter ad gentes incidere videtur in a. Chr. 51. vel 52. κατὰ πᾶσαν πόλιν, ἐν αἷς) πᾶσα πόλις, collective, *per omnes urbes, in quibus.*

37. Τὸν Ἰωάννην τὸν καλούμενον Μάρκον) Ioannes, cognomine Marcus est is, cuius mentio facta est supra c. XII, 25., qui c. XIII, 5. (ubi vid. not.) dicitur minister Pauli et Barnabae, comes itinerum. Quum autem venissent in Pamphiliam Paulus et Barnabas, Ioannes eos deseruit, et Hierosolyma rediit.

38. Παῦλος δὲ ἠξίου — μὴ συμπαραλαβεῖν τοῦτον) *Paulus nolebat hunc secum ducere, s. comitem itineris habere.* Ἀξιόω enim, adiuncto τῷ μή, saepe est

nolo, ut apud Ioseph. A. I, 1, 4. VII, 7, 3. *μὴ συνελθόντα αὐτοῖς εἰς τὸ ἔργον*) *qui non profectus fuerat cum iis ad hoc opus.* Τὸ ἔργον esse munus et occupationem tradendae religionis christianae, facile apparet.

39. Παροξυσμὸς) *Animorum incitatio, vel commotio.* Sensus est, vehementer et acriter commotos fuisse eorum animos. ὁ Παῦλος, ut Graeci hic non male notant, *ἐζήτει τὸ δίκαιον*, ὁ Βαρνάβας τὸ *φιλάνθρωπον*. Ceterum amoris et amicitiae vinculum non esse disruptum inter Paulum, Barnabam et Marcum, patet ex 1 Cor. IX, 6. Col. IV, 10. 2 Tim. IV, 11. Philem. Vs. 24. *Hieronymus* vocat *aedificatorium Ecclesiae iurgium*, quia seorsim plura loca adire poterant eodem tempore, quam iunctim.

CAP. XVI.

1. Κατήντησε) *Pervenit s. perrexit.* Proprie *occurrendi* significationem habet hoc verbum. Ἐκεῖ, nempe Lystrae *γυναικός (τινος)* Ἰουδαίας *πιστῆς*) Feminae ex illis, quae in Iudaea primae in Christum crediderant. Nomen ei *Eunice*, 2 Tim. I, 5. *πατρὸς δὲ Ἕλληνος*) Lex vetabat Iudaeis ducere extraneas legi non subiectas: feminis autem Iudaeis non vetabat nubere extraneo pio, sicut *Esther* nupsit Ahasvero. Cf. Esra c. IX. X.

3. Τοῦτον — ἐξελθεῖν) *Hunc volebat Paulus secum proficisci.* λαβὼν περιέτεμεν αὐτὸν) *Circumcidendum curavit eum.* Non fuerat circumcisus, quia, ut Thalmudici tradunt, non erat ius matri filium circumci-

dere, patre invito; patris enim potestas praevalebat. διὰ τοὺς — ἐκείνοις) Sperabat ipsius opera multos ex Iudaeis nondum conversos, ad Christum posse converti, quorum nonnulli rigidioribus illis sententiis occupati, consuetudinem sermonemque eius declinaturi fuerant, si scissent incircumcisum. Paulus circumcisionis et usum et omissionem ex temporum locorumque utilitate metiri noverat. Illis, qui necessitatem circumcisionis ad salutem aeternam consequendam defendebant, fortiter restitit; ceterum facilem se praebuit infirmis, si qua eos lucrandi spes esset. ᾔδεισαν — ὑπῆρχεν i. e. *Noverant omnes*, ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Ἕλλην ὑπῆρχεν, *patrem eius graecum fuisse.* Similis constructio apud Demosthenem aliosque occurrit. Quum Graecum scirent parentem eius fuisse, non admissuri fuissent eius doctrinam et institutionem. Nefas enim putassent doceri ab homine, qui haberet a patre aliquid impuritatis. Ea igitur indulgentia usus est Paulus in Iudaeos, ut Timotheum circumcideret, quoniam in ea erant opinione, hominem ex patre impurum, circumcisione factum esse puriorem et sanctum.

4. Τὰ δόγματα — Ἱερουσαλήμ) *Decreta facta ab Apostolis et Presbyteris Hierosolymitanis.* Δόγματα h. l. non sunt doctrinae quae vulgo dogmata dicuntur, sed decreta de quatuor rebus fugiendis. c. XV, 20. 29. Graecis Senatusconsulta, leges, edicta dicuntur τὰ δόγματα (Polyb. I, 18.), a verbo δοκεῖν, ut τὸ δόγμα sit id, quod visum est hominibus. Nostro loco additur κεκριμένα, *facta*, *stabilita*, *sancita* ab Apostolis. Ceterum ex hoc loco intelligitur, in singulis nunc oppidis commendatum esse Christianis hoc edictum, Antiochenis scriptum.

6. Γαλατικὴ χώρα) *Galatia* seu *Gallograecia*, Asiae minoris regio, Phrygiae contermina. Κωλυθέντες — τὸν λόγον) *Vetiti afflatu Spiritus sancti docere Evangelium;* nam λόγος h. l. κατ' ἐξοχήν est doctrina Evangelii. Vetiti sunt per quoddam dictamen internum, cuius auctor Spiritus sanctus, animos et consilia eorum dirigens. Certo tamen non potest dici, utrum per revelationem peculiarem, an per visum aliquod, an alio modo hoc factum sit? Visi expressa fit mentio infra Vs. 9. ἐν τῇ Ασίᾳ) *In Asia*, i. e. ulterius in tractus Asiae septentrionales orientalesque docendi causa haud progressi sunt. Primo in Asiam penetrare longius animus iis fuerat. Videntur autem sub haec tempora collectae fuisse illae ecclesiae, ad quas scripta est Epist. ad Galatas. Paulum in Phrygia et Galatia evangelium praedicasse, colligi potest ex XVIII, 23., ubi per eundem, in secundo itinere per illas regiones, Christiani in Galatia et Phrygia confirmati in fide dicuntur. Socius quidam Pauli, *Crescens*, ad Galatas missus, commemoratur 2 Tim. IV, 10. Haud dubie Petrus quoque in Galatia ecclesias collegerat, coll. 1 Petr. I, 1. Vid. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 214.

7. Ἐλθόντες κατὰ τὴν Μυσίαν) *Quum venissent ad fines Mysiae.* Mysiae incolae olim abiectissimae sortis habiti sunt, ita, ut proverbio: *Mysorum ultimus*, homo abiectissimus, et vilissimae sortis designaretur. *Cicero* pro Flacco c. 27.: »Namque, ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Utrum igitur nostrum est, an vestrum, hoc proverbium, Phrygem plagis fieri solere meliorem? Quid de tota Caria? nonne hoc vestra voce vulgatum est, si quid cum pe-

riculo experiri velis, in Care id potissimum esse faciendum? Quid porro in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est, quam si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? Nam quid ego dicam de Lydia? quis unquam Graecus comoediam scripsit, in qua servus primarum partium non Lydus esset?« Βιθυνίαν) Bithyniae incolae minus culti erant; Thraces fuerunt, qui in hanc Asiae partem profecti Βιθυνοὶ dicti sunt (Strabo XII.); nec oppida habebant, sed vicos κωμοπόλεις. Vid. Cellar. Notit. Orb. Antiq. III, 8. οὐκ εἴασεν αὐτοὺς τὸ πνεῦμα Ἰησοῦ) Ἰησοῦ addendum est e Codd. antiquis et Verss. permultis. Est autem πνεῦμα Ἰησοῦ i. q. πνεῦμα ἅγιον, Io. XIV, 26.

8. Παρελθόντες δὲ τὴν Μυσίαν) *Praeterita Mysia*, praetergressi Mysiam. κατέβησαν εἰς Τρωάδα) *Descenderunt Troadem*, urbem maritimam, de qua cf. *die Alterthumsk.* I. c. p. 174. Iam Paulus consilium in Europam proficiscendi exsequitur. Postea demum in aliis Asiae regionibus doctrina Evangelica propagata est. Vid. infra XIX, 10.

9. Μακεδὼν) *Macedonem* esse in somnii viso sibi conspectum, cognoscebat ex verbis: διαβὰς εἰς Μακεδονίαν. βοήθησον ἡμῖν) *Fer opem nobis.* Hoc Paulus recte de praedicatione Evangelii intellexit; nec aliter intelligere poterat.

10. Ἐζητήσαμεν) His indicatur, Lucam, huius libri auctorem fuisse et ipsum in illo comitatu, eo quod suam personam commemoratione comprehendit. συμβιβάζοντες) *Argumentum inde trahentes*, nempe ex illo viso

nocturno. Vid. de hoc verbo supra ad IX, 22. Animus συμβιβάζων est plura invicem coniungens et comparans, ut videat quid inde sequatur. Hic igitur omnes περιστάσεις comparantes concluserunt, Macedoniam esse adeundam.

11. Ἀναχθέντες) *Provecti* a Troade. De ἀνάγεσθαι vid. ad XIII, 13. εὐθυδρομήσαμεν εἰς Σαμοθράκην) *Secundo vento navigavimus in Samothraciam.* Prospera navigatio fidem fecit, bene eos coniecisse et rem non sine numine geri. Graeci etiam dicunt ὀρθοπλοεῖν. *Samothracia*, insula vicina Thraciae; olim Dardania a Dardano, hodie *Samandrachi.* Νεάπολιν) Portum in ora Macedoniae. *Plinius* H. N. IV, 18.: *A meridie Aegeum mare, cuius in ora a Strymone Apollonia, Oesima, Neapolis, Datos. Intus Philippi colonia.*

12. Ἥτις ἐστὶ — πόλις) Nec ordine nec dignitate prima fuit urbs Macedoniae Philippi. Quare nonnulli πρώτης legendum putant pro πρώτη, alii τῆς μερίδος omittunt, ut πρώτης Μακεδονίας πόλις κολώνια sit colonia in *Macedonia prima.* Vid. *Bowyeri* coniect. in h. l. Sed nihil mutandum videtur: nam πρώτη πόλις non idem significat semper quod μητρόπολις, sed interdum significat *unam ex nobilissimis* urbibus. Interdum etiam urbes Graeciae nomen πρώτη πόλις in nummis usurpabant. Vid. *Michaelis* introductio in libros N. T. §. 187. Alii πρώτην dictam esse putant, quod ex viae ordine prima urbs fuerit in illa Macedonia parte interiora petentibus. Sed prima urbs erat Neapolis Vs. 11. Alii difficultatem sic tollunt, ut dicant, Macedoniam tum in duas partes fuisse divisam; alteram Pro-

consularem, quod a Proconsule regeretur; alteram Augustalem, quod esset pars Augusti; et in hac parte Philippos fuisse urbem primariam. Plura de hac urbe vid. in *Rosenmülleri Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 393. sqq. τῆς μερίδος pro ταύτης μερίδος. Κολώνια est nomen latinum, significans urbem, quam occupatam incolerent cives Romani. Paulus colonias maxime sequebatur, quod ibi et plus essent hominum et gentes variae.

13. Ἐξήλθομεν — προσευχὴ εἶναι) *Ubi ex more erat Proseucha.* Pro ἔξω τῆς πόλεως in aliis libris legitur ἔξω τῆς πύλης, *extra portam;* quae lectio verior esse videtur. Νομίζεσθαι saepe est, *in more esse*, unde νενομισμένα apud Ioseph. Ant V, 4, 1. sunt *solemnia, quae ex more peragenda sunt.* Fuit moris apud Iudaeos, ut Proseuchas quam proxime ad fluvios exstruerent, quo commodius ipsis suppeteret aqua ad manus lavandas, antequam preces facerent. Insignis in hanc rem est Iosephi locus A. XIV, 10, 23. Philo synagogas vocat προσευχάς, quia in illis et legebatur lex, et orabatur. Sed etiam quibus in locis synagogae non erant, puta ob exiguum Iudaeorum numerum, aut quod magistratus non permitterent, habebant Iudaei loca, orationibus destinata. Proseuchae s. Oratoria non semper fuerunt aedificia, sed interdum loci subdiales et solitarii, septo circumducti, silvulae, ubi praecandi caussa convenirent. Vid. *Vitringa* de Synagoga vetere p. 119. 217. 1109. Cf. et *das alte und neue Morgenland*, P. VI. p. 26. sq.

14. Πόλεως Θυατείρων) Θυάτειρα, urbs Lydiae, extrema Mysorum, inter Sardes et Pergamum. Vid. *Al-*

terthumsk. Vol. I. P. II. 179. In istis regionibus tingendae purpurae artificium floruisse dicitur; et vestes eo colore infectas in alias terras divendebant incolae. ὀνόματι Λυδία) Proprio nomine sic appellatam fuisse mulierem istam, non est quod dubitemus, quum hoc nomen apud veteres haud insuetum esset. σεβομένη τὸν Θεὸν) E gentibus ad Iudaeorum religionem conversa, XIII, 16. Πορφυρόπωλις) *Purpurarum*, vestium purpureo colore tinctarum, *venditrix*. Artem purpurae tingendae etiam a Thyatirensibus exercitam fuisse, docet inscriptio, Thyatiris inventa, apud *Sponium* in Miscell. Erud. Antiq. Sect. 3. No. 93. Ἧς ὁ Κύριος διήνοιξε τὴν καρδίαν) *Cuius animum convincebat Dominus*, nimirum per doctrinam Evangelii, quam attenta mente perceperat. *Aperitur animus*, si antea non intellecta intelligit. *Themist.* Orat. II. de Constantio Imp. διανοίγεταί μοι τὸ στῆθος καὶ ἡ καρδία, καὶ διαυγεστέρα γίνεται ἡ ψυχή, καὶ τὰ ὄμματα ὀξύτερα τῆς διανοίας. ὁρῶ γοῦν, ὦ μακάριοι, ἃ πρότερον οὐχ οἷός τε ἦν. *Pectus mihi et cor aperitur, et pellucidior fit animus, oculique mentis perspicaciores; video igitur, o beati, quae antea non poteram.* Ex aliarum etiam linguarum consuetudine pectus dicitur apertum alicui rei, quod ad eam est paratum et promtum, e. c. pectus apertum virtuti, amicitiae, vitiis. Ergo *animum aperire* simul includit hoc: reddere eum promptum et proclivem. Tota igitur vis phraseos, *Deus aperuit Lydiae cor* s. animum est haec: Deus eam reddidit intelligentiorem et procliviorem. Deo autem hoc tribuitur, quoniam hoc totum est opus et beneficium Dei, quando hominem impertit hac doctrina. Unde intelligitur non immediata ratione, sed per doctrinam apertum esse

Lydiae animum. προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ τοῦ Παύλου) *Ut fidem haberet Pauli dictis.* Aequipollet enim προσέχειν cum verbis πιστὴν τῷ Κυρίῳ εἶναι, Vs. 15. *Demosth.* ad Leochar. ποτέρῳ προσέχειν ὑμῶν ὡς ἀληθῆ λέγοντι; *cuinam vestrum ut vera dicenti fides habenda est?* Hinc saepe opponuntur ἀπιστεῖν et προσέχειν, quod multis exemplis probat Kypke.

15. Εἰ κεκρίκατε — εἶναι) *Siquidem* me putatis ex animo credere quod profiteor. Εἰ h. l. vertendum est, *siquidem*, vel *quandoquidem*, ut Gal. V, 25. 1 Petr. I, 17. Ita haud raro Latini etiam sumunt particulam *si*; quod nonnullis locis probat *Pricaeus* ad h. l. παρεβιάσατο ἡμᾶς) *Quodammodo vim nobis attulit*, nimirum vehementibus precibus; ut Mitio Terentianus, *vis haec quidem est*, inquit, quum non fieret orandi finis.

16. Εἰς προσευχὴν) Προσευχὴ hic quoque, ut supra Vs. 13. de loco faciendis precibus destinato, accipi debet. Ἔχουσαν πνεῦμα Πύθωνος) *Fatidico spiritu praeditam.* ὁ Πυθὼν nomen Apollinis, vel a πυνθάνεσθαι seu πύθεσθαι, vel a dracone, qui ὁ Πυθὼν (Genit. Πυθῶνος, seu ὁ Πύθων, Genit. Πύθωνος) dicebatur. Fingunt nempe Veteres monstrum horrendum, quod *draco* δελφύνης, ὄφις μέγας, αἴνος ὄφις vocatur. Hunc serpentem terrae filium fuisse et Πύθωνος nomen habuisse tradunt. Addunt hoc monstrum praefuisse oraculo cuidam in monte Parnasso: Apollinem autem, *Pythone* interemto oraculo hoc potitum esse et successisse, velut alterum praesidem, in locum interemti Pythonis. Iam quia Apollinis afflatu *Pythia*, vates illa, quae Delphis erat, futura canebat, 2) *omne daemonium*, cuius afflatu

futura praedicebantur, *Pytho* vocari coeptus est. Suidas, Hesychius et Phavorinus Πύθων explicant: *δαιμόνιον μαντικόν*. Proinde homo *πνεῦμα Πύθωνος ἔχων* est istiusmodi *δαιμονιῷ μαντικῷ* perfusus et correptus, et vaticinia cum furore et ecstasi proferens. Eiusmodi vaticinia proferebat et haec ancilla. Translatum 3) est illud nomen ad *homines ipsos*, qui Dei cuiusdam afflatu futura praedicere posse credebantur, et nominatim Πυθὼν omnium veterum consensu significat *hominem ventriloquum*, hominem qui clausis labiis loqui solet, ita ut in gutture, pectore et ventre loqui videatur. Ipsi Veteres hos homines, quos vocant etiam *ἐγγαστριμύθους*, et *στερνομάντεις*, asserunt fraudatores fuisse, qui lucri caussa futura praedicerent, quasi revelata sibi a Deo, intus in pectore verba efformante. Appellantur autem isti homines *Pythones* (ab Apolline, quia Apollo Pythius credebatur esse vaticinandi Deus), quasi homines orti e familia Pythii Apollinis, et ab eo ornati hoc beneficio. *Plutarchus* de defectu oraculorum: *τοὺς ἐγγαστριμύθους Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ Πύθωνας προσαγορευομένους*, *ventriloquos Eurycleas* (ab Euricle, huius divinationis inventore) *olim nunc Pythonas vocant*. *Galenus* glossar. Hyppocr. *ἐγγαστρίμυθοι, οἱ κεκλεισμένου τοῦ στόματος φθεγγόμενοι, διὰ τὸ δοκεῖν ἐκ τῆς γαστρὸς φθέγγεσθαι*, *clauso ore loquentes, ut videantur ex ventre loqui*. Schol. ad Aristoph. Vesp. 1014. *οὗτος, ὡς ἐγγαστρίμυθος λέγεται Ἀθήνησί τ' ἀληθῆ μαντευόμενος διὰ ἐνυπάρχοντος αὐτῷ δαίμονος*. Qui plura desiderat, adeat *Walchii* commentat. *de servis Veterum fatidicis*. Serva autem illa utrum fuerit ventriloqua, an fatidica, quae clara voce oracula ediderit, certo constitui nequit. Etenim (inquit *Kuinoelius*)

Πύθων, ut vidimus, est nomen generis, cuius singularem speciem constituunt, qui ἐγγαστρίμυθοι olim dicti sunt. Probabilis tamen est *Deylingii* (Obss. P. II. p. 201.), *Wolfii* et *Walchii* sententia, feminam illam ἐγγαστριμύθων numero non esse adscribendam, quum Lucas Vs. 17. verba distincte prolata ei tribuat, quum eam secutam esse dicat Paulum eiusque comites, atque adeo per id significet, eam per plateas et cursitando vaticinatam esse, ἐγγαστρίμυθοι vero vel insidentes cuidam loco, vel prostrati in terra oracula sua ediderint. Recte quoque plures Interpp. observant, servam illam non tam fraudatricem fuisse, quam potius morbo hysterico, seu daemoniaco, ex more loquendi tum recepto, laborasse, atque per eum nonnumquam abreptam esse in furorem similem ei, quo Pythia, Tiresias, aliique gentilium μάντεις agitati essent. Nempe persuasum erat feminae, se vaticinia edere posse, esse deum aliquem, qui ignota et futura ipsi aperiret. ἥτις ἐργασίαν — μαντευομένη) *Quae magnum quaestum conciliabat dominis suis vaticinando.* Est enim ἐργασία h. l. quaestus, seu lucrum. Apud Veteres in mancipiis et servorum familia etiam hariolos fuisse, qui mercenaria opera vaticinarentur, ita, ut quicquid suis vaticinationibus lucrati essent, in quaestum dominorum suorum cederet, exemplis comprobavit *Walchius* in diss. 3. *de servis* etc. p. 3. sqq. κυρίοις) Non insolitum fuisse, ut unus servus, aut serva, plures dominos haberet, ostendit *Walchius* diss. 2. p. 16., qui idem diss. 4. p. 14. huius rei causam tum in ipso peculio, quod haeredibus haud raro commune permansit, tum in summo eorum mancipiorum, unde magnum lucrum sperandum erat, pretio, quaerit.

17. *Αὕτη — σωτηρίας)* Paulum et eius comites esse legatos divinos, intelligere potuit haec mulier ex Pauli rebus gestis. Docuerant enim per plures dies in hac urbe, et inter alia dixerant etiam hoc, se *σωτηρίαν* tradere hominibus. Hoc igitur repetit mulier, et dicit: hi homines vobis *ὁδὸν σωτηρίας* monstrant. Quod autem laudavit Paulum et comites, in eo callide (fortassis instigantibus dominis) egisse videtur. Voluit nempe sibi conciliare maiorem auctoritatem, quasi ipsa cum his legatis divinis haberet communionem.

18. *Διαπονηθεὶς δὲ ὁ Παῦλος)* *Molestia autem affectus*, sollicitus de ea re *Paulus*. Ideo vero aegre tulit Paulus, quod nollet sibi auctoritatem parari per illam mulierem, quam tantum lucri caussa vaticinari constabat. Ne autem callidi homines hac muliere ad quaestum faciendum abuti pergerent, valetudinem ei restituebat Paulus, et ita fraudi finem faciebat. *καὶ ἐπιστρέψας — τῇ ὥρᾳ)* *Et retro conversus, Spiritui dixit: Iubeo te in nomine Iesu Christi discedere ab illa muliere; et exiit Spiritus hoc ipso momento.* E quibus verbis colligi potest, servam illam non meram fuisse fraudatricem, sed morbo hysterico, daemoniaco dicto, laborasse. Dum Paulus spiritum discedere iubet, accomodat se loquendi usui, qui apud Evangelistas saepissime occurrit. *καὶ ἐξῆλθεν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ)* Mulier ab illo horae momento consanuit, desiitque vaticinari.

19. *Ἰδόντες — τῆς ἐργασίας αὐτῶν)* *Quum viderent domini puellae, evanuisse spem lucri sui. ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας)* *Ad magistratus.* Ad duumviros coloniae, quos iam dicet *στρατηγοὺς*, *praetores*, honoratiori vo-

cabulo, sicut Capuae duumviri praetores se dici volebant. *Heinrichsius*: „Hic subito conticescit prima persona pluralis, et videtur Lucas periculorum novitate perculsus subterfugisse, aut alia quadam de causa societatem Pauli misisse. Ergo non adest Paulo versanti in cetera Macedonia, Athenis, Corinthi, in Asia, Ephesi, in Graecia, sed post longa demum Pauli repetitaque itinera, in eadem ipsa Philipporum urbe, in qua per plures annos substitisse videtur, Apostolo denuo iungitur, XX, 5. 6. Sed et Timotheus secessisse ad tempus a P. videtur, qui c. XVII, 14. demum iterum adest; ergo P. et Silas soli ad tempus munus Apostolicum obeunt.“ Cf. Eundem ad Vs. 10.

20. Ἐκταράσσουσιν ἡμῶν τὴν πόλιν) i. e. pacem et tranquillitatem civitatis, stabilitas leges turbant.

21. Ἔθη — Ῥωμαίοις οὖσι) ἔθη h. l. sunt *ritus, vel cultus religiosi*, ut supra VI, 14. Apud Romanos nefas fuit deos colere, aut eorum cultum commendare, nisi qui essent publica auctoritate constituti. *Servius* ad Aen. VIII. 187. *Cautum fuerat et apud Athenienses et apud Romanos, ne quis novas introduceret religiones: unde et Socrates damnatus est, et Chaldaei vel Iudaei urbe depulsi. Cicero* de legibus Lib. II. 8. Separatim nemo habessit Deos, neve novos; sed nec advenas, nisi publice adscitos, *privatim* colunto. *Maecenas* ad Augustum, narrante *Dione Cassio*: τὸ μὲν θεῖον πάντη πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε, τοὺς δὲ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, *divinum numen omni modo et omni tempore iuxta leges patrias cole, et,*

ut alii colant, effice, qui vero peregrinos ritus introducunt, eos et aversator et punito. Cf. Sueton. vit. Augusti, c. 93. *Iul. Paulus* Sentent. V. 21, 2. qui novas et usu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, *honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur.* Eadem vero lex etiam et clarius contra hariolos erat lata. Nec Paulus eo, quod daemonium expulerat legem Rom. violarat. Vid. *Meyeri Versuch einer Vertheid. u. Erläut. d. Gesch. Iesu u. d. App. aus Profanscribenten* p. 372. Prae aliis autem Iudaeorum sacra odio fuerunt Romanis. Iudaei ergo ob id ipsum, quod prae ceteris tranquille vivere neque Romanorum sacra perturbare debebant, tanto gravius solebant puniri. Vid. *Wetstenium* ad h. l. Fortassis etiam hoc arripuerunt seditiosi isti homines, quod Paulus et Silas Iesum regem et dominum dicerent, et multa loquerentur de regno Dei, ad quod invitabant homines. Haec res eam speciem habere poterat apud imperitos, quasi novam civitatis formam introducere voluissent. Quare dicunt: Non licet nobis suscipere et observare haec instituta, quia cives Romani sumus.

22. Οἱ στρατηγοὶ — ῥαβδίζειν) Sic *A. Gellius*, I, 13. *vestimenta detrahi imperavit, virgisque multum cecidit. Diodor. Sic.* XVII, 35. οἱ δὲ τὰς ἐσθῆτας περιῤῥηγνύντες καὶ γυμνοῖς τοῖς σώμασι ἐπιβάλλοντες τὰς χεῖρας. *Seneca* in controversiis, ut verba legitima refert: *summove lictor, dispolia, verbera.* Praetores, ut plebi tumultuanti satisfacerent, Paulo et Silae flagellationem decreverunt, eosque in carcerem coniici iusserunt, ut alio die accuratius in rem inquirerent. περιῤῥήγνυμι,

(περὶ et ῥήγνυμι) *undique abrumpo*, de vestimentis: *detraho, spolio prorsus, omni veste exuo aliquem.*

23. Παραγγείλαντες τῷ δεσμοφύλακι) *Praecipientes carceris custodi.* Hunc custodem carceris nomen habuisse *Stephanae* Graeci perhibent, et eum esse, cuius mentio fiat 1 Cor. I, 16. XVI, 15. 17. Quae tamen valde incerta sunt.

24. Καὶ τοὺς πόδας — ξύλον) *Pedes eorum inclusit in lignum*, i. e. *alligavit compedibus ligneis.* Τὸ ξύλον fuit instrumentum ligneum, quinis hinc et inde foraminibus certo invicem spatio divisis excavatum. In haec foramina vel pedes, ut h. l., vel etiam cervix, manus et pedes noxiorum inserebantur, vinculisque adstringebantur. Hinc πεντεσυρίγγος vocatur. Aristoph. Equitt. 1046. Latini *nervum* vocant. Plaut. Captiv. III, 5, 71. *Nam noctu nervo vinctus custodiebatur.* Vid. *Henr. Valesii* annot. in *Euseb.* Hist. eccles. p. 88. edit. Mogunt. *Lucianus* Toxari 29. οὐδὲ ἀποτείνειν τὰ σκέλη δυνάμενον, ἐν τῷ ξύλῳ κατεκεκλεισμένα, *qui neque extendere crura posset, ligneis compedibus devincta.* Hesychius ποδοκάκη, ὁ ἐν ξύλῳ δεσμὸς, ἐν ᾧ οἱ κακοῦργοι δεσμεύονται. Fuit tamen discriminis aliquid inter ξύλον et ποδοκάκην. *Grotius:* „in veteri lege Attica habemus, δησάντων ἐν τῷ ξύλῳ οἱ ἕνδεκα ἢ ἐν τῇ ποδοκάκῃ. Puto ποδοκάκην esse quas *ligneas soleas* appellat Cicero, ξύλον autem, quod ligneam custodiam appellat Plautus.“

35. Ὕμνουν τὸν Θεὸν) *Laudes Deo canebant*, et gratias agebant pro honore sibi habito, in eo, quod

pro Christo pati possent; supra V, 41. Hoc erat *gaudium in spiritu sancto*, in carcere, ubi genua flectere non poterant.

26. Καὶ πάντων τὰ δεσμὰ ἀνέθη) Non uni, ut supra XII, 7. sed vinctis omnibus, ut scirent, Apostolos et sibi, et aliis esse utiles. σεισμὸς de terrae motu legitur etiam Matth. XXVII, 52. XXVIII, 2.

27. Ἔμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν) Metu gravioris supplicii. Solebant enim commentarienses, si effugissent vincti, eandem pati poenam, quam vincti passuri fuerant. L. IX, 4. 4. C. *de custodia reorum.*

29. Ἔντρομος — Σίλᾳ) *Tremebundus ad Pauli et Silae pedes procidit*, scil. quia pro numinis legatis habuit Apostolos. Si ansam Pauli capiendi cognoverat, eo magis legatos divinos eos potuit habere.

30. Προαγαγὼν αὐτοὺς ἔξω) In locum aliquem carceris sub dio positum, ut liberius respirarent. κύριοι) Dominos vocare eos, quos honorare velimus, receptum tum erat, et apud Graecos et apud Romanos. Testis *Martialis* et alii. *Seneca* epist. 3. *Obvios, si nomen non succurrit, Dominos salutamus.* τί με δεῖ ποιεῖν ἵνα σωθῶ;) *Quid faciendum mihi est, ut salutem* (aeternam) *consequar?* Quidam verterunt: *ut saluti meae consulam?* Non enim credibile esse, hominem paganum de aeterna salute cogitasse. Esse igitur σώζεσθαι, ut in quavis alia lingua, *saluti suae consulere.* Metuisse nempe carceri praefectum, ne puniretur a Diis, quod viros tam venerabiles Deoque gratos du-

riter tractasset. Sed bene se habet vulgaris explicatio. Siquidem (inquit *Heinrichsius*) audierat indubie custos, homines quos carceri incluserat, ὁδὸν σωτηρίας monstrare se professos (cf. ad Vs. 17. 18.). Iam tam evidenti praesentioris numinis signo vera eos loquutos esse edoctus, et ipse hanc σωτηρίας ὁδὸν ingredi avet, licet de σωτηρίας christianae natura nondum compertum quid habere potuerit. Huic explicationi favet et responsio Apostolorum. Si sumitur, carceris custodem metuisse poenas deorum, Apostoli eius mentem vel non assequuti esse putandi sunt, vel assequi noluisse, et mentem a terrena salute ad coelestem traduxisse.

31. Πίστευσον) *In Dominum Iesum Christum credere* h. l. est religionem universam Christi amplecti, eiusque praeceptis obtemperare. Quare Apostoli nunc praecipua doctrinae evangelicae dogmata carceris custodi annunciant et commendant, ut patet ex Vs. 32. καὶ σωθήσῃ — οἰκός σου) *Sic consules saluti tuae et familiae tuae.* Breviter et concise dictum, pro: Sic consequeris salutem, cuius et particeps erit familia tua, ubi amplexa fuerit Christi doctrinam, coll. Vs. 22. 33.

33. Καὶ παραλαβὼν αὐτοὺς) Adductos ad κολυμβήθραν aliquam, quae erat intra moenia carceris. ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν) Abluit sanguinem virgis excitatum. παραχρῆμα) Similia exempla dati sine mora baptismi, habemus supra VIII, 38. X, 47. XVI, 15. Non multa scitu sunt necessaria ad salutem, sed praecipua illa dogmata altae menti debent esse infixa, vertique in succum et sanguinem.

34. Ἀναγαγών τε αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ) *Quum duxisset eos in domum suam*, in aedes suas carceri superstructas, ut patet ex verbo ἀνάγειν, quod proprie notat *sursum ducere*, *in loca superiora deducere* (hinaufführen), supra IX, 39. Παρέθηκε τράπεζαν) Παρατιθέναι proprie dicitur de convivatore Luc. X, 8. aliisque locis. πανοικεί) *Cum universa domo*, s. familia. Cod. Cantabrig. habet σὺν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, e glossemate. πεπιστευκὼς τῷ θεῷ) Participium hic caussam reddit. Ideo gavisus est, quod non ipse tantum, sed et tota eius familia tanta luce perfusa esset.

35. Οἱ στρατηγοί) Qui supra Vs. 19. οἱ ἄρχοντες. Vulgatus bene utrobique *magistratus* vertit. τοὺς ῥαβδούχους) *Lictores*, *viatores*. Non intelligendi hic sunt lictores cum fascibus, qui Romae erant, sed lictores cum bacillis, qui apparebant, ac praesto erant magistratibus colonicis. λέγοντες — ἐκείνους) Subierat duumviros poenitentia, quod in plebis commotae gratiam, *indicta caussa*, caedi iussissent homines advenas contra morem. Romanos autem eos esse, nondum videntur scisse. „Hanc vero poenitentiam excitasse videtur terrae motus. Haud dubie, postquam Paulus et Silas in vincula erant coniecti, plura audiverant de eorum doctrina et factis, nec improbabile est, ipsum commentariensem iis retulisse, quae in carcere evenerant; facile ergo in eam cogitationem devenire poterant, terrae motum horum advenarum caussa ortum esse.“ *Kuinoelius.*

37. Δείραντες ἡμᾶς δημοσίᾳ) Sc. χώρᾳ. *Publico loco.* Dicuntur Duumuiri fecisse, quod fieri iusserant.

Et multum auget iniuriam, quod facta erat in publico. ἀκατακρίτους) *indicta caussa.* Contra ius gentium, et Romanorum. Cicero: *Caussa cognita possunt multi absolvi, incognita nemo condemnari potest.* Ῥωμαίους) *Cic.* Verr. V, 57. *Illa vox et imploratio: Civis Romanus sum, quae saepe multis in ultimis terris opem inter barbaros et salutem tulit.* Civem Romanum omnino virgis caedere non licebat per leges Porcias et Sempronias: quanto minus caussa indicta? Cicero pro Rabirio c. IV. *Lex Porcia virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit.* Silam (de quo vid. XV, 22.) civem Romanum fuisse, aliunde non constat. Quare plerique Interpp. statuunt, in Pauli verbis esse Synecdochen. *Walchius* primit. sacr. Ienens. p. 281. observat, ipsi sermonis gravitati, quae ex hoc loco proluceat, optime convenire, ut in Plurali loquatur Apostolus. *Kuinoelius* tamen pronus est ad credendum, verba proprie esse accipienda. Nec sine ratione. Nam capitali poena afficiebantur, qui ius civitatis Rom. mentirentur. Exemplum vid. in Sueton. vit. Claud. c. 25. *civitatem Rom. usurpantes in campo Esquilino securi percussit.* Quatenus civitate Rom. gavisus fuerit Paulus ipse, vid. infra ad XXII, 28. οὐ γὰρ) *Non sane, minime vero.* Sibi ipsi Paulus debuit, ut postularet honestam deductionem ex urbe. Si enim clam abiisset, paullo post rumor fuisset sparsus, effracto carcere ipsum aufugisse, quae res famae et auctoritati Apostolicae apud Philippenses et alios multum nocuisset. Porro etiam iure civili et naturali tenebatur immunitatem suam et civitatem Romanam asserere: quid enim sunt immunitates et iura, si quis ea negligat, et sibi eripi patiatur? Boni civis est, facere, ne sua ne-

gligentia alii, quibuscum vivit cives, et praecipue liberi nepotesque, deterioris fiant conditionis, quam fuissent absque eo. *Kuinoelius:* „Cur vero Paulus se non tuitus est legum Rom. praesidio adversus duumviros, quum eum virgis caedi iuberent? Nempe tumultus in foro obstitit, quominus ad civitatis iura provocaret, aut exaudiretur. Confirmat hanc rationem ipsum vocabulum ἀκατακρίτους."

38. Ἐφοβήθησαν) Metuebant maiestatis crimen, quod *Verri* minatur *Cicero* circa finem Verrinae ultimae. Ita enim constituerant leges, ut in cive Romano laeso, ipsa populi Romani maiestas laesa crederetur.

40. Εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν) Al. leg. πρὸς τ. Λ. *Ingressi sunt ad Lydiam*, *s. domum Lydiae*, *adierunt Lydiam.* Ut: *Eamus ad me.* παρεκάλεσαν αὐτοὺς) *Hortati eos sunt*, ut in fide constantes manerent, quanquam se abeuntibus. καὶ ἐξῆλθον) *Ex urbe;* nempe, tum ne periculis se ingererent non necessariis, tum quia Macedonia, quam ipsis Deus commendaverat, latius patebat.

CAP. XVII.

1. Διοδεύσαντες — εἰς Θεσσαλονίκην) *Per Amphipolin et Apolloniam facto itinere, venerunt Thessalonicam. Amphipolis*, primae regionis Macedoniae metropolis, haud procul a Philippis, ad fluvium Strymonem sita, a quo, eam undique alluente et cingente, nomen accepit. Vid. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. III, p. 395.

Quatuor ad minimum in Macedonia erant urbes, quae Apollonia dicebantur, una mari Ionio adiacens; alia sita erat in monte Atho; tertia intra Strymonem et Nestum; quarta denique inter Amphipolim et Thessalonicam interiacebat, quam Ptolemaeus in *Geograph.* L. III. Ἀπολλωνίαν Μυγδονίας vocat. Vocabulum διοδεύσαντες innuit, Paulum cum sociis Amphipolim et Appolloniam nonnisi in transitu peragrasse, veluti urbes in via sitas, quas non propter peragenda negotia petebant, sed per quas Thessolonicam petentibus brevissimum patebat iter. Apollonia igitur a Luca memorata, est illa Mygdoniae, quae medio fere itinere inter Amphipolim et Thessalonicam sita erat. *Thessalonica* autem est urbs praeclara ad sinum Thermaicum, secundae regionis Macedoniae metropolis, olim Thermae vocata. Vid. *Alterthumsk.* l. c. ἡ συναγωγὴ) Articulus habet emphasin. In aliis Macedoniae urbibus non erant synagogae, sed proseuchae, supra c. LVI, 13.

2. 3. Διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν) Alii rectius distinguunt: διελέγετο αὐτοῖς, ἀπὸ τῶν γραφῶν διανοίγων καὶ παρατιθέμενος (similis verborum structura adest infra XXVIII, 23.), *multa cum illis disserebat, ex Scripturis apertum faciens, et locis prolatis affirmans.* Nam διανοίγειν h. l. notat, *aperire, indicare, revelare,* παρατιθέναι autem, *docere, promere, auctoritatem Scriptoris citare.* Sic saepe Athenaeus V. e. g. ὡς Νικανδρος φήσι, παρατιθέμενος τὸ ἐκ νεφελῶν Ἀριστοφάνους ὡς φήσι πάμφιλος, παρατιθέμενος Ἐπιχάρμου. ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν) Transitio ab oratione obliqua ad directam, frequens et aliis, et nostris maxime Scriptoribus.

4. Καὶ προσεκληρώθησαν τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Σίλᾳ) *Et adiunxerunt se Paulo et Silae.* Προστκληροῦσθαι apud Philonem persaepe notat *se adiungere, coniunctum esse, adhaerere*, ut pluribus locis allatis docet *Loesner* in h. l. τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων) Proselyti videntur fuisse, quod Articulus suadet, qui definitius quid designare solet. E *Grotii* sententia σεβόμενοι Ἕλληνες hic sunt pii ex gentibus, qui legem quidem Mosis non susceperant, sed, idololatria et pravis moribus relictis, unum colebant Deum, et nemini faciebant iniuriam; qui gradus erat ad Christianismum.

5. Ζηλώσαντες — πονηροὺς) *Iudaei autem qui illis fidem non habebant, ira incensi assumserunt circumforaneos quosdam homines malignos.* Magna hic est lectionis varietas. Haud pauci libri habent: προσλαβόμενοι δὲ οἱ Ἰουδαῖοι οἱ ἀπειθοῦντες, omisso ζηλώσαντες, in aliis Codd. omittitur ἀπειθοῦντες. *Griesbachius, Knappius, Schottus* et *Vaterus* legendum esse putant: Προσλαβόμενοι δὲ οἱ Ἰουδαῖοι κ. τ. λ. Τῶν ἀγοραίων) Hesychius: ἀγοραῖοι, οἱ ἐν ἀγορᾷ ἀναστρεφόμενοι. *Philo* de princ. creat: ἔμποροι καὶ κάπηλοι καὶ ἀγοραῖοι. Vox frequens profanis ut Wetstenius docet, denotans homines, qui omne fere tempus in foro, inepta curiositate ducti consumunt, concionibusque adfixi haerent: Latinis *circumforanei, subrostranei* dicuntur. *Cicero* orat. pro Flacco: *Opifices, tabernarios, atque omnem illam civitatis faecem, quid est negotii concitare?* καὶ ὀχλοποιήσαντες, ἐθορύβουν τὴν πόλιν) *Commota turba tumultum excitarunt civitatis.* Ἐπιστάντες τῇ οἰκίᾳ Ἰάσονος) *Adorti aedes Iasonis.* Κατὰ τὸ σιωπώμενον indicatur, apud Iasonem quendam hospitio acceptos tunc fuisse Apostolos.

6. Οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες) *Isti, ubique locorum et gentium seditionum auctores.* Ἀναστατοῦν, i. e. ταράσσειν, *perturbare.*

7. Ἀπέναντι τῶν δογμάτων κ. πρ.) Ἀπέναντι, i. e. ἐναντίᾳ, seu κατὰ. *Contra edicta Caesaris faciunt.* βασιλέα — Ἰησοῦν) i. e. alium a Caesare, qui se *mundi dominum* dicebat, et apud Graecos κύριος et βασιλεύς audiebat. Christiani vero Iesum quoque vocabant κύριον, non Iudaeae tantum, de quo apud Pilatum accusatus Iesus fuerat, sed totius humani generis.

9. Καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν) *Accepta satisfactione.* Latina phrasis. Sensus esse videtur: Quum esset eis satisfactum defensione Iasonis et ceterorum. Alii interpretantur de *satisdatione iudicio sisti.* Fortassis etiam promittere coactus est Iason, se hos homines non amplius hospitio excipere velle, et, si forte redituri essent, eos deferre apud magistratum. Vid. *Michaelis* ad h. l. *Bretschneider* in Lex. λαβόντες τὸ ἱκανὸν, *postquam iis satisdatum erat*, scil. praedes sistendo aut pecuniam deponendo (cf. *Kypkii* obss. I. p. 197.). Foret ergo ἱκανὸν nostrum: *Caution.*

10. Εἰς Βέροιαν) Est urbs Macedoniae non procul a Pella. Liv. XLV, 30. *secunda pars* (Macedoniae) *celeberrimas urbes, Thessalonicen et Cassandriam, habet. Tertia regio nobiles urbes Edessam et Beroeam et Pellam habet.* Beroea hodie vocatur *Veria*, vel *Kara-Veria.* Vid. *die Alterthumsk.* Vol. III. p. 397.

11. Οὗτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ) *Hi autem erant generosiores* (magis ingenui) *quam*

Thessalonicenses. Εὐγενὴς et εὐγένεια, quae proprie est eorum, quos natalium splendore illustres esse fortuna voluit, etiam de iis dicitur, qui animo et moribus sunt bene constituti, quales h. l. intelliguntur. *Philo* de Nobilitate: μόνους χρὴ λέγειν εὐγενεῖς τοὺς σώφρονας καὶ δικαίους. Quos et Latini nobiles dicunt. Seneca Ep. 44. *Bona mens omnibus patet. Omnes ad hoc sumus nobiles.* Nos: *edelgesinnet.* Ostendebant autem nobiliorem sentiendi rationem eo, quod Apostolis non facerent iniuriam, sed omnia ab iis dicta examinarent, doctrinamque exciperent. οἵτινες — προθυμίας) *Qui* (Iudaei Beroenses) *crediderunt verbo*, (ut Graeci explicant,) i. e. *susceperunt religionem alacri animo.* ἀνακρίνοντες — οὕτως) Ἀνακρίνειν h. l. est ἀνερευνᾶν, ut *Chrysostomus* explicat. *Scrutati sunt scripturas*, non quod dubitarent de veracitate Pauli et Silae, sed ut, prophetica scripta cum illorum verbis conferendo, magis magisque in veritate confirmarentur, et haberent, unde alios convincerent.

14. Ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν) *Ad mare.* Ὡς ἐπὶ, *versus ad*, illo ὡς h. l. cum ἐπὶ ut alias in ὡς εἰς vel ὡς πρὸς, fere pleonastice posito, ut ὡς ἐπὶ sit i. q. ἕως, *usque ad. Aelian.* N. A. καὶ ὡς ἐπὶ τὴν γῆν προάγει τὸ σκάφος. Diodor. Sic. XIV, 49. κελεύσας κατὰ τάχους πλεῖν ὡς ἐπὶ Συρακουσίους. Secundum *Grotii* aliorumque sententiam deductus quidem Paulus est ad oram maris, tanquam navigaturus, et fama ita sparsa, ceterum reipsa properavit terrestri itinere Athenas. Sed bene *Heinrichsius*: „Non praeter naturam accidit, Beroenses, Paulo amicos, Apostolum ex urbe, circa quinque milliarium a littore distante, ad proximum portum

deduxisse (quandoquidem Athenas petere, et quidem ob plura in interioribus terris pericula, quae sibi adfutura augurabatur, navigatione eo tendere constituerat Paulus), quid quod et in navigatione ipsa Athenas usque ei comites adfuisse.“ ὑπέμενον — ἐκεῖ) Beroeae ergo una cum Paulo adfuit Timotheus, qui h. l. denuo in scenam prodit. Cf. ad XVI, 19.

15. Οἱ δὲ καθιστῶντες τὸν Παῦλον) *Qui comitabantur Paulum.* Καθιστάω est, *aliquo deduco, comitor, dux itineris sum*, idem quod προπέμπω, c. XX, 38. Moris erat Christianis, ut Apostolos ad urbes alias comitarentur, partim honoris caussa, partim ut viae duces essent, partim ut iis de hospitio in locis, ad quos deducebantur, providerent; cf. c. XXI, 16. *Comitari* aut *viae ducem esse* saepe hoc verbum significat, e. g. apud Plutarch. in Pericle: *Iussit uni e servis, accenso lumine* παραπέμψαι καὶ καταστῆσαι πρὸς τὴν οἰκίαν τὸν ἄνθρωπον, *hominem comitari et domum deducere.* ἕως Ἀθηνῶν) *Athenas.* Cic. de oratore L. I, c. 4. vocat *omnium doctrinarum inventrices.* λαβόντες ἐντολὴν) A Paulo.

16. Ἐκδεχομένου) i. e. προσδεχομένου. *Expectante*, sive opperiente Paulo, eos scilicet, quos iusserat accersi, Silam et Timotheum, qui redierunt ad eum, quum am Corinthi versaretur, XVIII, 5. παρωξύνετο — αὐτῷ) *Commotus ei fuit animus.* Quum enim nobilissimam Graeciae urbem, philosophiae studiis celeberrimam, belli pacisque artibus florentissimam perambularet, purioris religionis vestigia iure quodam exspectabat. κατείδωλον) *Idolis refertam*, ex analogia adiectivorum cum prae-

praepositione κατὰ iunctorum, ut κατάδενδρος, κατάμπελος, κατάκαρπος etc. *Pausanias* in Attic. 24. Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖά ἐστι σπουδῆς. Livius XLV, 27. *Athenas inde plenas quidem et ipsas vetustate famae, multa tamen visenda habentes — simulacra Deorum hominumque, omni genere et artium insignia.*

17. Τοῖς σεβομένοις) Nempe τῶν Ἑλλήνων. *Proselytis.* ἐν τῇ ἀγορᾷ) Quo maxime populus coibat. Sed et Philosophi forum frequentabant, et cum obviis disputabant. *Dio Chrys.* de Socrate: περὶ τὴν ἀγορὰν τὰ πολλὰ διατρίβων. Quum plura Athenis fuissent fora, quorum duo potissimum celebrabantur, alii h. l. *vetus* forum intelligunt, quod erat in Ceramico, alii *novum*, quod extra Ceramicum erat in loco, cui nomen *Eretria.* Nullum enim forum, nisi Ceramicum et Eretriacum, absolute dictum esse ἀγορά, sed semper additum nomen, quo cognosci posset, quod designaretur. πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας) Non alloquebatur quemvis obvium, sed prout occurrebat quis, qui ad audiendam Evangelii doctrinam aptus proclivisque videretur.

18. Τινὲς δὲ τῶν Ἐπικουρείων καὶ τῶν Στωϊκῶν) Duo genera Philosophorum nominat, maxime alienorum a christiana religione. Nam *Epicurei* neque mundum creatum a Deo credebant, neque Deo curam esse rerum humanarum, neque bonum aliud, quam quod sensibus perciperetur. *Stoici* vero Deum quidem mundi opificem agnoscebant, sed omnia fatali necessitati adstricta, et Deum ipsum fato subesse credebant. Negabant sapientem suum quicquam Iovi cedere; dissentie-

bant in definienda animorum post mortem conditione. Seneca ep. 73.: *Iovem plus non posse quam bonum virum; Iovem diutius bonum esse, et sapientem nihilo minoris se aestimare, quod virtutes eius spatio breviore claudantur.* Ep. 53.: *Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum. Ille naturae beneficio non timet, suo sapiens; ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei.* Manu quaerendam mortem potius credebant, quam ferendam servitutem, contumelias aut graves morbos. Plura huc non pertinent. Quum vero Epicureorum aeque ac Stoicorum dogmata doctrinae Christi quam maxime opposita fuerint, non mirandum, hanc doctrinam a Paulo propositam philosophis illis displicuisse. *συνέβαλλον αὐτῷ*) *Congressi sunt*, disputarunt *cum illo.* Adhibetur vox praesertim de familiaribus congressibus et colloquiis Philosophorum. Subaudire potes vocem *λόγους*, sic enim plene Euripides *Iphig. in Aul.* Vs. 830. *αἰσχρὸν δέ μοι γυναιξὶ συμβάλλειν λόγους*, *turpe vero mihi est, loqui cum mulieribus.* Commune fere omnium Stoicorum fuisse fertur vitium, ut in disputando erga dissentientes admodum difficiles se praeberent. Vid. in totum hunc locum *Walchii* diss. cui titulus: *Stoicorum cum Paulo disputatio.* *σπερμολόγος*) *Nugator.* Dicunt Athenienses, de quibus hic sermo: *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?* Sunt haec dicta ex loci genio. Anacharsis apud Lucianum; *τοῦτο ἐκεῖνο ἦν ἄρα ὃ ἐγὼ περὶ ὑμῶν ἤκουον τῶν Ἀθηναίων, ὅτι εἴητε εἴρωνες ἐν τοῖς λόγοις.* Est autem *σπερμολόγος*, ut diximus, Suida et Hesychio interprete, ipsoque Glossario N. T. *garrulus*, *nugator.* Nimirum *σπερμολόγος* dicitur *ὁ σπέρματα λέγων.* Primario sic vocantur aviculae vel anima-

lia, quae seminibus collectis vitam tolerant; hic improprie σπερμολόγοι sunt homines de alieno viventes, quos *parasitos* vocant veteres, quale hominum genus *scurrilitate, garrulitate et adulationibus* sibi victum quaerere aliisque placere studet. Plutarchus *discr. adul. et am.* adulatoribus duo vitia cognata tribuit, βωμολοχίαν καὶ σπερμολογίαν, *parasiticam vivendi rationem. Verba inconsiderata*, quae ab iratis evomuntur, idem de ira σπερμολόγα ῥήματα vocat. Est etiam σπερμολόγος idem ac *graculus*, (*Kraehe, Aelster,*) quae avis in omnibus linguis est imago loquacitatis. ξένων δαιμονίων — εἶναι) *Novos, peregrinos, Deos annuntiare videtur.* Δαιμόνιον et δαίμων generatim de quovis numine adhibentur; interdum etiam deos minores, qui Heroes apud Graecos audiebant, significant. Quo sensu h. l. δαιμόνιον accipiendum videtur. Non rarum quidem Athenis publico scito extranea numina admittere, sed privatim id non licebat. *Valerius Max.* L. I. extr. *Athenienses — Socratem damnaverunt, quod novam religionem introducere videbatur.* Socrates vero non tam propterea capitis damnabatur, quod novam religionem doceret, quam quod receptos deos contemneret, et deos esse negaret. Xen. Mem. I, 1, 1. Vid. supra ad XVI, 21. ὅτι τὸν Ἰησοῦν — εὐηγγελίζετο) Putabant gentiles, illustrium virorum, heroum, animos a corporibus separatos fieri Deos minores, servatores humani generis. Vid. Chalcidius, commentar. in Platonis Timaeum §. 135. Diogenes Laërt. L. VIII. segm. 32. Paulum simile quid docere putabant Athenienses, quum eum docentem audirent, Iesum esse Dei filium, σωτῆρα hominum, de genere humano praeclare meritum, et post mortem coelo receptum; esse igitur Iesum Heroem, dei cuiusdam

filium, ipsumque post mortem deum ordinis inferioris. Plur. δαιμονίων per enallagen numeri positus est pro Singulari, vel (uti Kuinoelius observat), usi sunt Athenienses illi plurali numero, ex inani persuasione, fore ut in posterum de pluribus diis ex Paulo audirent. Verba: ὅτι — εὐηγγελίζετο Lucae sunt, nec Atheniensium. Neque igitur, etiam si philosophorum illorum verba a Luca relata existimes, idonea ratione probari poterit, Athenienses voc. ἀνάστασις quoque de Dea intellexisse (quod nonnulli volunt); ut adeo littera maiuscula Ἀνάστασις scribendum esset.

19. Ἐπιλαβόμενοί τε αὐτοῦ) *Eumque prehensum*, non vi et obtorto collo, sed sermo est de leni et amica apprehensione ac ductione; quo sensu ἐπιλαμβ. legitur Marc. VIII, 23. Luc. IX, 47. Act. IX, 27. Ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον) *Areopagus*, q. d. Martis collis, vel simpliciter de loco, vel de collegio iudicum Atheniensium, quod ibi erat, accipi potest. H. l. ipse collis Martius intelligitur, locus, in quo Mars, qui Halirrhotium, filium Neptuni interemerat, caussam capitis dixit, audientibus duodecim diis. Ducebant vero Paulum non ad iudicium, sed ut explicaret doctrinam suam, quod ibi multi esse solerent homines eruditi, senatores, oratores et alii. Cf. Vs. 34. Ceterum Romanorum quoque tempore Areopagi auctoritatem fuisse, cernitur in Valer. Max. VIII, 1. extr. δυνάμεθα γνῶναι) Licetne nobis per te discere, quod sit tuum Dogma, cuius sis in Philosophia sectae? Scoptice et haec sunt dicta, sicuti praecedentia.

20. Ξενίζοντα — ἡμῶν) *Peregrina* (non audita nobis prius) *affers ad aures nostras*. Sunt nempe ξενι-

ζοντα, quae vulgari linguae, vel moribus et opinionibus non conveniunt; et ξενίζειν non tantum significat *hospitio excipere peregrinum*, sed et *percellere aliquem et novitate rei quasi peregrinae percutere et perturbare* (befremden), 1 Petr. IV, 4. 12.

21. Οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι) *Peregrini*, Athenis fixam sedem non habentes, sed ad tempus ibi commorantes. Eiusmodi peregrinis referta semper solebat esse urbs nobilissima. Theophrast. *charactt. eth.* c. 4. εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν) *Nulli rei tantopere vacabant*, vel *studebant*. Utuntur hoc verbo Polybius, Philo, aliique. Εἰς οὐδὲν autem h. l. est *fere nihil*. καινότερον) *Novi aliquid*. Comparativus interdum ita ponitur, ut res comparata subaudienda sit. Vid. *Wineri* Gramm. §. 28, 3., qui hunc locum sic interpretatur: sie wollten immer etwas *neueres* (als das, was eben beim Sprechen für *neu* galt) hören; eine Neuigkeit sollte die andere verdrängen. Cf. loca ab eodem laud. Athenienses fuisse hoc ingenio, loca Profanorum apud Wetstenium demonstrant.

22. Κατὰ πάντα — θεωρῶ) *Religionis in Deos maxime studiosos* (nimis religiosos) *vos video*, zu religiös. Δεισιδαίμων est vox media, et *superstitiosum* denotans, qui Deos esse metu adactus credit, et cultus divini studiosum. Non dubium est, quin Paulus h. l. vocem δεισιδαιμονεστέρους sensu bono acceperit, ut sub initium orationis benevolentiam Atheniensium captaret. Neque enim credibile, aut prudentiae Pauli conveniens videtur, in ipso limine orationis eum tam odioso, et ad animos Atheniensium irritandos apto vocis significatu usum esse.

23. Διερχόμενος) *Transiens*, sc. per urbem. τὰ σεβάσματα ὑμῶν) *Simulacra quae veneramini:* nam σεβάσματα sunt ea, per quae Dii coluntur, unde culturas non male vertit Latinus. ἀγνώστῳ θεῷ) *Ignoto Deo.* Valde exercuit hic locus Interpretes, siquidem scriptores Graeci docent, plures aras θεοῖς ἀγνώστοις, in forma plur. apud Athenienses fuisse dicatas. De aris *Deorum ignotorum* n plurali loquitur *Pausanias* e. c. in descript. Graec. I, 1., in Phalero portu βωμοὺς θεῶν ὀνομαζομένων ἀγνώστων fuisse exhibens. Cf. et *Philostratus* vit. Apollon. VI, 3. De certa quadam ara, forma singul. θεῷ ἀγνώστῳ inscripta, nihil reperitur. Provocant quidem, qui hunc locum scriptoribus Graecis conciliare annituntur, ad locum *Luciani* Philopatr. 9. νὴ τὸν ἄγνωστον τὸν ἐν Ἀθήναις, et 29. ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσομεν. Sed haec ipsa scoptice et ironice, forte in Paulum ipsum, dicta sunt, nec idoneum argumentum inde duci potest. Porro laudant *Diog. Laert.* I, 10., qui refert, peste Athenis grassante, ab *Epimenide* monitos Athenienses ut sacra facerent τῷ προσήκοντι θεῷ, i. e. ei Deo, ad quem pertineret avertere pestem, non addito nomine; et ex eo per Atheniensium pagos βωμοὺς ἀνωνύμους inveniri. Sed ex hoc ipso loco apparet, aras illas omni omnino inscriptione caruisse. Alii opinati sunt, Paulum numerum plur. pro instituto suo mutasse in singularem, cuius opinionis auctor fuit Hieronymus in Commentar. in Ep. ad Tit. I, 12. Verum recte alii observant, coram Atheniensibus prudentissimis vix committi potuisse istiusmodi inversionem. Duplici autem modo nodum solvere possumus. *Aut* enim cum *Heinrichsio*, *Kuinoelio*

aliisque statuendum erit, fuisse Athenis plures aras, in quibus inscriptio illa plurali numero notata fuerit; extitisse vero etiam unam aram inscriptam: ἀγνώστῳ θεῷ, etiamsi nil de eadem apud scriptores classicos memoratum legamus, quandoquidem ex silentio auctorum nil sequitur. *Aut* adstipulandum erit *Eichhornio* (Biblioth. T. III. p. 413. sqq.), e cuius sententia arae Athenis fuerunt ex remotissima antiquitate, quum ars scribendi nondum recepta usu fuisset: nulla ergo inscriptio inerat aris. Has tamen aras postea Athenienses non destruxerant, ne cuius numinis iram provocarent, sed ignorantes, cuinam numini dicatae fuerint, inscripserunt: ἀγνώστῳ θεῷ. Fuere ergo plures arae, quae singulae inscriptae erant θεῷ ἀγνώστῳ, forma singulari, non: *dem*, sed: *einem unbekannten Gotte*. Ex pluribus his aris nonnisi una Paulo in oculos incurrit, unde is, uni alicui Deo ignoto dicatam esse illam aram ratus, viam sibi ad argumenta sua persequenda sternit commodissimam. τοῦτον — ὑμῖν) Illum, Deum ignotum, solum omnipotentem, vobis annuncio.

24. Ὅστις — κατοικεῖ) Minucius Felix in Octavio c. 32.: *Templum quod ei* (Deo) *exstruam, quum totus mundus, eius opere fabricatus, eam capere non possit? et quum homo laxius maneam, intra unam aediculam vim tantae maiestatis includam? nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro imo consecrandus est pectore? hostias et victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit, ut reiiciam ei suum munus?*

25. Οὐδὲ — προσδεόμενός τινος) *Nec humanis manibus ei ministerium praestatur, quasi indigeat ali-*

qua re. Θεραπεύειν h. l. est *ministrare.* Putabant autem Ethnici, se manibus suis ministerium praebere Diis, quando illis victimas, tanquam cibos offerebant, quasi ad convivia essent venturi, iraturi nisi illis tales mensae apparārentur. Talibus ministeriis Deum verum non indigere Paulus dicit. Προσδεόμενος, qui habet quidem aliquid, sed non satis, qui insuper eget. Paulus summa arte orationem suam ita temperat, ut modo cum vulgo contra Philosophos, modo cum Philosophis contra plebem, modo contra utrosque pugnet. Unum esse Deum credebant *Stoici*: plebs vero existimans, ab uno non omnia posse regi, imperium in plures dividebat. *Stoici* originem humani generis ad Deum referebant: plebs vero Athenienses ab aeterno extitisse putabat, *Epicureis* casui fortuito originem hominum attribuentibus. Stoici se esse optimos, quibus ad virtutis culmen nihil deesset, credebant: Paulus docet, magna conversione et in melius mutatione ipsis opus esse. Iidem Stoici omnia fatali necessitati adstricta esse docebant: Paulus contra actiones hominibus iuste imputari, ita ut praemio vel poena affici possint, quod ea fecissent, quae in ipsorum potestate erant, non facere. καὶ πνοὴν) *Spirandi facultatem*, spiritum vitalem, tanquam certissimum vitae indicium, quum absque ea, quam Graeci vocant ἀναπνοὴν, animalis vita ne momento quidem temporis durare possit. καὶ τὰ πάντα) Sc. ad Spiritum eum, quem infudit, sustentandum, necessaria. Non ergo ex nostro proveniunt, quae offerimus ei. Praeter vitam omnia quoque, quibus fruimur, bona, Deo debentur. Epicurei Deos vitam beatam et tranquillam semper agere, nulla huminum cura habita, existimabant.

26. Ἐποίησε — τῆς γῆς) *Instituit sic, ut ex uno parente nationes omnes ortae per terras habitarent.* Ποιεῖν h. l. esse *instituere et disponere rem*, in promptu est; κατοικεῖν, *ut habitarent.* ἐξ ἑνὸς αἵματος) *Ex uno genere, semine*, ex una omnibusque communi stirpe, nimirum ex uno Adamo. Ioseph. A. II, 6. 3. XX, 10, 1. Athenienses se aborigines esse iactabant. *Aristophanes* Vesp. 1071. ἐσμὲν ἡμεῖς — Ἀττικοὶ μόνοι δικαίως εὐγενεῖς αὐτόχθονες. *Lucianus* Philopseud. 3. Ἀθηναῖοι φασὶ τοὺς πρώτους ἀνθρώπους ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἀναφῦναι, καθάπερ τὰ λάχανα. *Iustin.* II. 16. Plura habet Wetstenius. Paulus contra docet, ab uno parente totum humanum genus ducere originem. Id non sine caussa a Deo ita esse institutum, Rabbini animadverterunt. *Sanhedrin* IV, 5. Homo *unus* creatus est — ob pacem hominum, ne quis se praestantiore patre genitum gloriaretur; adhaec ne quis Epicureus ansam multorum Deorum asserendorum haberet; denique ad indicandam Dei eminentiam. Nam homo quidem uno ab annulo, licet multa, nonnisi consimilia signa exprimit, at ille Rex regum Sanctus B. omnium hominum formas a primi typo expressit, ita tamen ut nemo unus alteri consimilis reperiatur. ὁρίσας προτεταγμένους — αὐτῶν) *Constituens certa temporum et locorum spatia commorationis eorum*, i. e. quamdiu quisque vivat, quando una aetas alteram excipere debeat etc. Προστεταγμένους, pro quo editiones habent προτεταγμένους, omnino vera est lectio; hanc enim exhibent optimi codices, versiones etiam antiquae et Patres nonnulli; hanc etiam linguae usus postulat. Nam προτάσσειν est *ante alios ponere*, sed προστάσσειν est *iubere, decernere, constituere.* Sunt igitur προτεταγμένοι

καιροὶ *tempora constituta, decreta*, et ὁρίζειν προστ. κ. est, *definire, constituere cērta tempora.* Quod homines existunt, et quod vivere desinunt, id est a Deo; nemo tamdiu vivit, quamdiu vivere velit, sed in ea re pendet a Deo. καὶ τὰς ὁροθ. τῆς κατοικ. αὐτ.) *et certos habitationis eorum terminos.* Significantur fines regionum, quas homines incolunt. ὁροθεσία (ab ὅρος et τίθημι), *terminorum descriptio*, tum terminus ipse.

27: Ζητεῖν τὸν κύριον) vel potius θεὸν, quam lectionem multi Codices, versiones et Patres exhibent. *Ut quaerant Deum.* ζητεῖν, subaudi ὥστε, vel positum est pro: εἰς τὸ ζητεῖν. *Quaerere Deum* h. l. est: attendere ad naturam rerum, et inde concludere esse Deum, creatorem et Dominum omnium rerum. εἰ ἄραγε — εὕροιεν) *Si fortasse manu palpent eum et inveniant;* i. e. si fortasse veluti manibus prehensum inveniant eum. Fecit haec omnia, *ut occasionem illis daret se inveniendi velut palpando.* Nam ex operibus creationis facillime existentia creatoris et omnium gubernatoris cognosci potest. ψηλαφᾶν, *manu contrectare, palpare;* in universum: *sensu percipere aliquid, aut investigare quovis modo;* tropice: *cogitando invenire.* Sic h. l., ut ψηλαφήσειαν καὶ εὕροιεν sit i. q. ψηλαφήσαντες εὕροιεν. Ceterum ψηλαφήσειαν est Aor. 1. optat. secundum dialectum Aeolicam, quam etiam saepe Attici sequuntur. Vid. *Matthiae* Gramm. §. 193, 5. καίτοιγε — ὑπάρχοντα) *Quamvis intime nobis praesentem*, nempe vi potentiae suae; neque enim ad subtiles disputationes de praesentia essentiali Dei Athenienses vocat Paulus, sed ad ea, quae rebus sentiebantur. Particula καίτοιγε h. l. non tam concessivam vim habet,

quam ἐπιτατικὴν, ut augeatur inveniendi facilitas. Non necesse est hoc universum pernosci: quilibet ex se uno potest argumentum capere. οὐ μακρὰν, Litotes, i. e. *plane prope intime*. Bene Heinrichsius explicat sic: *vielleicht, dass sie ihn finden, doch was sage ich: vielleicht? er ist ja nicht fern* etc.

28. Ἐν αὐτῷ — ἐσμὲν) Hebraismus. *Per ipsum*, i. e. eius beneficio *vivimus, et movemur et sumus*. Tria synonyma ad exprimendam fortius sententiam: quidquid habemus, per hunc Deum nobis concessum est. κινούμεθα) Arnobius: *Non, quod incedimus, ab eo ad nos venit?* καὶ ἐσμὲν) Idem Arnobius: *Nonne huic omnes debemus hoc ipsum quod esse homines dicimur?* ὡς καί τινες — γένος ἐσμὲν) *Quare et nonnulli poëtae vestri dixerunt: Nos ab eo genus ducimus.* τοῦ ἐσμὲν) Articulus pro Pronom. demonstr., usu poetico. Cf. *Wineri* Gramm. §. 13. Γένος, *progenies, familia*. τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν, pro τινὲς τῶν ποιητῶν ὑμῶν, ut cap. XVIII, 15. Legitur hoc hemistichium in phaenomenis Arati, in *Cleanthis* Hymno Vs. 4. et aliis, e. g. *Pindar.* Nem. Od. 6. ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος. *Lucretius* II, 990. *Denique coelesti sumus omnes semine oriundi; omnibus ille idem pater est.* Quod de Iove dixerant Poëtae, id vero Deo aptat Paulus, quia et sapientiores Graeci nonnulli per Iovem Deum summum intelligebant. Docet igitur, quo sensu pro veris haberi possint illa Poëtarum dicta, eo sensu nempe, quod vitam, et omnia nostra Deo, creatori debemus. Innuere tamen videtur etiam quandam inter Deum et homines similitudinem propter rationis et mentis praestantiam, quam Horatius appellat *divinam particulam aurae*.

29. Χρυσῷ—ὅμοιον) *Formae effictae ex auro, argento, lapide ab arte et cogitatione humana Numen divinum esse simile.* χάραγμα (a χαράσσειν, sculpere, polire, fabricare rem), quod fabricatum, caelatum, exsculptum est ab opificibus et artificibus, nominatim *effigies*, *statua.* χάραγμα τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου, *effigies artis et cogitationis humanae.* Ἐνθύμησις, ingenium artificis, rem cogitans. Argumentatio Apostoli est talis: Si nos sumus proles Dei, Deus parens noster non potest similis esse lapideae statuae. Qualis enim proles, talis etiam parens. Quum igitur nos simus naturae viventes et intelligentes, necesse est illum etiam vivere, cogitare, intelligentem esse. Debet esse multo praestantius quod pro Deo colitur, eo qui colit. Iam quum homo multis nominibus sit praestantior simulacro, et impium sit hominem pro Deo colere, quanto longius abest a pietate, colere signum artificis arbitrio ex materia confectum? Vid. *Erasmi Rot.* paraphrasis in h. l. Seneca ep. 31. *non potest ex auro aut argento imago Dei exprimi similis.* „Praeclara profecto omnia, quae Apostolus eloquitur, quibus hactenus quidem nil obvertere potuisse Athenienses vel sapientissimos crediderim. Quae tamen statim addit, e christianorum philosophia adiiciuntur, atque ea, utpote inaudita Atheniensibus, parumque intellecta, risui habentur et contemtui.“ *Heinrichsius* ad h. l.

30. Τοὺς μὲν — ὁ Θεὸς) *Tempora igitur ignorantiae connivendo dissimulans* (vel ut alii volunt: aegre ferens) *Deus.* Dissimulavit hactenus Deus (quasi non vidisset), non ultus est ignorantiam hominum; i. e. eam permisit, tulit, passus est. *Tempus* pro eo, quod in

tempore fit. *Ignorantia* h. l. est ignoratio veri Dei, rectae sententiae de vero Deo, et peccata exinde orta. Vocem ὑπεριδεῖν interpretantur *dissimulare*, alii *despicere et cum indignatione contemnere*, alii denique *condonare*, *remittere*, ut comparetur cum hebraico חְתַּעְלֵם quod Seniores Deut. XXII, 1. ὑπεριδεῖν reddiderunt. *Ioseph.* A. II, 6, 9. Frequens est hoc verbum apud LXX. de re quae non curatur, et sine ope propitia vel sine animadversione severa relinquitur, Gen. XLII, 21. Lev. XX, 4. XXVI, 44. coll. Vs. 43. Deut. III, 26. Itaque Paulus hoc dicit: Deus transmisit tempora ignorantiae, ut si ipse non animadverteret, nec valde displiceret ei tantus error humani generis. Passus est Deus effluere tempora, quibus ipse ignoratus est a nationibus. Cf. supra c. XIV, 16. ubi idem aliis verbis exprimitur. τὰ νῦν — μετανοεῖν) *Nunc hortatur omnes ubique homines mutare sententiam*, nempe de Diis et cultu divino. Πανταχοῦ, *ubique*, etiam extra Palaestinam, ubi hactenus fuit veri Dei cognitio. Verbum μετανοεῖν h. l. explicandum est ex usu linguae, quo significat *aliter sentire*, *mutare sententiam*. Hactenus, inquit, homines coluerunt idola, et ignorarunt verum Deum; nunc debent mutare sententiam, recedere ab idololatria, et in posterum colere verum Deum, rerum omnium creatorem, simulque detestari flagitia.

31. Διότι ἔστησεν ἡμέραν) *Siquidem diem* (apud se) *constituit*. Homines certos fecit aliquem diem iudicii fore, etsi, quando is futurus esset, etiam amicissimos celaverit. ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν) *quo iudicaturus est*, scil. quatenus meliori luce ad intellectum moresque formandos usi sint homines. Quia clariore iam luce Deus ho-

mines imbuit, statuto tempore rationem quoque reposcet, num eam receperint gentes. *τὴν οἰκουμένην*) i. q. *πάντας ἀνθρώπους πανταχοῦ*, Vs. 30., omnes homines, ad quos ista lux penetravit. *ἐν δικαιοσύνῃ*) *δικαίως*, iuste, *uti par est.* *Ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε*) *per virum, quem ad negotium delegit*, quem designavit. Iudicium committet (*μέλλει κρίνειν*) per eundem virum, per quem omnibus ad clariorem illam lucem viam patefecit. *ᾧ ὥρισε*, Attice pro: *ὃν ὥρισε*. *πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν*) *Argumento eo confirmans, vel probans*, sc. se per Iesum iudicaturum totum humanum genus, *quod interfectum revocavit in vitam.* Nam *πίστιν παρέχειν* significat, *argumentis rem confirmare, probare, fidem facere*, quo sensu haec loquendi ratio saepissime apud optimum quemque Scriptorem occurrit, e. g. Ioseph. A. II, 9, 4. Adducitur igitur Christi resurrectio hic ut argumentum, quod Iesus et omni fide dignissimus, et a Deo Iudex sit constitutus. Nam Deus Iesum resuscitando e mortuis, maximum, quod potuit, doctrinae eius testimonium praebuit. In ea autem doctrina et hoc erat, se fore iudicem humani generis, Matth. XXV, 31. seq. Ioan. V, 25.

32. *Οἱ μὲν ἐχλεύαζον*) *Irridebant;* Epicurei, ut videtur, negantes immortalem vitam post mortem. Cic. Nat. II, 17. *Plutarchus* de oracul. def. *Ἐπικουρείων δὲ χλευασμοὺς καὶ γέλωτας οὔτε φοβητέον.* Apud Minucium Paganus, Christianos deridens, de resurrectione corporum doctrinam inter aniles fabulas refert. *οἱ δὲ εἶπον — τούτου*) Nempe Stoici, qui hominis mortui restitutionem non putabant impossibilem. De Stoica mundi deflagratione vid. *Origenes* c. Cels. Lib. V. p. 244. edit. Spenc. et

quae annotata sunt a Spencero. Iidem Stoici, omnia quae nunc fiunt, iterum futura esse dicebant, reversurum e. c. Socratem Atheniensem, qualis superiore periodo fuerat, rursumque Phaenaretem e Sophronisci coniugio illum progeniturum. Ibid. Ex aliorum tamen sententia verbis: ἀκουσ. σου π. π. τ. non exprimitur plura audiendi desiderium, imo nausea et taedium, quod oratorem finem loquendi facere cupiebant, neque tamen violenter et rustice silentium imponere volebant.

34. Κολληθέντες αὐτῷ) *Quum in propiorem se eius familiaritatem insinuassent*, ut iam aliquoties habuimus. Διονύσιος) Non ille, qui in Gallia martyrium passus est; id enim *Decio* imperante contigit. ὁ Ἀρεοπαγίτης) Quam doctrinam scurrae reiecerunt, recipiebat Areopagita, vir gravis, assessor iudicii illius, quod in Areopago haberi solebat. *A. Gellius* XII, 7. *Dolabella eam rem ad Areopagitas, ut ad iudices graviores reiecit. Seneca* de tranquill. III. *Areopagus, religiosissimum iudicium. Valerius M.* II. 6. *Isocrat. Areopagit.* Δάμαρις) Alias vocatur Δάμαλις, solent autem permutari litterae λ. et ρ. Alii pro diminutivo habent a δάμαρ, *uxor. Varinus:* Δάμαρ, γυνὴ γαμετὴ, λέγεται καὶ Δάμαρις.

CAP. XVIII.

1. Χωρισθεὶς — Κόρινθον) *Paulus relictis Athenis*, vel, quum Athenis discessisset, *venit Corinthum*, tunc florentem civitatem novam, post veteris a *Mummio* excisae instaurationem. Corinthus totius Achaiae, i. e.

Graeciae (vid. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 398.) fuit metropolis, inter duo maria, Aegeum et Ionium, sita, unde *bimaris Corinthus* dicitur, Hor. Carm. I, 7, 2. *Totius Graeciae lumen* vocat *Cicero* pro lege Manil. c. 5. *Achaiae caput, Graeciae decus* appellat Florus II, 16. 1. Opulentia mercaturaque, nec non artium studio erat insignis.

2. Ποντικὸν τῷ γένει) *Ortum parentibus Ponticis;* nam in Ponto multi Iudaei. 1 Petr. I, 1. Aquila non a Paulo, sed Romae iam ad coetum Christianorum adductus fuisse videtur; nam formula προσῆλθεν αὐτοῖς amicum familiaremque magis accessum, quam religionis praedicationem innuit. Exstitit autem iam illo tempore ecclesia Romana. Vid. Prolegg. in Epist. ad Rom. προσφάτως) *Recens, nuper*, Polybio familiaris est, et saepe ut h. l. cum praeterito iungitur. διὰ τὸ διατεταχέναι—Ῥώμης) Meminit *Sueton.* Claud. 25. *Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.* Iosephus non meminit: unde apparet, non diu Romae observatum illud edictum, quod et ex fine huius libri colligere est. Aquila quoque et Priscilla Romam redierunt, vid. Rom. XVI, 3. Christianos pro secta Iudaeorum habitos esse illis temporibus, satis constat. Suetonii verba, modo laud., de dissensionibus inter Iudaeos atque Christianos, et turbis, quibus doctrina Christi occasionem dederit, intelligenda esse, haud pauci Interpp. statuunt. Romanos, nec non Graecos, pro *Christus* et *Christiani, Chrestus* et *Chrestiani* pronuntiasse arbitrantur. Qua de re vid. plura apud *Kuinoelium* ad h. l.

3. Εἰργάζετο) *victum sibi parabat;* nam ἐργάζομαι h. l. est operor mihi, laboro, ut me alam. Σκηνοποιοὶ) *Tentoriorum, tabernaculorum opifices.* Conficiebant tentoria minora portatilia, ex corio, aut ex alia materia, quibus utebantur viatores in terris orientalibus, solis aestui maxime expositis, ob raritatem diversoriorum. Haec voc. σκηνοποιός explicatio, quam et Verss. Vulgat. et Syr. sequuntur, simplicissima est; in qua tamen Interpp. non consentiunt. *Lutherus* vertit: *Teppichmacher.* In eandem fere sententiam *Morus*, alii: *Decken-, Matten-, Matrazzenweber;* qui conficit aulaea, stragulas. *Hugius* (Einl. in d. N. T. Vol. III. P. I. p. 9. intelligit *textorem, panni fabricatorem* (Gezelttuchmacher). Monet Ciliciam, Pauli patriam, refertam fuisse hircis et capris villosis, eorumque villis Cilices usos esse ad conficiendum pannum. Hoc autem panno utebantur et milites et nautae et Nomadae ad stragulas et tentoria conficienda. Tacemus aliorum sententias ob exiguam probabilitatis speciem. *Heinrichsio* Aquila opificium hoc ut dominus artis et magister exercuisse, Paulusque se ei ut socius (Gesell) aggregasse videtur. Hanc artem in Arabia didicisse Paulum, nonnulli opinantur (Gal. I, 17.). Ceterum mos erat etiam doctissimis ludaeorum opificium aliquod discere, unde, ubi res ferret, se sustentarent. R. Iochanan *pellio*: R. Nahum *librarius*; R. Iochanan *sandalarius;* R. Iuda *pistor.* Cf. *Maimonid.* in Tract. Talm. Tora c. 1. §. 9. et *das a. u. n. Morgenl.* P. VI. p. 42.

5. Ὡς δὲ κατῆλθον — Τιμοθέου) Quos Paulus sequi se iusserat, c. XVII, 15. Significaverat autem illis Paulus per eos, qui se Athenas deduxerant, quo porro iter

dirigeret. συνείχετο τῷ πνεύματι) *Plenus divino spiritu agitabatur;* omnes animi vires in id intendebat; *non potuit continere se.* Sed verior lectio, quam multi Codd. cum versione Vulgata et Syriaca habent, est: συνείχετο τῷ λόγῳ. Tum aptissimus verborum συνείχετο τῷ λόγῳ — Ἰησοῦν existit sensus: *instabat Paulus verbo, testificando Iudaeis, Iesum esse Messiam*, i. e. totus occupabatur (*er wurde noch eifriger*) in doctrina tradenda, sanctissime affirmans, gravissime docens (διαμαρτυρόμενος), Iesum esse Christum, i. e. Messiam. Quum vero συνέχεσθαι significet etiam *angi, misere vexari*, ut Luc. VIII, 37. XII, 50., nonnulli, qui vulgari lectioni (πνεύματι) favent, vertunt: *Paulus angebatur animo, dum docebat, Iesum esse Messiam*, ut sensus sit: *angebatur propter doctrinam;* sein Unterricht machte ihm *viel Angst und Sorge* (ut *Morus* explicat). Nempe Iudaei se opposuerunt, Vs. 6., ut adeo Paulus de felici doctrinae suae successu desperaret. Vix probabilis videtur *Michaelis* sententia, qui lectionem τῷ λόγῳ defendit, totum locum autem ita intelligendum esse putat, ut Paulus in disputando inferior, neque tamen victus et refutatus fuerit; er sey beim Disputiren ins Gedränge gekommen.

6. Ἀντιτασσομένων — πρὸς αὐτούς) *Quum illi autem repugnarent, et convitiarentur, excussis vestimentis dixit.* Ἀντιτάσσεσθαι proprie est: *in acie stare contra hostem*, deinde in universum: *se opponere, resistere.* De phrasi *pulverem vestimentorum excutere* vid. notata ad Matth. X, 14. Τὸ αἷμα — ὑμῶν) *Vos ipsi vobis estis auctores exitii.* Sic 2 Sam. I, 16. in Graeco: τὸ αἷμά σου ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου, i. e. *luis*

poenam debitam homicidio; proprie enim de homicidio dicitur, ut et Matth. XXVII, 25., improprie de peccatis aliis. Καθαρὸς, *insons.*

7. Καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν) *Inde digressus.* ἐκεῖθεν alii explicant: *ex priore hospitio*, e domo Aquilae; alii: *e synagoga*, quum, quae Vs. 6. narrantur, in conventu Iudaeorum acta esse in promtu sit. Omnino autem Paulum hospitium mutasse credunt. „Mutavit domicilium, et commigravit in aedes Iusti, proselyti, non quod eum poeniteret hospitii, quo hactenus usus erat, cf. Vs. 18., sed quoniam gentiles domum Iudaei ingredi non solebant, et quoniam Iusti domus synagogae vicina erat, ut eum ii, qui synagogam frequentabant, porro audire possent.“ *Kuinoelius* ad h. l. Quae tamen explicatio parum probabilis est. Neque enim Iudaeis, Paulum audituris, synagogae vicinitas erat necessaria; neque Pagani Aquilae domum abhorrere poterant, quippe qui ipse iam Christi assecla esset; neque expressis verbis de hospitii mutatione sermo est. Quare huius loci sensum hunc esse puto: Paulus, postquam dixerat: ἀπὸ τ. ν. εἰς τὰ ἔθνη πορ., animoque commoto synagoga exierat, statim Iusti domum intrabat, qui, uti credibile est, Apostoli consortium doctrinamque concupiscebat. Neque etiam necesse est, Iustum illum fuisse proselytum, quum phrasis σεβόμενος τὸν Θεὸν saepius hominem gentilem pium significet.

9. Μὴ φοβοῦ — σιωπήσῃς) λαλεῖν, h. l. ut saepe, est *docere.* Valde necessaria Paulo tum fuit haec fiduciae confirmatio. 1 Cor. II, 3. Bene *Kuinoelius:* Paulus, quum a Iudaeis se pertinaciter repudiatum videret,

eorumque insidiae ipsi metuendae essent, de abitu cogitasse videtur, sed ut consilium mutaret, efficit visio nocturna.

10. Ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ) *Sum tibi auxilio.* καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε) *Nemo tibi violentas manus inferet, ut tibi noceat.* Ἐπιτίθεσθαι, sc. χεῖρας, significat *adoriri, hostiliter aliquem aggredi, eique violentas manus inferre, insidias struere.* Immunitas vero a quibusvis hostium insultibus Paulo promissa, de eo tantum tempore intelligenda est, quo is Corinthi commorabatur. διότι — ταύτῃ) *Multos enim in hac urbe novi, qui nomen mihi dabunt.* Eos Dominus populum suum dicit, quos populo suo se adiuncturos esse sciebat.

11. Ἐκάθισε) *Moram fecit, commoratus est*; nam ita sumitur hebraeum יָשַׁב, cui respondet καθίζω, quod et alibi vertitur διατρίβω, μένω. Sed et Latini ita loquuntur. *Cic.* Famil. XVI, 2. ad Tyronem: *Iis ventis isthinc navigatur, qui si essent, nos Corcyrae non sederemus.*

12. Γαλλίωνος — Ἀχαΐας) *Quum proconsul in Achaia esset Gallio.* Fuit frater Senecae. *Statius* Sylv. II, 7. 32. *hoc plus quam Senecam dedisse mundo, aut dulcem generasse Gallionem. Tacitus* A. XVI, 17. *Annaeus Mella — quibus Gallio et Seneca parentibus natus.* Comitatem, incompositam suavitatem et aequitatem Gallionis laudat *Seneca* Praef. ad nat. Quaest. 4. ubi inter alia: *Nemo mortalium*, inquit, *uni tam dulcis, quam hic omnibus.* Achaia

erat provincia proconsularis sub Augusto. Tiberius Macedoniae adiunxit, et Caesarianam fecit. Sed *Claudius* has provincias senatui reddidit, i. e. rursus fecit proconsulares, teste *Suetonio* in vita Claudii 25. et *Dione* LX. ἐπὶ τὸ βῆμα) Ad tribunal proconsulare, ut gravis criminis reum.

13. Παρὰ τὸν νόμον) *Contra legem* sc. nostram, Mosaicam. Ἀναπείθειν vero est primam persuasionem novis rationibus labefactam evellere. Hoc volunt: Iudaeis concessum est a Romanis etiam in Graecia vivere secundum legem Mosis: hic vero neque vobis Romanis in religione se addit, neque legem Mosis sequitur, sed turbat Iudaeos. Haec accusatio inde obtentum sumebat, quod Apostoli, qui Iudaei erant, incircumcisos ad suum coetum admittebant.

14. Εἰ μὲν — πονηρὸν) *Si magnum et capitale crimen admisisset;* ex eorum genere, de quibus iudices cognoscere solent, e g. homicidium, furtum. κατὰ λόγον ἂν ἠνεσχόμην ὑμῶν) *Iure meritoque tolerarem vos, aures vobis praeberem.* Κατὰ λόγον, cum ratione, iure meritoque; haud secus, quam par est; pro officii mei ratione. Ἀνέχεσθαι notat *aures praebere, dicenti patienter auscultare*, e. g. *Aeschines* epist. 7. δεηθείην ἀνέχεσθαι πολὺ μᾶλλον τῶν λοιδορούντων ἡμᾶς, *vos rogatos volo, ut potius maledicos nostros audiatis.*

15. Περὶ λόγου) *De doctrina.* καὶ ὀνομάτων — ὑμᾶς) *et personis et lege vestra.* Quae mei non sunt auditorii, quaeque nugalia nobis Romanis. *De nominibus s. personis*, puta an Iesus dicendus sit Christus etc.

κριτὴς γὰρ ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι) Bene responsum, ut ab homine dulci, quasi dicat: Romani quidem libertatem religionis Iudaeis etiam in Graecia concessere, sed si quae inter ipsos de religione oriuntur controversiae, aut eas componant inter se, aut disputent, quantum libet.

17. Ἐπιλαβόμενοι δὲ πάντες οἱ Ἕλληνες) Deest οἱ Ἕλληνες in quibusdam. Recte. Glossema est citra necessitatem adiectum. Per se enim patet, illos, qui Iudaicae synagogae praefecto verbera ingesserant, non Iudaeos sed Graecos gentilesque fuisse. Prorsus improbanda est alia glossa, in quibusdam iunioribus Codd. adscripta: οἱ Ἰουδαῖοι. Sic statuendum esset, Sosthenem iam tum Christo nomen dedisse, et vox ἀρχισυνάγωγος explicanda: *qui fuerat antea Archisynagogus.* — Corinthii homines, qui tribunali adstabant, quum viderent, Iudaeos ideo a tribunali cum contemtu abigi, quod suae legis quaestiunculis obstrepuissent proconsuli, aliis rebus occupato, ipsi quoque velut proconsuli gratum facturi, verbera ingessere Iudaeis, quo abirent celerius. Σωσθένην) *Sosthenes*, ipse postea ad Christum conversus, 1 Cor. I, 1. aut successerat in locum Crispi Vs. 8.; aut fuit princeps synagogae alterius ab ea, cui praecerat *Crispus*, nam in magnis urbibus plures erant synagogae, et singulis sui archisynagogi; aut eidem synagogae plures praesidebant archisynagogi, e quorum numero fuit Sosthenes (vid. XIII, 15.). Hoc postremum praeferendum videtur. καὶ οὐδὲν — ἔμελεν) *Negligebat, insuper habebat.* Solebant Praesides (verbis utor *Pricaei* ad h. l.) petulantias huiusmodi, quae Romani nominis maiestatem directe non imminuerent, libentes

praetervidere, ut Provincialium collo mollius iugum sederet. Nec deerat quae prae aliarum regionum Praesidibus caussa Gallionem moveret: praeesse nempe Achaiae se, illi verae et merae Graeciae, eoque libertatis simulacra umbrasque usquequaque captanti.

18. Κειράμενος — εὐχήν) *Postquam caput totonderat* (vel tondendum curaverat,) *Cenchreis, votum enim susceperat. Cenchreae* est portus Corinthiorum, ut *Piraeus* Atheniensium. Est autem is portus ad sinum Saronicum. Apparet ibi ecclesiam fuisse Christianorum, Rom. XVI, 1. Tonsionem ad *Aquilam*, non ad Paulum recte referunt plerique Interpretes, ideo inprimis, quod Πρίσκιλλα primum, deinde vero Ἀκύλας, ut scilicet eo commodius hoc de ipso referri posset, appellatur. Ad fidem etiam (bene monente *Heinrichsio*) propius est, notitiam hanc, quae breviter nonnisi et quasi per transennam additur, de hominine ignotiore adiunctam esse, cuius omnino brevior in hoc capite, quia occasio offerebatur, mentio fit, quam de nobilissimo Paulo, totius libri heroe. εἶχε γὰρ εὐχήν) *Voto enim obstrictus erat.* Quicunque voto obstricti erant, comam alere et rebus quibusdam abstinere solebant. Sermo esse videtur de *voto civili*, vel ob liberationem a morbo, vel alio periculo, vel ob bonum quod alicui contigit, concepto. Eiusmodi votum etiam esset, si quis e. c. dixisset: non ante capillum tondebo, quam ad illum locum pervenero (cf. *Wolfium* in Curis ad h. l.); aut: non manducabo, aut bibam, priusquam etc. vid. XXIII, 12. Alii cogitant de voto *Nasireatus*, quo homines se obstringebant per aliquod tempus vino abstinere, comam alere, nec accedere ad cadaver, et quam-

plurimas alias observare cerimonias, a Mose (Num. VI.) praescriptas, antequam victimas solemnes Deo offerrent. Hoc votum Hierosolymis prosolvendum erat (Ioseph. de B. I. II, 15. Num. VI, 18.), ubi sacrificia omnia offerri debebant, quia ibi erat templum. Iam vero iis quoque, qui, quae hic narrantur, ad Paulum referunt, legi non videtur consonum, ut Paulus in Graeca urbe tonderetur. Sed Nasiraei variis pollutionibus obnoxii erant (Num. VI, 9.); tunc autem, ubicunque illa pollutio contigisset, radere comam tenebantur, quod voti complementum non erat, sed contra, quaecunque praecesserant, irrita erant, et ab illa tonsura rursus debebant dies voti numerari. Paulum itaque, voti reum, inceptum votum Cenchreis aliqua legali impuritate abrumpere coactum esse et illico redintegrare (Num. VI, 12.), ut absolutum tandem Hierosolymis solveret. Sed recte alii non esse verisimile existimant, Paulum legi cerimoniali se sponte adeo obstrinxisse, a qua ipse alios diligenter avocare consueverat. Quibus quidem illi obvertunt, fecisse hoc Paulum sine dubio ideo, ut per *συγκατάβασιν* quandam Iudaeorum animos, alioquin alienores, sibi conciliaret, coll. infra c. XXI, 24. (ubi tamen vid. not.) 1 Cor IX, 19. 20. Sed si in *aliorum gratiam* Paulus se voto obstrinxisset (ut XXI, 23. sqq.), rem tanti momenti pluribus tradere vix Lucas omisisset. Omnes autem difficultates dissipantur, si, quod ipse contextus suadet, verba *κειράμενος — εὐχήν* ad Aquilam referamus, ut simplex sensus prodeat hic: „namque voto aliquo se obstrinxerat (Aquila), comamque aluerat, iam autem, persoluto voto, tondebat sibi caput“ *Heinrichsius*. Plures aliorum sententias attulit *Kuinoelius*.

19. Καὶ ἐκείνους κατέλιπεν αὐτοῦ) *Eos* (Aquilam et Priscillam) *ibi* (Ephesi) *reliquit.* Nil indicant haec verba, nisi illud, Paulum non secum in synagogam duxisse Aquil. et Prisc. Nam hi quoque Ephesi commorabantur, coll. Vs. 24—26. αὐτοῦ, scil. τόπου, adverb. *ibi*, *isthic*, *hic.* Genitivum neutrius esse illud αὐτοῦ, et nihil supplendum, contendit *Schäferus* ad *Lamb. Bos.* de ellipsi, p. 855.

21. Δεῖ με—Ἱεροσόλυμα) *Oportet me omnino festum diem, qui instat, agere Hierosolymis.* Τὴν ἑορτὴν ποιεῖν est *transigere festum tempus*, ut χρόνον ποιεῖν, Vs. 23. Εἰς pro ἐν, ut saepe. Sed verba ipsa: δεῖ με πάντως—Ἱεροσόλυμα, uti et vox δὲ, post πάλιν, valde suspecta sunt, quia non leguntur in Codd. et Verss. antiquis haud paucis. Videntur vel invecta ex c. XIX, 21. et XX, 16., vel inserta, quia voti reus Paulus habebatur, quod Hierosolymis persolvendum erat. Igitur brevior lectio esset; εἶπον· πάλιν ἀνακάμψω κ. τ. λ. Qui lectionem vulgarem defendunt, Paulum Hierosolyma profectum credunt vel ob causam modo notatam, vel ad sublevandos egenos, et afferendam stipem collectam, Rom. XV, 25. Cum quo tamen loco conspirat potius locus Act. XXI, 15. coll. XXIV, 17. Ἀνήχθη ἀπὸ τῆς Ἐφέσου, *solvit*, profectus est Epheso.

22. Καὶ κατελθὼν—Ἀντιόχειαν) Quibus verba δεῖ—Ἱεροσόλυμα Vs. 21. genuina videntur, ad verbum ἀναβὰς subaudiunt Ἱεροσόλυμα, ut vertendum sit: *Quum vero venisset Caesaream, et adscendisset* (Hierosolyma), *et salutasset ecclesiam, progressus est Antiochiam.* Per ἐκκλησίαν intelligunt ecclesiam Hieros., et

ἀναβαίνειν frequenter adhiberi observant de itinere versus Hierosolyma. Sed loci, quibus ἀναβαίνειν nude positum est de itinere Hierosol. (e. c. Io. VII, 8. 10. XII, 20.), ita sunt comparati, ut contextus illam significationem flagitet. Verum h. l. ἀναβὰς (recte monente *Kuinoelio*) adeo accurate cohaeret cum verbis quae praecesserunt, ut non nisi contorte de itinere Hierosol. explicari possit. Rectius igitur plerique ἀναβὰς referunt ad Caesaream. Adhibitum autem videtur verbum ἀναβαίνειν, vel quia in editiori urbis loco conventus ecclesiae habiti sunt, vel quod e navi in urbem altius sitam Paulo adscendendum erat. εἰς Ἀντιόχειαν) Syriae ad Orontem. Finis itineris secundi ad Gentiles.

24. Ἀπολλὼς) Nomen contractum ex Ἀπολλώνιος. Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει) *Patria Alexandrinus.* De origine Iudaeorum Alexandrinorum est insignis locus Iosephi Ant. XII, 1, 1. ut et XIX, 5, 2. Abundasse Alexandriam hominibus doctis, Iudaeis et Ethnicis, inter omnes constat. ἀνὴρ λόγιος) *Vir doctus, eruditus, multarum rerum gnarus;* in specie: *facundia dicendique ubertate et vi pollens.* Nam λόγος est *ratio, oratio, dicendi copia.* Sic apud Iosephum Lib. I. de B. I. prooem. §. 5. οἱ Ἑλλήνων λόγιοι sunt Graecorum *Historici, dicendi ubertate copiaque florentes*, quibus mox tribuit τὸ τῶν ἄλλων τῷ λόγῳ πλεονεκτεῖν, *ut alios historicos dicendi copia et vi superent.* Cf. Ant. XVII, 6, 2. δυνατὸς — γραφαῖς) i. e. *exercitatus in scripturis interpretandis. Stark in der Schrift.*

25. Οὗτος ἦν κατηχημένος τ. ὁδ. τ. Κ.) *Institutus erat in doctrina Christi;* nam ἡ ὁδὸς τοῦ Κυρίου he-

braica phrasi est religio, doctrina Christi. καὶ ζέων τῷ πνεύματι) *Et magno animi fervore praeditus.* Indicatur ardor divinus in veritatis propagandae studio, quamvis spiritus sancti manifesta efficacitas ei nondum contigisset in mirabilibus donis. Ἐλάλει — Κυρίου) *Disserebat et docebat diligenter de Domino*, ἐπιστάμενος — Ἰωάννου, *quanquam scientiam habebat baptismatis Ioannis solum*, quae essent scilicet initia doctrinae christianae. Ergo de baptismate, posthaec instituto a Christo, nihil audiverat; sed aliquam notitiam Christi et christanae religionis omnino habebat; nam praecipuum in doctrina Ioannis erat, adesse regnum Messiae. An in Aegypto, an in Iudaea Apollos acceperit baptisma et doctrinam Ioannis, ignoramus. Patet autem ex hoc loco, in multis locis, extra Iudaeam, fuisse discipulos Ioannis.

26. Οὗτος — συναγωγῇ) Liberius quam ante etiam in publicis conventibus loquebatur, vel libere profitebatur doctrinam Christi, pro ea, qua ipse pollebat, facultate.

27. Εἰς τὴν Ἀχαΐαν) Praecipue *Corinthum* c. XIX, 1. προτρεψάμενοι — αὐτόν) *Fratres scripserunt Christianis litteras hortatorias; ut eum exciperent benevole.* Προτρεψάμενοι ἔγραψαν, *cohortantes scripserunt*, i. e. litteras cohortatorias scripserunt. Sed probabilis quoque est eorum sententia, qui verbum προτρεψάμενοι non cum ἔγραψαν coniungendum, sed ad Apollonium referendum esse censent. Sic sensus esset: ipsos quoque Christianos, Ephesi degentes, illum ad hoc iter suscipiendum exhortatos esse, animumque eius datis litteris commendaticiis confirmasse. συνεβάλετο πολὺ τοῖς

πεπιστευκόσι) *Multum adiumenti attulit iis qui fidem recepissent.* Nam συμβάλλεσθαι h. l. notat *conducere, prodesse. Diodor. S.* XVI, 68. καὶ πολλὰ συνεβάλετο πρὸς τὴν σωτηρίαν αὐτοῖς. διὰ τῆς χάριτος) Construunt nonnulli cum συνεβάλετο, non proxime antecedentibus. *Profuit illis donis gratiae et favoris divini sibi tributis;* per eloquentiam suam. Rom. XII, 3. XV, 15. Cf. 1 Cor. I, 12. Alii vero construnt cum τοῖς πεπιστευκόσι, ut sensus sit: *qui religionem susceperant gratia divina.*

28. Εὐτόνως — Ἰησοῦν) *Nam acriter Iudaeos revincebat in publico loco, quum demonstraret, Iesum esse Messiam.* Εὐτόνως, *intente, cum contentione multa.* διακαταλέγχεσθαι, in alternis disputationibus refutare, certando bene refutare, redarguere.

CAP. XIX.

1. Τὸν Ἀπολλῶ) Accusativus antiquus quartae apud Graecos declinationis. Sic Theocritus ἦ Ἄθω ἦ Ῥοδόπην. τὰ ἀνωτερικὰ μέρη) *Regiones superiores*, nempe Asiae minoris. Intellige Galatiam et Phrygiam; nam respicit haec phrasis ad c. XVIII, 23. Littus maris Aegei et urbes regionesque huic vicinae adeoque et Ephesus κάτω, infra iacere a Graecis dicuntur (an der Seeküste); hinc regiones quaelibet ulterius orientem versus excurrentes (mitten im Lande) ἄνω, superius sitae erant; proinde ἀνωτερικὰ μέρη h. l. sunt regiones, quae respectu Ephesi ad orientem iacent. ἐλθεῖν εἰς Ἔφεσον) Metropolin Asiae minoris, et sedem Romani

Proconsulis, a templo Dianae celebrem. In hac urbe erat magna Iudaeorum multitudo, quibus, Romanorum Proconsulum liberalitate, magna privilegia aedium sacrarum, synagogarum, aliorumque commodorum concessa erant. Ioseph. XIV, 10, 13. Percommoda igitur erat haec urbs Paulo, ad propagandam doctrinam Christi. *καὶ εὑρών τινας μαθητὰς*) Discipuli, quos Paulus nactus est, quum Ephesum venisset, non erant proprie Christiani, sed nomen *discipulorum*, quo usus est Lucas h. l., paulo latius est accipiendum de iis, qui Messiam iam tunc crederent in orbe terrarum versari, etiamsi, quis ille esset? aut cuius in persona quaerendus? omnino ignorarent. Nam initiati erant tantummodo baptismate Ioannis (Vs. 3), qui Messiam post se venturum nunciaverat. Quum autem posthaec nonnulli Ioannis Baptistae discipuli ante Christi publicam provinciam et mortem in alias extra Iudaeam oras venissent, non oportet admirari, quod ignoraverint, *Iesum* esse hunc Messiam, etiamsi in Christum praesentem credidissent. Discipulos, de quibus h. l. sermo est, ab Apollone baptizatos fuisse, ut nonnulli suspicantur, parum probabile est. Hic enim (scite monente *Kuinoelio*) ab Aquila et Priscilla meliora edoctus, haud dubie etiam his hominibus diligentius *τὴν τοῦ Θεοῦ ὁδὸν* exposuisset. In tanta, qua versabantur illi ignorantia, ab alio quodam Ioannis discipulo baptizati esse et separatam societatem fecisse videntur. Paulus enim eos non in synagoga reperit, sed congregatos seorsim adiit.

2. *Εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐλάβητε*) *Spiritus sanctus* hic et in sequentibus, ita ut Io. VII, 39. sunt *dona illa miraculosa et extraordinaria, ecclesiae christianae*

reservata, quae Paulus haud dubium, quin pluribus verbis descripserit. πιστεύσαντες) *Quum fidem suscepistis.* Hi duodecim (Vs. 7.) qui Ioannis baptisma acceperant (Vs. 3.), professi sunt, se expectare Messiam, et lubenter omnia praecepta et instituta eius observaturos esse, si apparuerit (haec erat eorum πίστις); sed interea manserant Iudaei, horumque ritus observaverant, nec copiosior doctrina Christi iis exposita fuerat, nunc autem, baptismate in nomen Iesu suscepto, profitentur, *Iesum* esse Messiam illum, in quem Ioannes baptizaverat. Quaerenti autem Paulo ex illis discipulis, an, suscepta fide, Spiritus sancti effectiones experti sint, respondent: ἀλλ' οὐδὲ — ἠκούσαμεν, *ne fando quidem audivimus, an Spiritus sanctus extet.* Messiam in publicum prodiisse, et Spir. sanct., ab illo largiendum, adesse, nondum cognovimus. Itaque ne fando quidem audierant de beneficio illo, quo ornati erant Apostoli et alii Christiani primo Pentecostes die.

3. Εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; *Quale nam baptisma accepistis?* In nomen Domini Iesu eos non fuisse baptizatos, exinde concludebat Paulus, quod dona spiritus non accepissent. Εἰς τί pro ἐν τίνι, ut mox εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα pro ἐν τῷ Ἰωάννου βαπτίσματι, baptismate Iounnis. Baptizaverat autem Ioannes in Messiam venturum; nec poterat largiri Spiritus sancti dona, sicut Apostoli. Cf. Vs. 4.

4. Ἰωάννης — μετανοίας) Non cohaeret particula μὲν cum eo quod sequitur ἀκούσαντες δὲ, ut multi putarunt: sed positum est κατ' ἀποσιώπησιν, ut supra III, 21. Sensus est: *Baptizavit ille quidem in poeniten-*

tiam, i. e. hortatus est eos, quos baptizavit, ut se emendarent, et sic mala imminentia evaderent, *sed non in promissum spiritus sancti;* quae distinctio inter utrumque baptisma innuitur et Matth. III, 11. τῷ λαῷ — Ἰησοῦν) *Praecipiens populo, ut crederet in eum, qui post se suscepturus esset munus docendi*, i. e. *in Messiam Iesum.* Verbis τουτέστιν εἰς τὸν Χρ. Ἰησ. Paulus edocet discipulos, quis ille ἐρχόμενος sit. Proinde non Messiam, inquit, *aliquem*, sed *Iesum* Messiam baptismate vestro profiteamini necesse est.

5. Ἀκούσαντες δὲ) Nempe illi, ad quos Paulus loquebatur; sunt enim haec Lucae verba, non Pauli, ut nonnulli existimant, quod res ipsa et totus sermonis nexus ostendit, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ) *A Paulo* nempe nunc baptizati sunt ad cultum Domini Iesu. Nescierant hactenus baptismate poenitentiae obligatos se fuisse ad fidem in *Iesum Christum*, quia, suscepto baptismate Ioannis, *Messiae venturo* nomen dederant indeterminate, nescientes Iesum Nazarenum esse illum Messiam. Neque enim usquam legimus, *Iesum* a Ioanne primitus pro futuro Messia declaratum esse. Quare, sicuti reliqui Christum profitentes omnes, ita et ii, qui a Ioanne baptizati erant, nec Iesum *ipsum* audiverant eiusque doctrinam susceperant, lavacro sacro immergebantur. In locum baptismatis imperfectioris, quod nondum *Iesum* Messiam esse dixerat, successit verum et perfectius illud, quod et πνεύματος ἁγίου donis fortissimis instructum erat. Aliter se res habebat cum Apostolis. His nimirum iterato baptismate non erat opus, quia statim ab initio edocti erant, *Iesum* esse Messiam.

6. Καὶ ἐπιθέντος—ἐπ' αὐτοὺς) Hoc plerumque ita factum est. Deus ad commendandum munus Apostolicum, baptizatis non nisi precibus Apostolorum communicare voluit. Gravissimo hoc argumento, et in oculos incurrente miraculo convicti sunt de veritate religionis Christianae quotquot haec talia spectabant. ἐλάλουν—προεφήτευον) i. e. Linguis peregrinis de religione locuti sunt, et quidem afflatu divino. Cf. supra c. II. X, 44. sq. Πνεῦμα ἅγιον Ioanni in oratione ea, qua suam tenuitatem cum Christi excellentia comparat (Ie. III. 34.), haud dubie erat accuratior et plenior institutio doctrinae, a Christo demum exspectanda. Sed hoc quidem, et similibus locis, ubi illi, in quos Spiritus sanctus illapsus est, simul προφητεῦσαι dicuntur, πνεῦμα potius est animi concitatio, quae hominem impellit, ut magnam et gravem, omninoque inusitatam orationem fundat. Nam προφητεύειν non semper esse *futura praedicere*, sed saepe etiam *carmina effundere*, *laudes Dei celebrare*, vel *aliam quamcunque gravem, inusitatamque orationem fundere*, satis constat, 1 Sam. V, 6. 10. XIX, 20. sqq. Luc. I, 67. 42. Si haec ad locum nostrum transferantur, omnis illa discipulorum Ephesiorum caussa intelligitur. Quum nempe Paulum audirent, asseverantem, Iesum esse hunc, qui iam Spiritum vere concederet credentibus, non dubitabant in nomen Iesu baptizari, eiusque disciplinae se dedere, ut tanti beneficii compotes redderentur. Qua cum nova initiatione, si quis dicat Paulum uberiorem huius disciplinae declarationem coniunxisse, et beneficii magnitudinem certudinemque oratione amplificasse sua, aut, quae proposuisset, e libris sacris ipsisque Ioannis sermonibus confirmasse, nihil inepti dixerit, aut alieni a

Pauli consilio, ac non potius rei praesenti maxime accommodati. Quicquid tamen sit, effecerunt haec omnia, vehementissimum exoptatissimae rei desiderium, laeta spes eius potiundae, pectoris commoti sensus, adiutus fortassis gravitate Paulinae orationis, certe manuum eius applicatione (cf. ad VI, 6. VIII, 15.), cuius a divinis magistris adhibitae vis maxima putabatur apud Iudaeos, ut furore divino (ἐνθουσιασμῷ) se incensos sentirent, qui, quum semel exarsisset, quasi quodam Numinis instinctu, quae audivissent, proloquebantur, aliisque nitebantur persuadere (προσφήτευον). Illi ipsi vero etiam variis linguis usi esse dicuntur (ἐλάλουν γλώσσαις) in laudibus Dei celebrandis. Id ita intelligendum esse videtur: primum hos Ioannis discipulos cum popularibus suboscure, idque vernacula lingua de Christo loquutos; post, Pauli oratione Christianoque enthusiasmo inflammatos, alienigenis, h. e. Graecis et Romanis Ephesi habitantibus Iesum, Graecorum Romanorumque, extraneis igitur et profanis linguis commendasse. Ita facile perspicitur, cur variis linguis usi dicantur; nam Hebraea, i. e. Aramaea cum Iudaeis, graeca et latina cum ceteris loquentes, ab utroque genere auditorum facillime poterant intelligi. Ita etiam ipsa re significabant, se Christi beneficia omnibus gentibus destinata putare, nec illa solum sacra Iudaeis lingua, sed profanis etiam, cuique commendanda esse; quod antea nefas putabant.

8. Καὶ πείθων — τοῦ θεοῦ) *Fidem faciens doctrinae de regno Dei*, persuadendo asserens pertinentia ad eam doctrinam.

9. Ὡς δὲ — τοῦ πλήθους) *Quum autem nonnulli se obdurarent, et doctrinae christianae denegarent*

fidem, atque etiam convitiis proscinderent religionem coram multitudine. σκληρύνεσθαι dicitur, qui durus est, qui se non sinit moveri, contumax, pertinax. Ἀπειθεῖν, *non admittere doctrinam.* Iidem convitiis petebant τὴν ὁδὸν, scil. τοῦ Κυρίου, religionem Domini. ἀποστὰς — μαθητὰς) Et ipse e synagoga exiit, et eos qui crediderant, abduxit eo, quod in synagoga tuti non erant futuri. ἐν τῇ σχολῇ Τυράννου τινός) Sophistae, sive declamatoris, cui nomen *Tyranno.* Ita Suidas. *Pricaeus* non proprium, sed appellativum nomen putat hominis, ita dicti forsan, quod vi eloquentiae auditores ageret ferretque, ut *Sophista Princeps* apud Suetonium in Libro de Grammaticis. Equidem huius assertionis rationes non perspicio. Eorum autem opinioni, qui hunc *Tyrannum* Iudaeum, eiusque scholam *Beth Midrasch*, i. e. scholam Iudaicam privatam, docendo et disputando destinatam, fuisse putant, obstare videtur id, quod in proxime antecedentibus commemoratur, Paulum nempe propter *Iudaeos* e synagoga exiisse. Segregavit igitur discipulos (Christianos) suos a Synagoga Iudaica; non amplius in Synagogam eos duxit, sed in peculiari loco solos docuit.

10. Πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν Ἀσίαν) Qui Sacrorum caussa Ephesum venire solebant. Erat enim templum illud commune Asiae, unde et nomen Ἀσιαρχῶν. Iudaei quoque ex aliis Asiae urbibus saepe eo veniebant mercatus caussa aut iudiciorum.

11. Δυνάμεις οὐ τὰς τυχούσας) *Virtutes non vulgares*, i. e. miracula eximia. Litotes, ut: haud incerta cano, i. e. explorata et omnino eventura.

12. *Ὥστε — ἐξέρχεσθαι*) *Ita ut ad aegrotantes sudaria et semicinctia ex eius corpore afferrentur, atque ad horum contactum morbis liberarentur, etiam mali spiritus egrederentur.* *χρώς*, exterior pars corporis, species externa, *corpus.* *σουδάρια ἢ σιμικίνθια*) Significantur ambabus his vocibus linteola et fasciolae, quibus et praecingerentur, et detergerent sudorem. In specie autem *σιμικίνθιον semicinctium*, *succinctorium* habet duplicem significatum, nimirum *Orarii*, *eines Schnupftuches*, et succinctorii, quod partes anteriores opificum cingit. *Petronius* 94. ego suspendio vitam finire constituti, et iam *semicinctio* stantem ad parietem spondam vinxeram, cervicesque nodo condebam. *καὶ ἀπαλλάσσεσθαι — ἐξέρχεσθαι*) vel ut alii legunt *ἐπορεύεσθαι*. *Ἀπαλλάσσεσθαι*, *mutare se*, i. e. *discedere.* Hoc non intelligendum est ita, ac si linteola et fasciolae vim depellendi morbos habuissent; sed vi ac potentia Christi sanati sunt aegroti, cui fidebant, qui linteola et fasciolas admovebant corporibus. Cf. ad V, 15. coll. Matth. IX, 20. 21.

13. *Τῶν περιερχομένων Ἰουδαίων ἐξορκιστῶν*) Tales Exorcistas, qui quarundam formularum incantationumque ope daemonia eiecerunt, inter Iudaeos fuisse, illustris Iosephi locus docet, ubi huius rei auctorem ipsum Salomonem edit. Ant. VIII, 2, 5. *περιερχομένους* autem eos vocat Lucas, quod non uno in loco subsisterent, sed huc illuc cursitarent, quaestui aucupando, quales apud Latinos circulatores. Medicamentis autem simul usos esse illos Exorcistas, ex citato Iosephi loco patet. Haud mirum, quum ex vulgaribus istius aevi opinionibus homines a daemonibus vere obsideri crederentur,

mox exstitisse et homines, qui eos quacunque tandem arte expellere se posse profitebantur, ipsique vere persuadebantur; unde non est, quod omnes eiusmodi homines fraudibus decepisse alios dicamus. Cf. supra ad VIII, 9. sqq. XVI, 16. sqq. *ἐπὶ τοὺς ἔχοντας τὰ πνεύματα τὰ πονηρὰ*) *Super aegrotos* Christi nomen invocarunt, quasi de coelo Christum in aegrotantes evocaturi, ut bene explicat *Bornemann* in *Rosenmülleri* bibl. exeg. Repertor. P. II. (Lips. 1824.) p. 236.

14. *Ἦσαν — ποιοῦντες*) Recte *Pricaeus* haec ita intelligenda esse putat, ac si scriptum esset: *ἦσαν δὲ καί τινες* etc. Neque enim praeter hos Scevae filios nullos circumforaneos exorcistas fuisse dicit Lucas, sed in numero praestigiatorum eiusmodi etiam hos septem fuisse.

15. *Ἀποκριθὲν — τίνες ἐστέ*;) Non recte concluditur ex his verbis, malum quendam Spiritum per hominem locutum esse. Paulus enim per biennium Ephesi docuerat et miracula patraverat; homo igitur daemoniacus multa iam audiverat de eo eiusque miraculis. Dicebat: Scio quidem, Paulum esse in hac urbe, et nomine Iesu talia miracula patrare; sed vos non videmini esse tales, qualis est Paulus. Scite *Raphelius* in Annotatt. Polyb. observavit haec: Interrogatio haec est non ignorantis, sed partim increpantis eum, qui sibi arrogat, ad se quod nihil attinet, partim contemnentis eum, qui neque suas, neque hostis vires considerat, sed temeritate quadam actus certare audet cum valentiore, cui eum vincere ludus est.

16. *Καὶ ἐφαλλόμενος — οἴκου ἐκείνου*) *Tum homo, malo daemoni obnoxius, insiliit in eos, atque subi-*

gens, tam male tractavit, ut nudi sauciique profugerent ex aedibus illis. Κατακυριεύειν, *in potestatem redigere.* Ἰσχύειν κατά τινος, *vim exserere contra aliquem*, violenter tractare. Hoc non parum fecit ad confirmandam auctoritatem Pauli, cui, sananti daemoniacos nunquam tale quid accidit.

17. Καὶ ἐπέπεσε — Ἰησοῦ) *Et obstupuerunt omnes ea de re, et celebratum est nomen Iesu.* Φόβος h. l. hebraico more potius est admiratio quam timor. Celebratum est autem nomen Iesu ideo, quia per eum vera fiebant miracula, non talia, qualia erant exorcistarum illorum, de quibus sermo Vs. 13. sqq.

18. Ἤρχοντο ἐξομολογούμενοι) Venerunt ad Apostolos, confitentes, quam male vitam hactenus traduxissent, commemoratis etiam criminibus gravioribus, ut illi, qui ad Ioannem Baptistam venerant, Matth. III, 6. Multi etiam magicas artes, quibus dediti fuerant, detestati sunt, quod patet ex Vs. 19.

19. Ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων) Περίεργα, *curiosa*, h. l. omnino *artes magicas* significant. Sic Dio Cassius excerpt. Vales. de Imperatore Adriano dicit: ὁ Ἀδριανὸς περιεργότατος ἦν καὶ μαντείαις καὶ μαγγανείαις παντοδαπαῖς ἐχρῆτο, *Adrianus admodum curiosus erat, et divinationibus magicisque artibus utebatur. Herodian.* IV, 12. 6. Ephesus ante alias civitates his pravis studiis dedita. Συνενέγκαντες τὰς βίβλους, *congerentes libros*, in unum acervum. Videntur fuisse libri tales, qui formulas magicas, et modum exercendi artes magicas continebant, *Zauberbücher.* Nota

sunt inter veteres Ἐφέσια γράμματα, Ephesiae scripturae, sel schedulae, quae magicis vocabulis inscriptae, deinde ut amuleta (ἀλεξιφάρμακα) corpori alligari solebant, ad averruncandos morbos, daemones, et alia mala tollenda. Magorum, qui erant Ephesi, meminit *Plutarchus* Alexandro. *Menander* in puero apud Suidam: Ἐφέσια τοῖς γαμοῦσιν οὗτος περιπατεῖ λέγων ἀλεξιφάρμακα. *Etymol.* ἐφέσια ἀλεξιφάρμακα ἢ γράμματα, ὀνόματα ἄττα καὶ φωναὶ ἀντιπάθειαν φησικὴν ἔχουσαι. Eustath. ad Hom. Odys. τ. p. 694. Ἐφέσια γράμματα — ἐπῳδαί γάρ τινές φασιν ἐκεῖναι ἦσαν, ἃς καὶ Κροῖσος ἐπὶ τῆς πυρᾶς εἰπὼν ὠφελήθη· καὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ δέ φασι Μιλησίου καὶ Ἐφεσίου παλαιόντων τὸν Μιλήσιον μὴ δύνασθαι παλαίειν, διὰ τὸ τὸν ἕτερον περὶ αστραγάλῳ ἔχειν τὰ Ἐφέσια γράμματα, ὧν γνωσθέντων καὶ λυθέντων αὐτῷ τριακοντάκις τὸ ἑξῆς πεσεῖν τὸν Ἐφέσιον, *quidam dicunt illas litteras incantationes fuisse, quae Croeso, quum in rogo usurparet, maxime profuerint. In Olympiis autem, dicunt, Milesio et Ephesio inter se pugnantibus, Milesium nequaquam potuisse vincere, quia alter in talo habebat Ephesias litteras, quibus cognitis et ablatis, Ephesium ter decies e vestigio cecidisse.* Plura habes ap. Wetsten. et Grotium. Vid. et *Deyling.* l. c. p. 280. *Kysterum* ad Suidam, T. I. p. 919. κατέκαιον) Combusserunt fideles isti libros illos, non vendiderunt, ut pretium ad Apostolos afferrent; ne aliis occasionem peccandi, hisque libris utendi darent. καὶ συνεψήφισαν — πέντε) *Quorum pretio computato*, denariorum *quinquaginta millia reperta sunt.* μυριάδας πέντε est usitata ellipsis vocis δραχμή, in pecuniae summa indicanda. Cf. *Wineri* Gramm. §. 30, 4. Sunt igitur μυριάδες πέντε, sc. δραχ-

μῶν. *Quinquagies mille denarios.* Denario proxime accedit moneta Argentinensis, quae valet 12 Kreutzer, 3 Heller, ut 5 drachmae sint 1 fl. et paullo plus; 50000 drachmae plus 10000 fl., seu plus 6000 imperialium.

20. Οὕτω κατὰ κράτος — ἴσχυεν) *Sic magna vi religio incrementa cepit et invaluit. Hesychius*: κατὰ κράτος, ἰσχυρῶς, τελείως. Magorum fraudibus, seu invalidis artibus detectis, miracula Pauli eo maiorem fidem invenerunt; sicque multi Christo dederunt nomen.

21. Ἔθετο ὁ Παῦλος ἐν τῷ πνεύματι) *In animo posuit*, i. e. consilium cepit. E plurimorum sententia ἐν τῷ πνεύματι positum est pro εἰς τὸ πνεῦμα, *in animum induxit*, quum Praeposs. ἐν et εἰς saepissime inter se permutentur. Sed simpliciter explicari potest: *Propositum cepit Paulus in animo suo.* Quomodo Latini dicunt: *ponere in aliqua re*, quam locutionem a Graecis Romani mutuati sunt. Qua de re plura vid. ap. *Bornemann* l. c. p. 236. sqq.

22. Ἔραστος, cuius mentio fit 2 Tim. IV, 20. Alius Ἔραστος commemoratur Rom. XVI, 23. Αὐτὸς ἐπέσχε χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν) *Substitit ad tempus in Asia.* sc. ἑαυτὸν *inhibuit se*, i. e. *moratus est, remansit.* Herodot. VII, 123. ἐπισχὼν χρόνον. 112. ἐπισχόντες ὀλίγας ἡμέρας. Εἰς τὴν Ἀσίαν, pro: ἐν τῇ Ἀσίᾳ quae mutatio frequens.

23. Τάραχος οὐκ ὀλίγος) *Non levis tumultus.* περὶ τῆς ὁδοῦ) *Occasione Evangelii, de religione christiana*, qua significatione ὁδὸς iam saepius aderat, IX, 2.

XVIII, 26. al. Concitabatur tumultus de nova illa vivendi numenque colendi ratione, quam suadente Paulo, inierant Ephesiorum haud pauci.

24. Ἀργυροκόπος) *Faber argentarius*, proprie: *argentum tundens* (ex ἄργυρος et κόπτω), i. e. fabricans. ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος) *Aediculas argenteas* (kleine Tempelchen) *Dianae*. Templum Dianae Ephesiae septem miraculis mundi est annumeratum. Demetrius autem confecit aediculas argenteas, imaginem illius templi referentes. Sic in monte Albano aedicula *Iunonis* fuisse dicitur. *Dio Cassius* XXXIX. νεὼς Ἥρας βραχὺς ἐπὶ τραπέζης τινος πρὸς ἀνατολῶν ἱδρυμένος. *Petronius* 29. *Praeterea grande armarium in angulo vidi in cuius aedicula erant lares argentei positi.* Diana Ephesia in nummis repraesentatur ornamento capitis alto, multis mammis, pedibus involutis, cum duobus cervis a dextra et sinistra *Minutius Felix* Octav. *Diana — Ephesia mammis multis et uberibus multis exstructa.* Neque tamen cum nonnullis h. l. intelligendi sunt *nummi* argentarii, *templi* figuram repraesentantes, nec ἀργυροκόπος vertendum *monetarius*. Sermo enim est de aediculis, quales plurimi domi habebant, ut et ibi religionem exercere possent, aut praesidii causa in itineribus secum gestabant. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 184. sqq. ἐργασίαν) *Quaestum; nam* ἐργασία non solum *opificium*, *artificium*, sed et *quaestum* significat. Vid. XVI, 16.

25. Οὓς — ἐργάτας) *Quos quum convocasset, caeterosque opifices*, operarios huiusmodi rerum, qui fortassis imagunculas numinis fabricabant, in aediculis

ponendas. Ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας εὐπορία ἡμῖν ἐστι) *Quod ex huius operis quaestu copia nobis contingit facultatum.* Nam εὐπορία h. l. non quaestum, sed *copias*, *opes*, *facultates* indicat. Simillime voces has coniungit *Demosthenes* in Neaer. ὡς αὐτῇ ἡ ἀπὸ τοῦ σώματος ἐργασία οὐχ ἱκανὴν εὐπορίαν παρεῖχεν, ὥστε διοικεῖν τὴν οἰκίαν, *quum illi quaestus corporis non satis magnas ad alendam familiam copias suppeditaret.* Scitis, o socii, Demetrius inquit, hoc quaestu non tantum victum suppetere nobis, sed et vitam nostram abundanter instrui. Procul dubio vel omnis, vel magnam partem hic proventus evanescet, si exitialem doctrinam istam latius evagari patimur. Ergo pro lucro pugnemus fortiter.

26. Πείσας μετέστησεν ἱκανὸν ὄχλον) *Multos homines pervertit, ad alias cogitationes traduxit.* λέγων — γινόμενοι) Multi inter Gentiles simulacra ipsa non habebant pro Diis, sed ea tantum praesentia Numinis referta esse putabant. Plerique tamen credebant ipsa simulacra esse Deos; unde, qui illa fingebant, θεοποιοί et θεοπλάστας, *factores* Deorum et fictores appellabantur, ut constat ex *Pollucis* Onomastico, L. I, 1, 13.

27. Οὐ μόνον — ἐλθεῖν) *Non solum periculum est, ne haec res in contemtum veniat.* Τοῦτο τὸ μέρος verte: *haec res, hoc negotium*, aut si placet, μέρος in versione plane omitti potest. Εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν, *in contemtum venire*, ad nihilum recidere. Ἀπελεγμὸς proprie est confutatio, Sap. IX, 6. deinde *contemtus.* ἀλλὰ καὶ — λογισθῆναι) Non solum periculum est, ne quaestus noster pessumdetur, sed etiam ne Dianae

templum pro nihilo habeatur; *obolitum vero etiam iri deae splendorem (es würde aber auch die Herrlichkeit der Göttin vernichtet werden.* Bornemann, l. c. p. 240.). Quasi dicat: Parum est de nostro quaestu; tota religio hic periclitatur. Verba *μέλλειν τε καὶ κ. τ. λ.* non pendent a verbo *κινδυνεύει*, sed oratio recta in obliquam declinat, ut subaudiendum sit *ἔφη* vel *εἶπε*. Vid. XXIII, 24. *τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς*) Bene Latinus: *Maiestatem.* Posses et Numen vertere. *ἣν ὅλη — σέβεται*) Non falso hoc dicit. Apuleius lib. II. de eadem illa Diana: *Cuius numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multiiugo totus veneratur orbis.* inter paucos Deos, qui a Romanis testatoribus haeredes institui poterant, erat haec *Diana* Ephesia, ut nos docet *Ulpianus* Institutionum tit. XXII.

28. Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων) *Xenophon* Ephes. I. *ὀμνύω τε τὴν πάτριον ἡμῖν θεὸν, τὴν μεγάλην Ἐφεσίων Ἄρτεμιν.* Istiusmodi acclamationes in numinum honorem non infrequentes erant. Pariter apud Aristidem legimus: *μέγας ὁ Ἀσκλήπιος.*

29. Καὶ ἐπλήσθη — συγχύσεως) *Sic urbs tota hoc tumultu repleta est,* per totam urbem ortus est tumultus, a concitatione unius profligati nebulonis. *ὥρμησάν τε ὁμοθυμαδὸν εἰς τὸ θέατρον*) *Concurrerunt coniunctim, confertim in Theatrum.* In institutis Graecarum civitatum fuit hoc, ut de rebus gravioribus, ad rempublicam spectantibus, in theatris ageretur, concionesque ibi haberentur, ut adeo proprie fori loco fuisse videantur. *Tacitus* Hist. II, 80. de Vespasiano dicit: *Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis con-*

sultare mos est, concurrentes et in adulationem effusos alloquitur. Cic. ad fam. VIII, 2. pro Flacco 7. *Cornelius Nep.* Timol. 4, 2. *veniebat in Theatrum, quum ibi concilium plebis haberetur.* Valer. Max. II. 2. Situs ipse locorum huic tumultui augendo ac fovendo non parum conducebat; ut enim perhibent, qui ista loca oculis perlustrarunt, *Sponius* et *Wheelerus*, Dianae templum in conspectu theatri erat situm. Γάϊος) Vid. XX, 4. non confundendus cum eo, qui Rom. XVI, 23. memoratur, qui erat Corinthius. Ἀρίσταρχος) XX, 4. XXVII, 2. Col. IV, 10. Philem. 24. συνεκδήμους) *Varinus:* συνοδοιπόρους. *Comites.*

30. 31. Βουλομένου εἰσελθεῖν εἰς τὸν δῆμον) *Quum ingredi vellet in concionem populi*, scil. causam suam defensurus. Τινὲς δὲ τῶν Ἀσιαρχῶν) *Asiarchae* erant praefecti certaminum, Iudorumque sacrorum, vel summi Sacerdotes. De nomine provinciae, cui praeerant, singuli audiebant: Ciliciarcha, Syriarcha, Phoeniciarcha, Helladarcha, Bithyniarcha, Cappadociarcha etc. *Strabo* XIV. Asiarchas πρωτεύοντας κατὰ τὴν ἐπαρχίαν vocat, qui et hoc nos docet, lectos ex praecipuis Asiae civitatibus, inter quas fuisse et *Tralles*. Potestas eorum erat annua in Asia minori, ut praesiderent in Iudis, et sumtus in eos facerent (ut Romae aediles). D. *de vacat. et excus. muner.* L. 5. 8. *In Asia sacerdotium provinciae suscipere non coguntur numero liberorum V. subnixi. Modestinus* VI, 14. Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππαδοκαρχία, ἔθνους ἱερωσύναι. Plures Asiarchae hic commemorantur. Namque initio cuiusque anni (utor *Kuinoelii* verbis), i. e. sub aequinoctium autumnale, singulae Asiae minoris urbes

concionem habebant, in qua uni ex suis civibus Ἀσιαρχίας honorem deferebant. Tum unaquaeque civitas legatum in certam urbem mittebat Asiae proconsularis primariam (quales erant Ephesus, Smyrna, Sardes, aliae) ad τὸ κοινὸν, ad commune gentis concilium, qui nomen eius, qui domi electus erat, publice renunciaret. Ex his, quos singulae urbes Asiae Asiarchas nominaverant, synedri nonnisi decem Asiarchas designabant, ex quorum numero Proconsul Romanus summum sacrorum praefectum eligebat. Electus κατ' ἐξοχὴν ὁ Ἀσιάρχης dictus, reliqui autem eius assessores fuisse, et ipsi quoque Asiarchae dicti videntur. Asiarchae non semper Ephesi, sed in aliis etiam civitatibus sedem suam habebant, ubi communia Asiae sacra habebantur, veluti Smyrnae, Cyzici etc. Vid. *Spanhemium* de Usu et Praest. Numism. p. 694. Eo autem tempore, quo Paulus Ephesi commorabatur, Asiarcha cum collegis ibi sedem habebat, ab eoque ludi editi sunt; unde tamen non consequitur, ea quae h. l. narrantur, inter ludorum solemnia evenisse. Qua de re in omni narratione nihil occurrit. Ceterum etiam ii, qui Asiarchae munere functi erant, hoc nomen retinebant, sicuti ii, qui apud Iudaeos Pontifices maximi fuerant, ut adeo Lucas, qui tum essent Asiarchae, aut olim fuissent, Asiarcharum nomine insignire potuerit. Μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον) *Ne in theatrum se conferret, s. coniiceret.* Latet in phrasi, quod periculum Paulo in theatro immineat, cui se non debeat imprudens committere.

32. Ἦν — συγκεχυμένη) *Erat enim coetus confusus (es war ein wild zusammengelaufener Hau-*

fen.) Ἐκκλησία, קָהָל, *coetus*, non *concio*, sive a magistratu secundum leges convocata multitudo.

33. Ἐκ δὲ τοῦ ὄχλου — τῶν Ἰουδαίων) *De turba autem protruserunt Alexandrum obiicientibus* seu *promoventibus eum Iudaeis. Morus* vertit: *E multitudine prodire iusserunt Alexandrum, nominantibus eum Iudaeis.* Προβιβάζω, *prodire facio;* προβάλλειν, *nominare, commendare, vorschlagen.* Sed quis iste Alexander fuerit, quove animo aut consilio a Iudaeis promotus ad dicendum, incertum est. Eum eundem fuisse, cuius 2 Tim. IV, 14. mentio fit, nonnulli coniiciunt. Videtur a Iudaeis, qui et ipsi ob contemtum cultus Dianae invisi erant, ut vir dicendi peritus, *designatus esse*, ad caussam eorum tuendam, et culpam aversionis tot hominum a Sacris Dianae in Christianos transferendam. κατασείσας τὴν χεῖρα) *Manum extensam deorsum movens*; qui gestus eorum erat, qui loqui incipientes, tumultuantes ad silentium hortabantur. ἀπολογεῖσθαι) *Caussam dicere*, pro Iudaeis, contra Christianos. Paulus eiusque comites pro Iudaeis habebantur. Quare Alexander id agere voluit, ut caussam Iudaeorum a causa Pauli prorsus diversam esse populo persuaderet.

34. Φωνὴ — κραζόντων) *Clamor ortus est communis ab omnibus, circiter per duas horas vociferantibus.* Dionys. Hal. A. IV, 37. κραυγῆς δὲ καὶ ἀγανακτήσεως ἐξ ἁπάντων ἐπὶ τούτῳ γενομένης. Nolebant audire Iudaeum, quia facile videbant, eum pro Diana non esse dicturum. Sic periculum Christianis depulsum.

35. Καταστείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον) *Quum autem Scriba populum composuisset*, vel *repressisset*. Καταστέλλειν dicuntur, *qui animos tumultuantium concitatos sedant et componunt*. Ioseph. A. I, 1, 2. τοῦ δὲ θορύβου κατασταλέντος. XVI, 3, 1. τῶν μειρακίων κατασταλέντων, *repressa iuvenum audacia*. Γραμματεὺς hic est scriba civitatis, non minister magistratuum maiorum, sed ipse magistratus nobilior. Scribis enim in graecis civitatibus Archivorum cura erat demandata. Praelegebant etiam quae praelegenda essent in Senatu aut concione. Fuit igitur honorificum munus. Vulgo explicant: *Archivarius*, *Canzler*. *Schol.* ad Thucyd. VII, 10. γραμματέα λέγει τὸν εἰωθότα ἐν τῷ κοινῷ τὰ τοῦ δήμου γράμματα ἀναγνώσκειν. τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος) Saepe γὰρ in interrogatione, quae vel indignatione, vel admiratione commoto paullo vehementius animo fit, adhibetur, neque opus est referre ad aliquam enuntiationem, quae supressa (veluti: missa facitote omnia haec, quis *enim* ignorat etc.) intelligi debeat. Sic apud Iosephum de B. I. III, 8. 5. ipse Iosephus, consternatus, et veritus, ne Iudaei in ipsum impetum facerent, eos ab isto consilio avocare conatur, orationemque incipit his verbis: τί γὰρ τοσοῦτον σφῶν αὐτῶν, ἑταῖροι, φονῶμεν; *Quorsum enim, o socii, propriae caedis adeo avidi sumus?* νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης Ἀρτέμιδος) *Cultricem esse magnae Dianae*, peculiari quasi ministerio servire cultui illius, et templum curare. Sunt enim νεωκόροι et ζακόροι aeditimi, quod sacra et aedes sacras curent. Κορεῖν est κοσμεῖν, et καλλύνειν, i. e. ornare, instruere, et addere speciem pulchritudinis. *Suidas*: νεωκόρος, ὁ τὸν νεὼν κοσμῶν καὶ εὐτρεπίζων, ἀλλ' οὐχ

ὁ σαρῶν. Schol. ad *Aristoph.* Nub. 44. κορεῖν γὰρ καλλωπίζειν, ὅθεν καὶ νεωκόρος. Apud Graecos summo sibi honori ducebat haec illave urbs, si splendidissimo hoc titulo numinis alicuius νεωκόρος dicebatur. Sic Ephesus dicebatur νεωκόρος Ἀρτέμιδος, quatenus urbs erat Dianae consecrata, atque haec dea, ut dea tutelaris, ibi praecipuo honore colebatur. καὶ τοῦ Διοπετοῦς) *Simulacri de coelo delapsi.* Διοπετὲς, sc. ἄγαλμα, *simulacrum Dianae a Iove, de coelo delapsum.* Erat id ex vite factum, ut, *Muciano* auctore, tradidit *Plinius* H. N. XVI, 79. *Euripides* Iphig. in Taur. 86. *Herodian.* I, 11, 2. Scilicet si ignorarentur artifices simulacri alicuius, fingebaut sacerdotes, ut vulgi augerent superstitionem, e coelo delapsum esse huiusmodi simulacrum. Alia exempla sunt Palladium, simulacrum Cybelis etc.

36. Ἀναντιῤῥήτων οὖν ὄντων τούτων) *Quum igitur haec extra controversiam*, s. *indubia sint*, sc. hoc simulacrum non χειροποίητον, sed διοπετὲς esse. De imaginibus Demetrii, non de ipso templo, nec de simulacro Dianae lis fuerat. δέον — ὑπάρχειν) *Vos modestos*, s. *sedatos esse oportet;* quia nimirum nihil laedunt hoc simulacrum, qui περὶ τῶν χειροποιήτων loquuntur. καὶ μηδὲν προπετὲς πράττειν) Latinus: *et nihil temere agere.* In Glossario: προπετὴς, *temerarius.* Bene *Heinrichsius* sensum exposuit sic: Cavete, ne temerarium quid committatis, causamque nostram, quae per se citra omne dubium optima est, nec imbecillibus hominum conatibus potest laedi, inconsideratius agendo deteriorem reddatis.

37. Τὴν θεὸν) De deabus quoque occurrit ἡ θεὸς apud Hom. Il. I, 315., de ipsa Diana Xenoph. Anab. III, 2. 7.

38. Ἔχουσι πρός τινα λόγον) *Habent litem* s. controversiam *cum aliquo.* Nam λόγος h. l. *litem, controversiam, caussam, coram iudice agendam* denotat. Demosth. adv. *Lacrit.* ἐμοὶ μὲν οὖν ἐστιν, ὦ ἄνδρες δικασταί, πρὸς τούτους ὁ λόγος, *mihi quidem, o iudices, cum his lis est.* ἀγοραῖοι ἄγονται) Ἀγοραῖοι sc. ἡμέραι. *Conventus aguntur*, vel dies sunt, quibus lege agitur, quos fastos Romani vocant. Haud pauci h. l. scribendum praecipiunt ἀγόραιοι, non, ut vulgo, ἀγοραῖοι. Nam ἀγοραῖος ex illorum sententia dicitur de hominibus, *qui omne fere tempus in foro, inepta curiositate ducti consumunt* (supra XVII, 5.); ἀγόραιος contra *de rebus, quae in foro aguntur,* unde ἀγόραιοι κρίσεις, *iudicia, quae in foro exercentur.* Igitur ἀγόραιοι sc. ἡμέραι esse *dies iudiciis in foro habendis constituti, Gerichtstage.* Sic Ioseph. A. XIV, 10, 21. Sed rectius alii monere videntur, discrimen inter ἀγοραῖος et ἀγόραιος, quod grammatici statuunt, nullum esse. Ἀγοραῖος autem varias admittit significationes. Notat enim *in foro versans, ad forum pertinens*, et quidem vel mercaturae causa, *mercatorem;* vel iudicii causa, *patronum causarum, causam dicentem;* vel desidiae causa, *otiosum*, forum et plateas otiose frequentantem. *Bretschneiderus* in Lex. ad ἀγοραῖοι non ἡμέραι subaudiendum, sed locum nostrum sic explicandum censet: *patroni causarum adducantur*, proconsules, seu iudices adsint, i. e. iudicii legitima forma servetur. Sed huic sententiae obstare videtur

forma verbi ἄγονται indicativa. καὶ ἀνθύπατοί εἰσιν) *Et adsunt Proconsules.* Quasi dicat: si forte crimen eius generis est, ut a nobis de eo cognosci nequeat, ad Proconsulis Romani forum deferri poterit lis. Asiae minoris Proconsul in ipsa urbe Ephes. sedem habuit. Pluralis ἀνθύπατοι est nomen generis, muneris, q. d *Proconsulum est cognoscere.*

39. Εἰ δέ τι περὶ ἑτέρων ἐπιζητεῖτε) *Si vero de aliis rebus vobis quaestio est;* si quidquam desideratis eorum, quae ad civitatis regimen pertinent, sub quo et templi cura comprehendebatur. ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ) In legitimo coetu, convocato a magistratu civitatis, in concione, ἐπιλυθήσεται, *dirimetur.* Istiusmodi conciones constitutis diebus in Graeciae civitatibus celebrabantur.

40. Καὶ γὰρ κινδυνεύομεν — συστροφῆς ταύτης) *Periculum enim est, ne crimen intendatur nobis de hodierna seditione, commota nulla de caussa, qua demonstrata rationem reddere possimus istius turbulenti concursus.* Περὶ τῆς σήμερον, sc. ἡμέρας, *propter id quod hodierno die factum est.* Erant exceptiones quaedam, ut in adventu hostium, incendio, et rebus similibus. Ideo dicit, nullam concursus huius caussam posse reddi.

CAP. XX.

1. Καὶ ἀσπασάμενος) Ἀσπάσασθαι significationem habet complexus in compellando et salutando, cui mori etiam osculum alicubi adiunctum fuit. Non solum sa-

lutabant osculo advenientes, verum etiam discessuri. *Xenophon* Histor. Graec. IV, init. ἐπεὶ δὲ Κότυς ἔμελλεν ἀπιέναι, ἦλθε πρὸς τὸν Ἀγεσίλαον ἀσπασόμενος.

2. Εἰς τὴν Ἑλλάδα) Graecia h. l. intelligenda est veteri et proprio sensu, de regionibus inter Thessaliam et Peloponnesum interiectis, vel de tota Achaia provincia, quo sensu *Graecia* est apud *Sueton.* in Claud. cap. 16. Ptolem. τῆς Ἀχαΐας — ἣν Ἑλλάδα καλοῦσι.

3. Ποιήσας τε μῆνας τρεῖς) *Posteaquam vero tres menses exegisset.* Nominativus hic absolute ponitur pro ποιήσαντος, genitivo consequentiae. Sic Marc. IX, 20. et *Eurip.* in Phoeniss. v. 290. μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος, *quum me vero missurus esset Oedipi filius inclytus.* ἐγένετο γνώμη) *Consilium initum,* i. e. decretum est. Anacoluthon est in hoc comm. qualia non sunt infrequentia. Vid. *Wineri* Gramm. §. 51, 2.

4. Σώπατρος Βεροιαῖος) Idem nomen est Σώπατρος et Σωσίπατρος. In multis Codd. ut et Verss. nonnullis post Σώπατρος additur Πύρρου, i. e. *filius Pyrrhi. Pyrrhus* nomen est frequens in Thessalia et vicinis regionibus. καὶ Γάϊος Δερβαῖος) Qui origine Derbaeus, natus in Macedonia. καὶ Τιμόθεος) Hic accensetur Thessalonicensibus, quia maiores eius ex Iudaeis erant, qui Thessalonicae quondam vixerant. Ἀσιανοί) Ex Asia proconsulari oriundi, ad quam non pertinebat Derbe, Lycaoniae oppidum. *Tychicus* Ephes VI, 21. dicitur ἀγαπητὸς ἀδελφὸς καὶ πιστὸς διάκονος ἐν Κυρίῳ. Cf. et Col. IV, 7. 2 Tim. IV, 12. Tit. III, 12. *Trophimus* infra XXI, 29. dicitur Ἐφέσιος, memoratur et 2 Tim. IV, 20. Omni

hac comitum enumeratione, ex *Heinrichsii* sententia, illud sibi voluisse videtur Lucas: „his ergo itineris sociis iam et ipse ego accessi. *Diese fand ich in dem Gefolge, als ich mich wieder an P. anschloss.*“

5. Ἔμενον ἡμᾶς Τρωάδι) *Exspectarunt nos Troadè.* Hic obiter significat *Lucas*, quod non exprimit, se Paulo comitem fuisse huius itineris et sequentium, Romam usque. Substiterat forsan Philippis, vid. c. XVI. Ibi et in vicinia arti medicae vacasse, suspicatur *Heinrichsius.* ἡμᾶς) *Nos*, scil. me et Paulum, uti nonnulli explicant, quibus Paulus Philippis aliquantisper substitisse videtur. Alii ἡμᾶς de solo Luca intelligunt, qui more scriptorum pluraliter de se loquutus sit; vel de Luca et aliis, qui inde a Philippis Pauli consortio se iunxerunt. ἐν Τρωάδι) Τρωὰς et regionis nomen et urbis cuius modo meminit, quae et Antigonia et Alexandria dicta fuit, in Asia minore, XVI, 8.

6. Ἄχρις ἡμερῶν πέντε) *Die quinto*, s. post dies quinque, ut intelligatur, illo in itinere eos fuisse diebus quinque. ἄχρις, *intra:* neque enim terminum solum, sed et *intervallum* temporis denotat. Rom. VIII, 22.

7. Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων) *Primo hebdomadis die*, (cf. Matth. XXVIII, 1.) qui dies conventus Christianis proprius, 1 Cor. XVI, 2. dies κυριακὴ, Apoc. I, 10. συνηγμένων τῶν μαθητῶν) *Quum congregati essent discipuli.* Ut iam tum solebant *die dominico*, praecipue in memoriam resurrectionis Christi. *Ignatius* epist. ad Magnes. diem dominicam vocat, τὴν κυριακὴν, τὴν ἀναστάσιμον etc. Itaque credibile est, *fractione*

panis hic denotari convivium discipulorum cum eucharistia coniunctum, praesertim quum esset tam solennis valedictio. *Eucharistiam* etiam *Syrus* intelligit. Ex hoc loco tamen non potest concludi, primos Christianos solo die solis habuisse conventus, et administrasse sacram coenam; constat enim eos hoc fecisse quotidie. Pro *συνηγμένων τῶν μαθητῶν* in multis Codd. legitur *συνηγμ. ἡμῶν*, et Vs. 8. *ἦμεν συνηγμένοι* (pro *ἦσαν συνηγμ.*) Sed vulgaris lectio genuina esse videtur, quoniam Vs. 7. sequitur: *διελέγετο αὐτοῖς. παρέτεινέ τε τὸν λόγον*) *Extendit, s. produxit sermonem.* Plutarch. in *Catone min.* Contenta et aspera voce *ἀπέτεινε ποῤῥωτάτω τὸν λόγον*, *in longum produxit sermonem.*

8. Λαμπάδες ἱκαναὶ) Non tantum propter tenebras nocturnas, sed etiam propter diei solennitatem. Iudaei enim pariter atque gentiles conventus sacros, seu dies festos luminibus decorare solebant. Haec *Kuinoelius.*

9. Εὔτυχος) Videtur hic iuvenis fuisse e famulitio cuiuspiam. In corpore Inscriptionum vett. et apud Artemidorum inter servilia nomina occurrit etiam Εὔτυχος, ut *Pricaeus* ad h. l. observat. Θυρὶς, est diminutivum vocabuli *θύρα*, et significat *fenestram*, vel quamvis minorem aperturam in muro. *καταφερόμενος ὕπνῳ βαθεῖ*) *Alto sopitus somno.* Καταφέρεσθαι in se notat, *deiici, prosterni*, idque de hominibus somno profundiori obrutis vel nude adhibetur, vel additur *εἰς ὕπνον. Plutarchus* discr. adul. et am. *εἰ τοσαῦτα κοπιῶν καὶ ἀγρυπνῶν κατηνέχθης — somno obrutus es.* Idem consol. ad Apoll. *Diogenes Cynicus κατενεχθεὶς εἰς ὕπνον*, *ad somnum prostratus.* Διαλεγο-

μένου — πλεῖον) *Quum Paulus dissereret diutius.* Κατενεχθεὶς ἀπὸ τοῦ ὕπνου, *delatus a somno*, vi somni, ἀπὸ τοῦ τριστέγου) *De superiore tertia contignatione. Iuvenal.* III, 199. *Tabulata tibi iam tertia fumant.* Schol. Superiora tecta et tristega. καὶ ἤρθη νεκρὸς) *quasi mortuus sublatus est.* Sic enim vertendum esse videtur ob comma 10.

10. Καταβὰς — θορυβεῖσθε) *Paulus autem, quum descendisset, prolapsus in eum et complexus, dixit: ne perturbemini.* Amplexus est eum, huc illuc eum movens, ut experiretur, an fortasse signa vitae in eo superessent Dum autem palpat et movet corpus, sentit spirare adhuc hominem. Ἡ γὰρ — ἐστὶν) *Vita in eo adhuc est.* Ergo iuvenis non vere mortuus, sed pro mortuo habitus erat.

11. Κλάσας — γευσάμενος) i. e. *Quum cibum sumsisset*, iter facturus. Sermo est de cibo matutino. ἐφ' ἱκανὸν ὁμιλήσας) *Satis diu locutus.* Ἐφ' ἱκανὸν, sc. χρόνον. Ὁμιλεῖν intelligendum est de familiariore sermone, post sermonem graviorem, de quo sermo Vs. 9. Αὐγή, sc ἡλίου vel ἡμέρας h. l. est *diluculum matutinum.* οὕτως ἐξῆλθεν) *Sic profectus est* οὕτως saepius apud optimos quosque scriptores post participia infertur. Qua de re vid. *Bornemann.* l. c. p. 245. sqq.

13. Ἡμεῖς — εἰς τὴν Ἄσσον) *Nos autem antegressi, Assum navigavimus.* De se et aliis Pauli comitibus loquitur hic Lucas. Paulus pedestri itinere profectus est Assum. Fuit autem *Assus* urbs Troadis ad montem Idam. *Pausan.* Eliac. II, 4. *Plin.* H. N. XXXVI,

27. οὕτω γὰρ ἦν διατεταγμένος) *Sic enim constituerat*, vel ordinaverat. Significatio media. πεζεύειν) *Pedestre iter facere* maluit; quamvis Assus oppidum erat difficili et periculoso aditu, ut notat *Eustathius* in Iliad. ζ.

14. Ὡς δὲ συνέβαλεν ἡμῖν εἰς τὴν Ἄσσον) *Quum autem congressus esset* (Paulus) *nobiscum ad Assum*, sive *Assi*. Latinus interpres: *Quum autem convenissemus in Assum*. Συμβάλλειν τινὶ est, *pervenire ad aliquem*, occurrere alicui. *Homer.* Odyss. ω. Vs. 259. οὗτος ἀνὴρ νῦν δὴ ξυμβλημένος ἐνθάδ' ἰόντι, *hic vir, qui nunc primum obviam factus est huc venienti*. εἰς Μιτυλήνην) Lesbi insulae urbs praecipua (*et natura et descriptione aedificiorum et pulchritudine inprimis nobilis*, Cic. orat. c. Rull. c. 14.); unde *Pittacus*, *Alcaeus*, *Sappho*.

15. Κατηντήσαμεν ἀντικρὺ Χίου) *Devenimus contra Chium*, i. e. in locum, qui est e regione Chii insulae. ἀντικρύ, *contra*, *ex adverso*, *e regione*. Alii vertunt: *directe*; recta via Chium devenimus. Sed (monente *Heinrichsio*) praeternavigasse videntur insulam Chium; nam ad Samum insulam, inter quam et Lesbum Chios media interiacet, appellunt. παρεβάλομεν εἰς Σάμον) *Appulimus ad Samum*. *Herodot.* VII, 179. Thucyd. III, 32. etc. καὶ μείναντες — εἰς Μίλητον) *Quum in Trogyllio mansissemus, sequenti die venimus Miletum*; vel ut alii malunt: *Quamvis Trogyllii diversati essemus, postridie tamen quam a Samo solveramus, Miletum appulimus*. Trogyllium, Ioniae urbs et promontorium, non longe a Samo. *Miletus*, urbs Ioniae, unde *Thales*, *Anaximander* et *Hecataeus*. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II, p. 187.

16. Pro ἔκρινε cum praestantissimis Codd. legendum videtur κεκρίκει. Saepius Plusquamperfecti augmentum in N. T. omissum est. γένηται) scil. *occasio*. Praeternavigare voluit Ephesum, ne diutius morari cogeretur in Asia. Indubie id accidisset, quia incolae urbis, in qua tam diu degerat, vix eum statim dimisisse existimandi sunt. πεντηκοστῆς) Per septem ergo hebdomadum intervallum absolvere voluit cursum Philippis (Vs. 6.) Hierosolyma.

17. Τοὺς πρεσβυτέρους τ. ἐκ. Vocantur iidem et Episcopi, Vs. 28. nempe quia inspectores erant gregis. Notant Graeci, quod consuetudine N. T. iidem vocentur Episcopi et Presbyteri, quum contra Romanae ecclesiae doctores, et Episcopales Angliae discrimen inter Episcopos et Presbyteros iam Apostolico aevo locum habuisse statuant.

18. Πῶς — ἐγενόμην) *Quomodo me erga vos gesserim;* quanta fide munus Apostolicum apud vos obierim. Ex his verbis, coll. Vs. 25. ὑμεῖς πάντες ἐν οἷς διῆλθον, probabiliter concluditur, alios quoque Asiae s. Ioniae presbyteros adfuisse. Vid. *Kuinoel.* ad h. l. Confer cum hoc et tribus proxime sequentibus versiculis 1 Thess. II, 1 — 12.

19. Δουλεύων — Ἰουδαίων) *Colens Dominum cum summa humilitate, et multis lacrymis et calamitatibus, quae mihi evenerant per insidias a Iudaeis* structas. Verbum δουλεύων h. l. haud dubie de functione muneris Apostolici intelligendum est. Ταπεινοφροσύνη, *animi demissio, modestia*, h. l. videtur esse promtitudo

molestias suscipiendi; nam addit Paulus se functum esse munere suo μετὰ δακρύων πολλῶν, καὶ πειρασμῶν, *multis lacrymis*, propter pertinaciam et malitiam Iudaeorum fusis, *et inter persecutiones*. Bene *Bretschneiderus* in Lex. explicat: in omnibus obsequutus Deo, me ei libenter subiiciens, mala ab ipso mihi immissa perferens; quum ταπεινός ratione animi, et quidem ratione Dei et obedientiae huic debitae, sit: *Deum reverens, Deo se modeste subiiciens, pius in Deum.* Πειρασμοί, *persecutiones, calamitates*, quibus vires hominis, virtus et constantia tentantur.

20. Ὡς οὐδὲν ὑπεστειλάμην — ὑμᾶς) *ut nihil celaverim vel dissimulaverim* (ὡς, *wie*, respicit ad ὑμεῖς ἐπίστασθε), eorum nempe, quae ad salutem vestram conducere arbitrabar, *quo minus exponerem vobis doceremque*. Nam ὑποστέλλεσθαι hic est *dissimulare, celare*, ut apud Ioseph. de B. I. I, 20. 1. μηδὲν τῆς ἀληθείας ὑποστειλάμενος, ἀντικρὺς εἶπεν, *nihil de veritate subducenda, libere dicebat*. Et 26. 2. μηδὲν ὑποστελλόμενος. τοῦ μὴ) *ita ut non*, ita ut me avocari sinerem.

21. Διαμαρτυρόμενος — Χριστὸν) *Docens Iudaeos et Graecos, quomodo* convertendo se *ad Deum mores mentemque emendare, et religionem Christianam amplecti deberent.* μετάνοια non ad solos gentiles referendum. *Heinrichsius* recte interpretatur: Gentibus commendavit conversionem ab idolorum vanitate ad verum Deum; Iudaeis autem conversionem a Pharisaeismo ad Iesu veri Messiae doctrinam. Διαμαρτύρεσθαι, *docere*. Πίστις ἡ εἰς τ. κ. ἡ. l. X. *religio Christiana.*

22. Ἐγὼ — Ἱερουσαλήμ) *Ego vehementem animi impetum sentiens, Hierosolyma profiscor; ich fühle mich gedrungen (fühle einen unwiderstehlichen Trieb), nach Ierusalem zu reisen.* Πνεῦμα h. l. est *animus.* Δέειν interdum eleganter ponitur pro *cogere, impellere, constringere*, ut apud *Pind.* Pyth. γ. v. 96. ἀλλὰ κέρδει καὶ σοφία δέδεται, *at lucro etiam sapientia impelli solet.* Vid. *Kypkius* ad h. l. Sic et *Camerarius*, *Beza* et *Pricaeus*, qui conferri iubet Matth. IV, 1. Luc. II, 27. *Grotius* πνεύματι δεσμεύεσθαι exponit, *spiritu vincula praesentire.* Sed hanc explicationem contextus non admittere videtur. Paulus magno desiderio flagrabat Hierosolyma proficiscendi (Vs. 16.), haud dubie eam ob caussam, quia sperabat, se in diebus festis, ob multitudinem hominum ibi confluentium, multo cum fructu traditurum esse Evangelium.

23. Πλὴν — μένουσιν) *Nisi quod spiritus sanctus in omnibus urbibus monet, vincula et calamitates manere me.* Sunt qui τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, intelligant de *hominibus spiritu divino afflatis*, qui futura praesentiendi facultate se praeditos esse profitebantur, coll. XXI, 10. 11. Sane hoc sensu ista phrasis aderat supra V, 3. XIII, 2. Malim tamen h. l. cum *Heinrichsio* ita interpretari: Ex iis quae in omnibus per Asiam Europamque dispersis urbibus, ubi evangelium promulgaverat, erat expertus, rectissime concludit Paulus, multo graviora se in Hierosolymorum urbe, Iudaismi sede et arce experturum. Iam autem ad quae cogitatione et mente delabitur ipse, ea, quia ad rem christianam spectabant, a Spir. S., rei christ. summo praeside et tutore, sibi suggesta exprimit. Μένειν, ut Latinorum *ma-*

nere est *exspectare.* Noverat igitur Paulus vincula sibi esse parata Hierosolymis, quum tamen Vs. 22. dixisset se nescire, quae sibi essent eventura. Sed utrumque dicere poterat Paulus. Quanquam enim monitus erat de calamitatibus sibi imminentibus, tamen non norat, *per quem, quomodo* illae essent eventurae, et quem habiturae essent exitum. Putavit autem sui muneris esse, propter Evangelium quaevis, etiam vitae pericula adire, ut in sequentibus verbis declaravit.

24. Ἀλλ' οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι) *Sed nullius rei* (adversae) *rationem habeo.* Nam λόγον ποιεῖσθαι est, *rationem habere, curare, aestimare.* Demosth. Or. 2. in Philipp. ἀλλὰ καὶ τοῦ δικαίου λόγον ποιούμενοι. οὐδὲ ἔχω — μετὰ χαρᾶς) *Neque vita mea mihi ipsi cara est, ita ut laeto animo cursum meum absolvam.* ὡς pro ὥστε. ἐμαυτῷ) Quasi dicat: neque enim mihi ipsi, sed Iesu Christo sacra est anima, Gal. II, 20. Phil. 1, 21. Δρόμος metaphorice est *munus, quod alicui obeundum et perficiendum demandatur.* Quare explicationis caussa additur: καὶ τὴν διακονίαν etc. Διαμαρτύρεσθαι — τοῦ Θεοῦ, *docendi* Evangelium de benignitate divina, s. quod debemus benignitati divinae.

25. Ὑμεῖς πάντες — τοῦ Θεοῦ) *Vos omnes, inter quos itineribus faciendis versatus sum, doctrinae de regno Dei tradendae caussa.* Non de Ephesinis tantum, sed etiam de aliis presbyteris loquitur, qui praesentes aderant. Cf. ad Vs. 18. Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ est *doctrina de regno Dei*, quae Vs. 24. dicitur τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ et Vs. 27. ἡ βουλὴ τοῦ Θεοῦ. Negotium facessit hic locus iis interpretibus, qui Pau-

lum e prima captivitate Romana liberatum esse et vere in Asiam rediisse contendunt. Sed verissime observat *Heinrichsius*: „Fac, eum rediisse, etiamsi de fatis Pauli post Romana vincula omnia vaga et ambigua sunt, nil inde sequitur, quam illud, vanum hic et inanem timorem ab Apostolo exprimi.“ Neque enim Paulus, de morte sua verba faciens, prophetam egit. Verbum autem οἶδα non semper significat absolutam rei certitudinem, sed etiam opinionem animique persuasionem. Vid. Matth. XXII, 16. Act. III, 17. XXVI, 27.

26. Ὅτι — πάντων) *Me insontem esse a pernicie omnium.* Si qui forte in posterum praecepta mea negligendo falsisque doctoribus obediendo in exitium incurrent, nolite mihi illud crimini vertere. Τὸ αἷμα per metaphoram *quamvis miseriam et perniciem* significat, ut Ezech. III, 18. aliisque locis. Cf. supra XVIII, 6. Καθαρὸς, *innocens, expers culpae.* Est formula profitendi innocentiam suam, Matth. XXVII, 24.

27. Οὐ γάρ — βουλὴν τοῦ Θεοῦ) *Non enim destiti vobis tradere omnem doctrinam de benigna Dei voluntate.* Οὐκ ὑπεστειλάμην, *non destiti* aut *tergiversatus sum*, aut impediri me passus sum, quo sensu occurrit apud Ioseph. Ant. II. 5, 5. VI. 5, 5. Vid. not. ad Vs. 20. Ἡ βουλὴ τοῦ Θεοῦ *benigna voluntas*, consilium Dei de salute hominum, doctrina christiana. Cf. Vs. 24. 25.

28. Προσέχετε — αἵματος) *Prospicite igitur vobis, atque toti gregi, cui Deus vos constituit curatores ut doceatis coetum Dei* (Domini), *quem morte sua*

sibi acquisivit. Προσέχετε ἑαυτοῖς, *prospicite vobis.* Prospicite saluti vestrae ita, ut de veritatis via nunquam deflectatis, et doctrinae puritatem cum vitae sanctitate coniungatis, ne falsa doctrina, vita et moribus alios offendatis. Τὸ ποίμνιον esse *coetum christianum*, facile patet. Non potest salutem curare aliorum, qui sui ipsius curam non gerit. Ποιμαίνειν, metaphorice est *custodire*, *instituere*, *et regere*. Ἐπίσκοποι h. l. sunt praefecti coetui christiano, qui Vs. 17. πρεσβύτεροι nominantur. Munus eorum erat docere coetum; aut alia negotia ad externa commoda societatis pertinentia administrare. Dicuntur h. l. constituti esse a Spiritu sancto, quia constituti erant ab Apostolis, Spiritu sancto plenis, quanquam approbante plebe. Sensu eodem *Kuinoelius*: non sine nutu ac voluntate Dei, divina providentia dirigente ac moderante constituti estis ecclesiae curatores. Pro ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ alii legunt vel ἐκκλησίαν τοῦ κυρίου, vel τοῦ Θεοῦ καὶ κυρίου. Vera lectio videtur esse τοῦ κυρίου. Hanc enim lectionem exhibent codices omnium antiquissimi, praestantissimi, e diversis recensionibus oriundi; versio latina antiquior apud *Sabatierum*, cum aliis versionibus non paucis; tum etiam Patres graeci et latini plures, qui hunc locum laudant. In controversia etiam Nestoriana multi monuerunt, nuspiam in Sacra Scriptura legi αἷμα τοῦ Θεοῦ. Lectio Θεοῦ nititur potissimum testimonio latinae vulgatae. Auctor versionis Syriacae antiquae legit τοῦ χριστοῦ. Codices, in quibus reperitur lectio θεοῦ καὶ κυρίου sunt recentes, et exigui admodum pretii. Videtur lectio utraque successu temporis conflata esse in unam, et ne quidem pro lectione variante haberi potest. Vid. omnino *Griesbachius* ad h. l., *Kuinoelius*

ad h. l. et *Heinrichsii* Excurs. 9. περιεποιήσατο — αἵματος) *Quam acquisivit sanguine suo*, i. e. morte cruenta. Nam per mortem cruentam Christus illam potestatem colligendae sibi ecclesiae adeptus est; et ecclesia ei subest. „Quo acrius presbyteros illos Apostolus excitet, ut ecclesiae saluti prospiciant, in memoriam iis revocat, Christum morte sua ecclesiam sibi acquisivisse adeoque declarat, graviter eos in Deum, qui ipsis curam ecclesiae commiserit, et Christum peccaturos esse, si eius mancipium negligant.“ *Kuinoelius.*

29. Μετὰ τὴν ἄφιξίν μου) *Post discessum meum.* ἄφιξις plerumque est *adventus*; sed rariore *discessus* significatione etiam apud classicos occurrit Dionysius Hal. Ant. L. V. *Ut multi his beneficiis devincti, μηκέτι τῆς οἴκαδε ἀφίξεως πόθον ἔχειν, domum abeundi desiderio non amplius tenerentur.* Herodotus IX, 76. μετὰ δὲ τὴν ἄφιξιν τῆς γυναικὸς. λύκοι βαρεῖς) *Lupi saevi atque infesti*, i. e. lupis saevis similes. Sic Doctores perversi hic vocantur. Apud Polybium L. I. c. 10. veriti dicuntur Romani, ne Poeni, occupata Sicilia λίαν βαρεῖς καὶ φοβεροὶ γείτονες, *valde molesti et formidabiles vicini ipsis fierent.* μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου) Μείωσις, i. e. *perniciosissimi gregi.* Quales isti fuerint, docet nos Ioannes in epistola prima. Conf. etiam 1 Tim. IV, 1 — 3.

30. Ἐξ ὑμῶν) *Ex vobis ipsis*, e vestra ecclesia, vestrae urbis incolis. λαλοῦντες διεστραμμένα) *Docentes perversa*, *falsa*, i. e. *errores*, qui, ut eo facilius animis se insinuent, veritatibus immiscentur, et *intorquentur.* Proprie διεστραμμένον est aliquid *incurvatum*,

στρεβλὸν, σκολιὸν; veritatem enim Graeci ut *viam rectam*, errores ut *curvum* aliquid sibi fingunt. τοῦ ἀποσπᾶν) Subauditur ἕνεκα. Ideo docent carni placentia, ut discipulos ab ecclesia abductos sibi faciant sectatores. Ἀποσπᾶν, *abstrahere*, *persuasionibus avellere*. Quae a Christo de venturis aliquando ψευδοπροφήταις, h. e. doctoribus afflatum divinum mentientibus praedicta aliquoties erant (Matth. VII, 15. XXIV, 11. 24. Marc. XIII. 22. 23.), ea Apostoli subinde in orationibus scriptisque suis repetierunt. Nam et meminerunt illius vocis Christi (Marc. XIII, 23.): *Prospicite! en, praedixi vobis omnia*; et perversitas eorum, qui in ipsis rerum christianarum primordiis falsa et impia docebant, admonere de praedictorum eventu videbatur. Iam quum iis in partibus Asiae, ubi Paulus docebat, prodiissent, qui errores exitiabiles vel palam, vel secreto propagarent, multam is operam in eo consumsit, ut disciplinae suae addictos contra istorum insidias et fraudes muniret; idque et coram fecit, et absens per epistolas. Verum in his praesentibus malis vidit quandam quasi prolusionem futurorum longe atrociorum; etsi de temporis articulo, quando haec essent eventura, parum ipsi constaret. Vid. 1 Tim. IV, 1. 2 Tim. III, 1. sqq. IV, 3. 2 Thess. II, 3—12. Ac de iisdem futuri periculi praesagiis, quae tum quidem in coetibus Christianorum cognita erant et pervulgata, etiam alii doctores post Pauli ex istis regionibus discessum crebro admonuerunt, veluti Petrus, 2 Petr. III, 2. 3. Iudas Vs. 17. 18. Cf. *Knappii Opusc.* p. 155. sq.

31. Διὸ γρηγορεῖτε) Cavete vobis, et facite, ut et alii sibi caveant. τριετίαν) Numerus rotundus. Omne

tempus complectitur Paulus, quod Ephesi exegit. Igitur biennio illi XIX, 10. annumerandi sunt tres menses XIX, 8. et tempus illud, quo Ephesi docuit, quum primum illuc venisset, XVIII, 18. νύκτα καὶ ἡμέραν) i. e. quavis occasione, etiam cum molestia mea. Οὐκ — ἕκαστον) *Non desii cum lacrymis hortari unum quemlibet*, sc. ne pereat laborum meorum fructus.

32. Παρατίθεμαι — χάριτος αὐτοῦ) *Commendo vos Deo et doctrinae de gratia eius. Commendo vos Deo*, i. e. providentiae divinae. Τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, *doctrinae de eius favore.* Nonnullis inusitata videtur phrasis: commendare aliquem doctrinae christianae. Quare haec coniungenda opinantur cum sequentibus, τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι, ut sensus sit: *Commendo vos Deo, qui per doctrinam potest vos aedificare.* Cui tamen constructioni verborum nexus minime favet. Ceterum *Heinrichsius* monet: Quidni doctrina christ. benignae matri, aut hic λόγος patri benevolo possit comparari, qui tutela sua nos suscipit, et quasi sinu fovet? ἐποικοδομῆσαι) *Aedificare*, i. e. efficere ut in scientia, fide et bonis operibus crescatis, sicut domus, quae paullatim surgit Eph. II, 20. Col. II, 7. Οἰκοδομεῖν, *facere ut res melior et perfectior evadat.* κληρονομίαν) Beneficia Messiae et *vitam aeternam*, quia firma est eorum possessio. Est nimirum נַחֲלָה proprie *occupatio Palaestinae et felicitas, qua in hac terra sua fruebantur Iudaei*, deinde vero transfertur *ad omnis generis felicitatem, maxime eam, quam Iudaei in regno Messiae olim exspectabant.* Ps. XXXVII, 18. Eph. I, 14. ἐν τοῖς ἡγιασμένοις πᾶσιν) *Inter omnes vere Christianos.* Ἐν ut hebr.

ב, *inter*, cum. In societate omnium, *qui* per fidem *consecrati sunt Domino;* nam hi sunt ἡγιασμένοι.

34. Ad finem orationis properans id quoque agit Paulus, ut auditorum animum a nimis proprii lucri studio absterreat. Ταῖς χρείαις — αἱ χ. ἀ.) *Usibus meis, et eorum qui erant mecum, ministrarunt hae manus*, i. e. ipse mihi necessaria ad victum et amictum subministravi. Sic *Xenoph.* Socr. II. ἃ δὲ αἱ χεῖρες ἑκάστῳ ὑπηρετοῦσι. Paravit nempe sibi victum opera manuaria, ne a Christianis victum flagitare cogeretur, atque tantum sibi acquisivit, ut adeo collegas interdum adiuvare posset.

35. Πάντα — λαμβάνειν) *Omnino vobis demonstravi, sic laborando, oportere nos iuvare infirmos, et memores esse dicti Christi: beatiorem esse qui det, quam qui accipiat.* Ante πάντα subaudiendum est κατὰ, *omni ex parte.* Ἀντιλαμβάνεσθαι proprie est *apprehendere*, tropice suscipere in se curam alicuius rei vel personae, *opitulari homini.* Οἱ ἀσθενοῦντες h. l. possunt esse *afflicti*, *pauperes*, possunt etiam homines rudioris ingenii, qui facile offensionem capiunt. Ambigue igitur haec verba: ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων exprimenda sunt, oportere hos *opitulari infirmis*, *inopibus*, quales erant Collegae Apostoli; et *se accommodare ad imbecillitatem rudiorum* (Rom. XV, 1.), qui suspicari poterant, Paulum commodi sui et lucri caussa comminisci doctrinam Evangelii, si mercedem pro institutione postulasset. Dictum Christi, quod Paulus hic laudat, his ipsis verbis conceptum in Evangeliis non legitur. Nonnulli Paulum respexisse pu-

tant ad Luc. VI, 30. sqq. XI, 41. Sed constat, Christum plura fecisse et dixisse, quae in quatuor Evangeliis non sunt perscripta; itaque non est absimile vero, tale eius dictum, his verbis expressum, posteris traditum esse. Plura huius generis dicta in Patrum libris occurrunt. Vid. *Fabricii* Cod. Apocr. N. T. P. I. p. 321. *Koerneri* Progr. de dictis ἀγράφοις. *Aristot.* Nicomach. IV, 1. μᾶλλόν ἐστιν τοῦ ἐλευθερίου τὸ διδόναι, οἷς δεῖ, ἢ λαμβάνειν, ὅθεν δεῖ, καὶ μὴ λαμβάνειν, ὅθεν οὐ δεῖ. Plura his similia notavit Wetstenius ex Profanis.

CAP. XXI.

1. Ὡς δὲ — ἀπ' αὐτῶν) *Postquam autem solvimus, ab eorum amplexibus divulsi.* Verbum ἀποσπᾶσθαι significanter exprimit affectus mutuos. εὐθυδρομήσαντες) *Vento secundo.* Proprium verbum de navigatione, qua cursus tenetur. Κῶ) Hoc pro Κῶν, Attice dici, scribit Gaza, *Schol. parv.* in Iliad. ξ. 255. εἰς τὸν Κῶν νῆσον. γράφεται δὲ σὺν τῷ ν. κατ' ἀττιατικήν. *Pausan.* Lacon. 23. πλέοντες δὲ εἰς Κῶν. *Cos*, insula maris Aegei, et quidem una ex Sporadibus. εἰς Πάταρα) *Patara*, urbs maritima Lyciae, Apollinis cultu insignis. Vid. *Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 192.

3. Ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον) *Quum Cyprus nobis ostenderetur, et appareret; quum in conspectu haberemus Cyprum.* Verba ex usu loquendi Graecorum construi solita cum Dativo personae et Accus. rei, retinent interdum, constructione Passiva, Accusa-

tivum rei, mutato Dativo personae in Nominativum. Itaque ἀναφανέντες τὴν Κύπρον explicandum est per: ἀναφανεῖσαν ἔχοντες τὴν Κύπρον, *quum in conspectu haberemus Cyprum*; ut Gal. II, 7. πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον per ἔχω πεπιστευμένον τὸ εὐαγγέλιον. Vid. *Winer*i Gramm. §. 33. coll. *Bornemann* l. c. p. 250. Possit vero etiam phrasis ἀναφανέντες τὴν Κύπρον explicari: οἷς ἀνεφάνη ἡ Κύπρος, sicut ἀποτμηθέντες τὴν κεφαλὴν pro οἷς ἀπετμήθη ἡ κεφαλή. Ceterum ἀναφαίνειν est vox nautica (*Theophanes:* ἀναφανέντων δὲ αὐτῶν τὴν γῆν.) Scil. ἀναφαίνειν τὴν γῆν dicitur nauta terram e longinquo detegens, detectamque annuntians. ἐκεῖσε — τὸν γόμον) *Ibi navis exponere debebat onus*, sc. Ephesi receptum. Ἀποφορτίζεσθαι, Verbo medio est *onere se levare*, *onus suum deponere*. *Philo* de exsecrat. p. 935. D. ubi terra incolis orbanda dicitur ἀποφορτισαμένη τὸ τῶν ἀσεβῶν οἰκητόρων ἄχθος, *exonerans se impiorum incolarum mole*. Ἀποφορτιζόμενον, praes. pro fut. *Bornemann* l. c. p. 251. sic interpretatur: „*illuc navis merces suas transportabat; suas*, inquam, merces, haec enim potestas est Medii. Qua probata interpretatione non opus est futuri vim aut tribuas participio, aut ἀποφορτισόμενον reponas. Quodsi quis cum aliunde tum ex XXII, 5. evincere voluerit, ἐκεῖσε pro ἐκεῖ usurpari posse, sumamus oportet, κατήχθημεν εἰς τὴν Τύρον esse: *appulsi sumus Tyrum, ubi navis merces suas exponeret.*“ Cf. tamen Wineri Gramm. edit. sec. p. 142. not., et *Kuinoelium* ad h. l.

4. Prima semina doctrinae christ. Tyri sparsa erant orta post Stephani necem coetus Hierosolymitani vexatione (VIII, 1.), a Christianis qui Tyrum aufugerant

(XI, 19.). Christianos ibi degentes iam alio tempore salutarat Paulus (XV, 3.); eorum tamen numerus non admodum magnus fuisse videtur. Haec bene observavit *Kuinoelius*. Οἵτινες — Ἱερουσαλήμ) *Qui monitu Spiritus dissuadebant Paulo, ne Hierosolyma proficisceretur;* subaudi: *nisi vinciri vellet.* διὰ τοῦ πνεύματος) Excitati monitu interno, divinoque habito. Quum ingenium Iudaeorum eorumque odium in Paulum nossent, facile praevidere poterant, eum Hierosolymis tutum non fore. Hanc suam animi persuasionem afflatui Spiritus sancti tribuebant. Futurum esse, quod hi et alii Prophetae praedixerant, ipse Paulus probe sciebat; sed ducebat muneris sui esse, etiam cum vitae dispendio facere quod decreverat. Vid. supra c. XX, 22 – 24.

5. Ἐξαρτίσαι τὰς ἡμέρας) *Postquam evenit, ut illos dies compleremus,* quos sc. statutos habueramus. *Heinrichsius* probabiliter coniicit, per septem dies navem illam ad negotia peragenda Tyri substitisse, et deinde iter continuasse. Ἐξαρτίσαι, *ad finem perducere, peragere;* ἄρτιος enim est *integer, perfectus;* sed ἐξαρτίζειν *tempus* raro occurrit

6. Καὶ ἀσπασάμενοι — ἴδια) *Et quum nobis invicem vale dixissemus, nos navem conscendimus, illi domum sunt reversi.* Verbum ἀσπάσασθαι non tantum de salutatione in adventu, sed etiam de valedictione adhibetur. Εἰς τὰ ἴδια, sc. οἰκήματα, *domum suam;* ex usu LXX. interpretum; nam graece sic non dicitur.

7. Τὸν πλοῦν διανύσαντες) *Quum perfecissemus navigationem.* Plena sententia fuisset: ἡμεῖς δὲ τὸν πλοῦν

διανύσαντες τὸν ἀπὸ Τύρου Πτολεμαΐδα, κατηντήσαμεν εἰς Πτολεμαΐδα. Quam repetitionem urbis quo melius Lucas effugeret, brevius quidem, sed non minus recte scripsit. Cf. *Bornemann* ad h. l. εἰς Πτολεμαΐδα) *Urbem* Galilaeae, et quidem eius partis, quae Galilaea gentium dicitur, cuius nomen antiquum Ἄκη. *Suidas* sub voce Ἄκη. *Strabo* XVI.

8. Pro ἤλθομεν post ἐξελθόντες legitur οἱ περὶ τὸν Παῦλον in textu vulgari. Quae verba desunt in optimis Codicibus et versionibus antiquis, omnino omittenda. εἰς Καισάρειαν) Stratonis, quae in ludaea, s. Syria Palaestina. Φιλίππου — ἑπτὰ) i. e. Qui quum olim de numero septem Diaconorum fuisset, factus erat presbyter περιοδευτὴς, nulli certae ecclesiae affixus, quales Evangelistae vocabantur, Eph. IV, 11. Philippus quoque varias urbes docendi evangelii causa peragravit. Vid. supra c. VIII.

9. Προφητεύουσαι) Quae *interdum* divino afflatu loquebantur. Cf. notata ad Vs. 4. cap. II, 17.

10. Ἄγαβος) Is, de quo supra c. XI, 28.

11. Καὶ ἄρας — εἶπε) *Quum sustulisset cingulum Pauli, et constrinxisset sibi manus atque pedes, dixit.* Non Pauli sed sui ipsius (αὐτοῦ) manus et pedes constrinxit Agabus. Notus est prophetarum mos, ipsis etiam rebus conspicuis futura praesignandi. Sic Zonam suam iussus defodere *Ieremias* c. XIII. Erat igitur haec actio Symbolica, in qua erat illud: Quam certum est, quod nunc me cingo, tam certum est, Paulum vinctum iri Hierosolymis.

12. Οἱ ἐντόπιοι) *Incolae, indigenae.* Innuuntur Christiani Caesareenses, qui Paulo et sociis eius h. l. opponuntur. *Arrianus* peripl. mar. Eryth. saepe hac voce utitur, e. g. βασιλικοὶ ἁλιεῖς ἐντόπιοι, piscatores regii indigenae.

13. Τί ποιεῖτε — τὴν καρδίαν) *Quid efficitis lacrymis, eoque, quod animum mihi meum frangere conamini?* i. e. nihil his rebus efficitis, nam ego etc. Συνθρύπτειν, *frangere, emollire, effoeminare.* ἑτοίμως ἔχω) *Paratus sum.* Demades de *duodecenn.* ἑτοίμως ἔχω τελευτᾶν.

13. Ἀποσκευασάμενοι) Alii legunt ἐπισκευασάμενοι, et sane difficile videtur, secundum alterutram lectionem pronunciare. Ἀποσκευάζεσθαι est, *aliquid ex loco amovere, auferre.* Ioseph. Ant. XIV, 16. 2. II, 6. 2. Ex hoc vocis usu, ἀποσκευασάμενοι vertendum esset: *Sarcinis*, impedimentis quippe itineris, *depositis.* Secundum alteram lectionem ἐπισκευασάμενοι, sensus esset: *Quum accepissemus res ad iter necessarias.* Propter rem haec lectio, quam optimi Codd. tuentur, omnino est praeferenda. Qui enim profiscuntur, non deponunt sarcinas, sed instruunt se necessariis ad iter.

16. Τῶν μαθητῶν) Nempe τινες. ἄγοντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν) Brevis locutio, pro: ἄγοντες ἡμᾶς πρὸς Μνάσωνά τινα παρ' ᾧ ξενισθῶμεν, *ducentes* (i. e. ducturi, praes. pro fut.) *nos ad Mnasonem quendam, ad quem diverteremur.* Nam Mnason ille ex Cypro videtur habitatum concessisse Hierosolyma. Hebraico more verbum ἄγειν construitur cum dativo, cuius index esse so-

let hebraica praepositio ל, graece πρὸς (ut Gen. XXIV, 54.), et multo etiam frequentius graecae εἰς respondens, quae ipsa etiam nomini personae, non solum loci, quo quis ducitur, iungi potest. Ab hac tamen plurimorum Interpretum explicatione alii recedunt, vertuntque: *adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem.* Attici nimirum moris est, ut nomen sequatur casum relativi. Vid. *Winer*i Gramm §. 18. Quam interpretationem defendit et *Bornemann* in Rosenmülleri Repertor. P. II. p. 253. Hac autem sententia admissa statuendum erit, convenisse inter Christianos Caesareenses et Mnasonem, qui tunc Caesareae praesens fuisset, ut Paulus, dum Hierosolymis versaretur, apud illum diverteret. ἀρχαίῳ μαθητῇ) *Kuinoelius*: Videtur e numero sectatorum Iesu fuisse, quum Iesus adhuc his in terris viveret, ac propterea a Luca dictus esse ἀρχαῖος μαθητής.

17. Ἀσμένως — οἱ ἀδελφοὶ) Ἀσμένως, *lubenti animo*, ut Act. II, 41. *Fratres* autem h. l. intellige Apostolos et Presbyteros Hierosolymitanos. Ceteri enim Christiani non favebant Paulo, ut patet ex Vs. 20. sqq.

18. Τῇ δὲ — πρεσβύτεροι) Videtur Iacobus convocasse Collegium Presbyterorum, quia deliberandum erat de rebus magni momenti, Paulum spectantibus. Noverant enim animos plurimorum Christianorum Hierosolymitanorum alienos esse a Paulo, Vs. 20. sqq.

19. Καθ' ἓν ἕκαστον) Ad quae *Heinrichsius*: Hic ergo audiit Lucas et multa eorum, quibus non interfuit ipse, sicuti et ex familiariore cum Paulo conversa-

tione eadem audire potuit. Nemo ergo eius fidem historicam et circa haec in dubium vocabit.

20. Καὶ πάντες—ὑπάρχουσι) Magno studio tenentur servandae legis, etiam de circumcisione, de sacrificiis, de cibis vetitis, aliisque rebus eiusmodi. Nec id mirum: nam decretum, quod fecerant Apostoli, tantum ex gentibus vocatos tangebat, non autem natos Iudaeos. Neque tum Paulus quicquam Iudaeos ea de re docere coeperat, quod fecit aliquanto serius, et quidem extra Iudaeam.

21. Κατηχήθησαν δὲ περὶ σοῦ) De te hoc intellexerunt, nempe sermone et litteris illorum in Asia Iudaeorum, qui tot molestias Paulo exhibuerant; nam κατηχεῖσθαι h. l. non est *edoceri*, sed per famam aliquid accipere. μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν) *Neque praecepta ritualia observent.* Ἔθη hic sunt חקות, *praecepta ritualia*. Falsa erat haec criminatio. Paulus enim nuspiam Iudaeos a lege Mosis avertere studuerat, sed ex decreto Hierosolymitano c. XV. Proselytorum tantum et Ethnicorum libertatem vindicaverat. Cf. Rom. XIV. integrum, et 1 Cor. IX, 20.

22. Τί οὖν ἐστι; *Quid igitur factu opus est?* Respondet enim partim sequenti δεῖ, partim Vs. 23. verbis τοῦτο οὖν ποίησον. πάντως—συνελθεῖν) *Utique debet multitudo convenire*, i. e. necessario accidet, evitari nequit, quin plebs Iudaeo-christianorum (ζηλωτῶν) concurrat. De concursu multitudinis suspiciosae sermo est.

23. Τοῦτο οὖν ποίησον ὃ σοι λέγομεν) Suadent Paulo ut indulgeat iis, qui summo adhuc honore Legis ritus prosequerentur, et aliquid faciat, quo ostendat, se haudquaquam spernere Iudaeorum ritus sacros. Metuunt enim Paulo, ne prodesse ulterius doctrina sua possit hominibus, quorum animi adversus eum, qui semel in heterodoxiae crimen incurrerat, irritati erant. Quum vero minoris momenti res a Paulo exigeretur, quae nullam evangelio noxam posset afferre, eo promtius eam peragit, quo facilius animos inde poterat conciliare. Cf. *Heinrichsium* ad Vs. 20. Εὐχὴν ἔχοντες ἐφ' ἑαυτῶν) *Qui votum in se susceptum habent.* Multi intelligunt *votum magnum*, i. e. Nasiraeatus. Vid. Num. VI. 13 — 31. Illis Nasiraeis lege Mosis praescriptum erat, ut durante tempore voti abstinerent vino omnique potu inebriante; ut caverent sibi, ne corpus mortuum tangerent, utque per illos dies precibus et rerum divinarum cogitationi operam darent. Hoc erat ἁγνίζεσθαι, *purificari.* Durante hoc tempore non licebat iis radere caput; licebat autem illo tempore finito. Denique finiebatur ἁγνισμὸς sacrificio oblato in templo. His peractis, liberati erant voto, et liberius vivere poterant. Sermo vero h. l. est de aliorum votorum generibus, de quibus agitur Levit. XXVII. et Num. XXX., ubi cf. *Rosenmülleri* Scholia. Vid. et supra not. ad XVIII, 18.

24. Ἁγνίσθητι σὺν αὐτοῖς) *Purifica te*, gere te purum *cum illis.* Ἁγνίζεσθαι h. l. significat abstinere a vino rebusque aliis, quae interdictae sunt Nasiraeis, καὶ δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς) *Et sumptus illis impende.* More apud Iudaeos receptum erat, et pro insigni pie-

tatis officio habebatur, ut in pauperum gratiam ditiores erogarent sumtus ad sacrificia, quae, dum illi tonderentur, offerre necesse erat. Qui autem hac pietatis laude volebant excellere, in eadem cum iis, qui voto obstricti erant, castimonia vivebant, ac si ipsi votum suscepissent. Insignis de hac re est locus Iosephi Ant. L. XIX, 6, 1. de Agrippa Hierosolymam redeunte, *qui multos Nasiraeos tonderi mandavit.* ἵνα ξυρήσωνται τὴν κεφαλήν) i. e. *ut voti liberentur eo facilius.* Est metonymia signi pro signato. Nam sicut obligatio votiva exprimebatur demisso capillo, ita liberatio coma abrasa. Num. VI, 18. καὶ γνῶσι πάντες) Aliorum Codd. lectionem καὶ γνώσονται πάντες, ut meliorem recepit *Griesbachius.* ὅτι ὧν — οὐδέν ἐστι) Supplendum: ἀληθὲς. Eorum, quae de te rumor sparsit, nihil verum esse; falsam esse famam, quae de te sparsa est, quasi Iudaeos legis observatione averteres. στοιχεῖς — φυλάσσων) i. e. στοιχεῖς κατὰ νόμον. *Te vivere convenienter legibus Mosaicis.* Hac igitur ratione voluerunt cavere tumultum, qui metuendus erat, si Pauli caussa concursus hominum fieret.

25. Περὶ δὲ τῶν πεπιστευκότων ἐθνῶν) *Quod ad fideles e gentibus attinet.* Quasi diceret Iacobus: alia est ratio vocatorum ex gentibus; illos enim a legis onere liberos communi decreto pronunciavimus. Noli ergo existimare, nos, cum tibi ritus Iudaicos suademus, sententiam nostram mutasse. κρίναντες — αὐτούς) *Nihil tale servandum ipsis*, nempe eorum, quae Moses praescripsit. Cf. supra c. XV, 20. 29.

26. Τῇ ἐχομένῃ — ἁγνισθείς) *Die sequenti cum illis castimonia suscepta.* Ritus observare coepit, quos

illi, qui voto obnoxii erant, observabant. Διαγγέλλων τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ) *Professus, se expleturum esse dies purificationis.* Suscepit nempe castimonium in dies septem, (cf. Vs. 27.) ita ut dies ipsius pariter exirent cum diebus aliorum, qui aliquanto ante, ac in maius tempus se obligaverant. Licebat enim cuique, eum, quem vellet, votivae obligationi praestituere terminum. Num. VI, 5. Sic Paulus in dierum hebdomada se obligavit; illi alii in duas, tres aut quatuor hebdomadas. ἕως οὗ — ἡ προσφορά) Aoristus hic significat rem, quae fieri debebat: *Usque dum offerenda esset pro unoquoque* (eorum, qui se obligaverant) *oblatio;* i. e. ita tempus sumsit, ut pariter cum illorum tempore desineret. Paulus igitur omnibus his ritibus se subiecit, et sacrificium quoque consuetum obtulit. Tota haec res pertinebat ad ritus, *Iudaeis* praescriptos, qui salva fide in Christum propter infirmos observari poterant.

27. Ὡς δὲ — συντελεῖσθαι) Ergo nondum transacti erant, neque potuit Paulus castimoniam susceptam ad finem usque observare, et sacrificium voti absoluti offerre. Οἱ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι) Nempe doctrinae Christi adversarii, qui nunc ad celebrandum festum Hierosolyma forte venerant. Συνέχεον πάντα τὸν ὄχλον, *totam turbam concurrere fecerunt.* Συγχέω, quod proprie est *confundere*, metaphorice est *perturbare, efficere, ut turba tumultuose confluat.* Quum semper hominum frequentia in templo esset, precandi caussa, non est mirum, concursum fieri potuisse.

28. Βοηθεῖτε) *Ferte opem.* Βοηθεῖν est ad clamorem oppressorum accurrere, opis ferendae caussa, quasi

πρὸς τὴν βοὴν θέειν. *Demosthenes* Mid. extr. ἐάν τις ὑμῶν ἀδικούμενος ἀνακράγῃ, προσδραμοῦνται καὶ παρέσονται βοηθοῦντες. Οὗτός ἐστιν — διδάσκων) *Hic est ille, qui contra hunc populum, et legem et hoc templum omnes ubique docet.* Docendo violat *populum;* si quis enim legem publicam violat, ipsam violat civitatem; *legem*, et *locum hunc*, nempe templum; quo sensu? id statim indicatur. Ἔτι — τοῦτον) *Insuper etiam Graecos* (gentiles) *in templum introduxit, atque adeo profanavit hunc locum sacrum.* Erat quidem in templo atrium gentilium; sed hic sermo est de atrio Israelitarum. Non licebat Ethnicis intrare septum illud lapideum, quod in tres cubitos attollebatur, inscriptumque columnis habebat: μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι. *Ioseph.* de S. I. V, 14. Si quis alienigena, etiam Romanus, id septum transgrederetur, is occidi poterat, teste eodem Iosepho, L. VI. Sed Paulus non introduxerat Graecos in templum, ut patet ex Vs. seq.

30. Καὶ εὐθέως ἐκλείσθησαν αἱ θύραι) Nempe a ianitoribus templi, metuentibus, ne qua in templo seditio oriretur, aliis Paulum male tractare, aliis tueri volentibus.

31. Ἀνέβη φάσις τῷ χιλιάρχῳ τῆς σπείρης) *Pervenit indicium ad tribunum.* Φάσις idem est quod φήμη καὶ μήνυσις. *Gerichtliche Anzeige. Pollux* VIII, 47. κοινῶς δὲ φάσεις ἐκαλοῦντο αἱ μηνύσεις τῶν λανθανόντων ἀδικημάτων. Chiliarchus h. l. est praefectus eius cohortis, quae temporibus festis, ac proinde etiam in Pentecoste, praesidium habebat in porticibus templi ad prohibendos tumultus, si quis orirentur. Nomen huius

Chilarchi, de quo hic sermo, fuit *Claudius Lysias*, ut docemur infra c. XXIII, 26. Hoc praesidium militum Romanorum fuit in arce, prope templum Hierosolymitanum, *Antonia* dicta. Cf. Matth. XXVII, 28.

33. Ἐπυνθάνετο) *Interrogabat*, non Paulum ipsum, sed homines per tumultum congregatos, coll. Vs. 37. 38. XXII, 27.

34. Εἰς τὴν παρεμβολήν) *In praesidia*, i. e. in aedificia, in quibus praesidium militare habitabat. Nos dicimus *Casernen*. Hoc praesidium erat in arce Antonia. Non intelligenda esse castra, vel tentoria, qualia in campis strui solent, ex eo etiam patet, quoniam in sequentibus *gradus* (Treppen) commemorantur. Alii ipsam Antoniam appellari putant παρεμβολήν, *castrum*, *arcem*. Sic urbs Hierosolyma dicitur παρεμβολή, ut locus munitus Hebr. XIII, 13. Apoc. XX, 9. et Alexandrinus Interpres Ies. XXI, 8. משמרת *specula*, *turris*, *arx*, expressit voce παρεμβολή.

35. Ἐπὶ τοὺς ἀναβαθμούς) *In gradibus*, ascensurus ex porticu in Antoniam. *Ioseph.* de B. I. V, 5, 8. Καθὰ δὲ συνῆπτο (ὁ ἐπὶ τῇ μεσεμβρινῇ καὶ κατ' ἀνατολὴν γωνίᾳ κείμενος πύργος τῆς Ἀντωνίας) ταῖς τοῦ ἱεροῦ στοαῖς, εἰς ἀμφοτέρας εἶχε καταβάσεις. συνέβη — τοῦ ἴχλου) *Accidit, ut portaretur ipse a militibus, propter vim irruentis plebis.*

37. Ἑλληνιστὶ γινώσκεις;) *An graece nosti?* Latina loquendi formula. γινώσκεις, scil. λαλεῖν. Plena loquutio Neh. XIII, 24. καὶ οὐκ εἰσὶν ἐπιγινώσκοντες λαλεῖν

Ἰουδαϊστί. Lingua graeca tuno temporis utebantur omnes homines liberaliter educati; nec haec lingua Hierosolymitanis plane erat ignota; Iudaei autem dialectum hebraeo-chaldaicam s. syriacam praeferebant.

38. Ὁ Αἰγύπτιος) De hoc Pseudopropheta, populique Iudaici concitatore narrat *Iosephus* A. XX, 8, 6. et de B. I. II, 13, 5. Nempe vatem se esse simulans, persuasit plebeiae turbae, ut secum montem Olivarum ascenderet, inde enim suis sectatoribus se monstrare velle dicebat, quomodo suo iussu corruerent Hierosolymorum muri, per quos ipsis aditum se patefacturum esse promittebat. Procurator Felix autem eruptione facta Hierosolymis, aggressus est Aegyptium eiusque factionem; ac quadringentos quidem occidit, ducentos vivos cepit; Aegyptius autem ipse e pugna elapsus, statim e conspectu evanuit. Lucas tradit, τετρακισχιλίους, *quatuor millia hominum* fuisse, quae hunc impostorem sint secuta; Iosephus autem loco posteriori, τρισμυρίους, *triginta millia*. Aut igitur cum *Valesio* dicendum est, numerum promiscuae multitudinis pervenisse quidem ad *triginta millia* hominum, ex illis autem tantum fuisse *quatuor millia* sicariorum, quorum hic meminit Lucas; aut cum *Grotio* statuendum, horum nebulonum fuisse in initio nonnisi *quatuor millia*, postea vero eorum multitudinem crevisse ad *triginta millia*. Alii apud Iosephum errorem scribendi irrepsisse suspicantur. Etenim B. I. l. c. tradit, sectatorum Aegyptii fuisse 30000, quorum πλεῖστοι, *plerique* fuerint partim capti, partim trucidati. Sed Ant. l. c. refert, interiisse 400, captos 200, διακοσίους. Quare *Aldrichius* in notis ad Ioseph. coniicit, Iosephum pro

διακοσίους scripsisse διςχιλίους, quod propius ad τετρακισχιλίους Lucae accedat. In Commentario autem de B. I. l. c. ex Luca rescribendum esse τετρακισχιλίους. Σικαρίων) *Sicariorum* nomen acceperunt a sica, i. e. a cultro curvo, qui similis est acinaci, s. gladio breviori, quem vestimentis tectum gestabant, ut nemo videret, neque sentiret, eos armatos esse. Ingens illo tempore, auctore Iosepho, erat sicariorum in Iudaea numerus, et multus sanguis ab iis fusus, ita ut quotidie in plateis imo et in templo multi occiderentur. Itaque Tribunus Paulum pro Aegyptio isto, aut sicario saltem habuit, qui in ipso facto esset deprehensus

39. Ταρσεὺς — πολίτης) i. e. Κύλιξ, Τάρσου οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. *Tarsensis, non ignobilis Ciliciae urbis civis.* Erat *Tarsus* Ciliciae totius caput, teste Strabone. *Plinius* (H. N. V, 22.) Tarsum vocat liberam urbem. οὐκ ἀσήμου πόλεως, *urbis haud ignobilis*, i. e. urbis nobilissimae. Litotes.

40. Ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν) *In gradibus* Antoniae, de quibus supra com. 35. κατέσεισε — τῷ λαῷ, *manu significavit, se loqui velle populo.* τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ) i. e. lingua Hterosolymitana, magna ex parte Syriaca, qua tum Iudaei utebantur.

CAP. XXII.

1. Τῆς πρὸς ὑμᾶς νῦν ἀπολογίας) *Meam iam ad vos defensionem* audite. Defensio est etiam, ubi factum negatur. Purgatio eius est species, ubi, facto concesso, culpa removetur.

2. Μᾶλλον παρέσχον ἡσυχίαν) *Eo magis se quietos praebuerunt.* Significatur, non solum a mutuis colloquiis, sed et ab alio quocunque strepitu illos abstinuisse. Placuit populo, quod Paulus sermone hebraico, qui sanctus habebatur in Palaestina, mallet uti, quam Graeco. Paulus captandae benevolentiae caussa hac lingua usus est.

3. Ἀνατεθραμμένος) *Educatus.* Πεπαιδευμένος vero de *institutione* accipiendum est. Simillimus est locus *Appiani bell. Civ.* L. IV. ubi Cassius in Rhodo enutritus de Rhodiis conquerens, auxilium sibi dicit denegatum esse, ὑπὸ τῶν παιδευσάντων καὶ θρεψάντων, *ab eruditoribus et educatoribus suis*, ab iisdem vero praelatum sibi dolet Delabellam, ὃν οὐκ ἐπαίδευσαν οὐδὲ ἀνέθρεψαν, *quem neque erudiverint, neque educaverint.* παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ πεπαιδευμένος) Haec verba connecte, commate posito post ταύτῃ. „Sic satis convenienter primo Paulus indicat *gentem suam*, se nimirum esse *Iudaeum*,, deinde *locum natalem*, qui fuerit *Tarsus*, tum *locum educationis*, nempe *Hierosolyma*, denique *praeceptorem*, nempe celebrem illum *Gamalielem.*“ *Kuinoelius.* παρὰ τοὺς πόδας. *iuxta pedes.* παρὰ τοὺς πόδας τινὸς sedere dicuntur discipuli, magistrum audientes, Luc. VIII, 35. X, 39. Docet antiquitas Iudaica, magistros in altiore loco, discipulos ad eorum pedes sedisse. Vid. *Vitringa* de *Synag.* vet. L. I. P. I. Cap. 7. p. 166. sqq. et *Schöttgen.* Hor. Hebr. ad h. l. Sensum magis quam verba exprimunt, qui vertunt: eruditus sum *apud* Gamalielem, aut *in schola* Gamalielis. Aliorum sententias attulit *Kuinoelius.* κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου) ἀκρίβεια h. l. est *rigor*, *severitas.* Institutus sum disciplina patriae

legis severissima. Sic iam *Erasmus* sensum huius loci accepit. Non simpliciter sermo est de accurata cognitione legis Mosaicae, sed de rigore Pharisaeorum, qui praeter Legem sanctissime colebant traditiones (*πατρικὰς παραδόσεις*). Respicit igitur Paulus ad ceremonias et instituta maiorum, in quibus exponendis, aliisque commendandis, Pharisaeorum studium versatum esse constat. Confirmat *Iosephus* A. XVII, 3, 4. et de B. I. II, 8, 14. *ζηλωτὴς — θεοῦ*) *Acris defensor cultus divini.* Sic Gal. I, 14. de se ipso: *ζηλωτὴς τῶν πατρικῶν παραδόσεων ὑπάρχων. Ζηλωτὴς τοῦ Θεοῦ*, i. e. *τοῦ νόμου*, Legis, quam non sine Dei ipsius contemtu a Christianis negligi existimabant Iudaei. Qui vero Dei instituta propugnat, pro Deo ipso dici potest pugnare. *καθὼς πάντες ὑμεῖς ἐστε σήμερον*) *Quales vos omnes hodie apparetis. σήμερόν ἐστε*, vel: *hodie potissimum vos geritis*, vel: *ad hunc usque diem estis.*

4. *Ταύτην τὴν ὁδὸν*) i. e. *Homines huius sectae vel religionis.* Vid. supra c. IX. *ἄχρι θανάτου, ad necem usque.* Id statim explicat: quum vinctos traderem etc.

5. *Ὡς — μαρτυρεῖ μοι*) Vertendum est: *ut mihi testari potest Pontifex. ἀρχιερεὺς*) Vel tunc munere functus et adhuc vivus, vel qui nunc munere fungitur, rei tunc gestae memor. Sensus est, Sacerdotem Summum, a quo scilicet literas acceperat Paulus, instituto suo provehendo idoneas, testimonium hoc, si requiratur, daturum esse. Cf. *Michaelis* ad h. l. *πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς*) Ita hic vocat Iudaeos, ob communem ex Iacobo originem. Sequentibus versiculis Paulus narrat historiam suam supra c. IX. commemoratam.

6. Περὶ μεσεμβρίαν) *Circa merediem*, id quod ἡμέρας μέσης, XXVI, 13. Quod Lucas IX, 3. omisit, h. l autem, Pauli verba referens, commemorat, ne Apostolus illusus videri posset vespere, noctuve.

9. Τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν) *Vocem non intellexerunt.* Cf. supra IX, 7. Ibi comites Pauli audivisse vocem dicuntur. Tolli potest haec difficultas hoc modo. Vox φωνὴ nunc significat *sonum*, nunc *sermonem*, sive verba distincta. Loco c. IX. dicitur, illos audivisse *sonum;* quum enim fulmen illud circumfulgeret Paulum, sine dubio etiam tonitrua audita sunt. Hunc sonum audiverunt comites. In nostro autem loco dicitur: *Non intellexerunt sermonem* loquentis mecum, et dicentis: Saule, cur me persequeris. Tonitru Pauli comitibus non erat prodigiosum, non erat vox Christi, seu declaratio mentis Christi. ἀκούειν, ut hebr. שָׁמַע saepe etiam esse *intelligere*, satis constat.

10. Κἀκεῖ—ποιῆσαι) *Et ibi de singulis mandabitur, quid faciendum tibi sit.* Τάσσειν, h. l. est decernere. Ergo τέτακταί μοι ποιῆσαι, decretum est mihi facere. Dicetur tibi de omnibus, quae fieri abs te volo.

11. Ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς ἐκείνου) *Prae gloriosa, splendida illa luce.* Δόξα, כָּבוֹד, eximium quendam fulgorem h. l. significat.

12. Εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον) *Pius*, non quovis modo, sed etiam secundum legis nostrae praescripta, ut Zacharias et Elisabet. Hoc multum pertinet ad rem, de qua agebatur. μαρτυρούμενος) Arctissime nectendum

cum ἀνὴρ εὐσεβὴς. Summa ob pietatem, legisque studium laude ornabatur ab omnibus Iudaeis Damascenis.

14. Προεχειρίσατό σε) *Elegit te.* Nonnulli vertunt: *Expedivit, praeparavit te.* At προχειρίζεσθαι frequentius notat *eligere*, et Ananiae procul dubio in animo adhuc versabantur verba Dei cap. IX, 15., quibus Apostolum σκεῦος ἐκλογῆς vocaverat. Sic *Polyb.* L. V, c. 72. ὁ δὲ Ἀχαιὸς προχειρισάμενος Γαρσύηριν, *Achaeus Garsyerim* ducem *eligens.* τὸν δίκαιον) Iesum, illum summe innocentem et bonum.

16. Τί μέλλεις;) *Quid moraris? μέλλειν, morari, cunctari.* Saepius sic apud Profanos. Aristoph. Plut. 255. ὡς ὁ καιρὸς οὐχὶ μέλλειν, *neque est morandi tempus.* Etymol. μέλλω, τὸ βραδύνω, *Aristoph.* Nub. 1301. ὕπαγε τί μέλλεις. βάπτισαι — ἁμαρτίας σου) *Suscipe baptisma, et ablue peccata tua.* Ἀπόλουσαι, in Medio. Suscepto baptismate cura, ut certus fias remissionis peccatorum. Ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου) *in salutem tuam nomen Christi invocans*, i. e. *precatus ad Christum.* Sic recte *Bornemann.* Alii: *Nomen Iesu invocans*, i. e. eius cultui te addicens. Ceterum pro τοῦ Κυρίου, cum optimis Codd. legendum est αὐτῷ.

17. Ἐγένετο δέ μοι — ἐκστάσει) *Contigit autem mihi Hierosolyma reverso, quum in templo preces facerem, ut extra me raptus sim.* προσευχομένου) Genitivo, quam Dativo, qui praecessit, Apostolus uti maluit. „Vix enim dubium esse puto, quin partim ad ingratum iteratorum Dativorum concursum evitandum,

partim ut variata oratione sensus perspicuitati consuleret, Genitivos illos praetulerit.“ *Bornemann* l. c. p. 257. De voc. ἔκστασις cf. supra ad X, 10.

19. 20. Αὐτοὶ ἐπίστανται) Ostendit Paulus, sibi nonnihil esse spei, quod Hierosolymitae, qui se pridem novissent, tantam mutationem non possent nisi magnae veraeque caussae attribuere; feliciore ergo successu Hierosolymis doctrinam Christi praedicaturum, quam extra urbem. Mandatum igitur abeundi ad gentes haud placuit Paulo; quare repetitur Vs. 21. Saepius cunctatos esse legimus Prophetas, quibus eiusmodi mandata iniungebantur. Vid. Exod. III, 11. sqq. Ezech. c. II. sqq. κατὰ τὰς συναγωγὰς) Indicantur hic et infra XXVI, 11. Synagogae Iudaeorum, nec, ut quidam volunt, conventus christiani. Synagogas initio frequentabant et ii, qui ad Christum conversi erant. In synagogis ergo quaesiverat Paulus Christianos, eosque flagellis caedendo ea implevit, quae praedixerat Iesus Matth. X, 17. XXIII, 34. Verba Vs. 20. τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, ex Act. VIII, 1. in hunc locum translata, desunt in praestantissimis Codd. Quare ex ordine recte eiiciuntur. Ceterum ex h. l. supplenda est narratio IX, 29. 30., ubi Lucas refert, Apostolos Paulum, ut tutus esset ab insidiis Hellenistarum, Caesaream abduxisse. Sed ἔκστασις h. l. commemorata admonitionibus Apostolorum maiorem vim addidit, et Paulus se ab illis abduci passus est.

22. Ἄχρι τούτου τοῦ λόγου) Ut qui pati non possent, gentes fieri participes communis salutis. Apposite *Vaterus* annotavit haec: „Iam intellexere auditores, quo haec referentur, et τὰ ἔθνη interpretati de invisis גוים

(sive Paulus tum, cum ante Cornelii conversionem illa animo volverentur, de gentibus nondum cogitaverat; ac vocabulum de Iudaeis inter gentiles dispersis sumptum explicavisset, nisi interrupta oratio fuisset; sive ad hoc significatus discrimen non respexit;) et Pauli illicitae familiaritatis cum gentilibus, horumque introductionis in templum, cuius Vs. 28. accusatus erat, recordati animis maxime commotis eum interpellant, furorque hucusque repressus erumpit.“ *οὐ γὰρ καθῆκεν, αὐτὸν ζῆν*) Pro vulgari *καθῆκον* recentt. Editt. recte rescripserunt *καθῆκεν*. Sensus: *non decebat*, seu: *non decuerat eum vivere*, i. e. iam dudum mori eum oportebat.

23. *Ῥιπτούντων τὰ ἱμάτια*) *Iactantibus vestes.* Qui longius aberant, his signis testabantur, se cum illis facere, qui propius adstantes clamabant. Prodebant etiam valde concitatum offensumque animum. *Xiphilinus* Nerone: *τάστε χεῖρας καὶ τὰ ἱμάτια ἀνέσειον. Lucianus* de saltat. 83. *τὸ θέατρον ἅπαν συνεμεμήνει, καὶ ἐπήδων, καὶ ἐβόων, καὶ τὰς ἐσθῆτας ἀπέῤῥιπτον. Ovidius* Am. III, 274. *et data iactatis undique signa togis — at ne turbet toga mota capillos. κονιορτὸν βαλλόντων*) *Ennius* Annal. VIII. *Iamque fere pulvis ad coelum vasta videtur.*

24. *Μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτὸν*) *Flagellis ex eo quaeri.* Mos Romanus quaestionem habendi per flagra. *ἵνα ἐπιγνῷ*) Ex ipsius confessione. Nemo iniquus ob hoc facinus erit chiliarcho Romano, quippe qui Hebr. linguae ignarus ex immenso clamore haud immerito concludebat, scelus aliquod et flagitium a Paulo esse commissum.“ *Heinrichs.*

25. Ὡς δὲ προέτειναν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν) *Quum eum traderent loris*, i. e. scuticis, flagellis. *Bornemann: quum eum loris obtulissent, quum lora ei intentassent*, quod aliquanto urbanius dictum, quam: *quum loris eum caesuri essent.* Προτείνειν *tradere, porrigere, obiicere. Philo* de vit. Mos. δελεασθεὶς τοῖς ἤδη προτεινομένοις, *delectatus donis quae sibi iam tradita essent.* Alii minus recte verbo προτείνειν *adstringendi* tantum et *vinciendi* notionem tribuunt. Sed alligatio ad palum praecessit flagellationem, de qua incipienda hic sermo esse videtur. Alii aliter. Ad reliqua verba cf. not. ad c. XVI, 37.

28. Πολλοῦ κεφαλαίου) *Magna pecuniae summa.* Κεφάλαιον pro *pecuniae summa* saepe occurrit. *Demosthenes* in Everg. *Accipiens a me in mensa* 1313 *drachmas et duos obolos*, τὸ σύμπαν κεφάλαιον, *integram summam.* Sic etiam ap. Ioseph. A. XII. 2, 2. et cap. 4. §. 1. eiusdem libri. ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι) Atqui Tarsus non colonia erat, sed libera urbs, *Plinio* teste, V, 27. Urbes liberae suis utebantur legibus, suos habebant magistratus, a iurisdictione Romani praesidis immunes erant, nec praesidiis Rom. tenebantur; imperium tamen maiestatemque populi Rom. agnoscere debebant, Romanisque contra hostes auxilium mittere. Vid. *Deylingius* Obss. Sacr. P. III. p. 304. Libertate donati erant Tarsenses ab Augusto, ut eos variis in bello civili cladibus afflictos recrearet. *Appian.* B. Civ. V. At vero Tarsenses non habuisse ius civitatis Romanae, vel inde patet, quod Tribunus militum, quamvis sciret, Paulum Tarsensem esse, XXI, 39., flagris tamen eum explorari iussit, XXII, 24., a quo sibi metuens de-

stitit, simulac eum civem Romanum esse cognovit. Plura de hac re vid. ap. *Kuinoelium* ad Act XVI, 37. Cf. et *die bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 197. sq. Potuit autem fieri, ut aliquis maiorum Pauli bellis civilibus, quae inter Caesarem Augustum, et Brutum Cassiumque, aut etiam inter eundem Caesarem et Antonium intercessere, ius illud sibi comparaverit. Aut maiores Pauli pretio ita adepti sunt civitatem Romanam, ut successione illa in liberos nepotesque propagaretur.

29. Ἐφοβήθη ὅτι ἦν αὐτὸν δεδεκώς) *Metuebat sibi, quia alligasset eum.* Hoc de alligatione ad palum intelligendum puto, scil. ut loris caederetur Paulus (vid. ad Vs. 25.). Non enim in eo peccasse dicendus erit Tribunus, quod in primo populi concursu duobus catenis vinciri Paulum iussisset, quum nondum sciret, eum esse civem Romanum.

30. Τῇ δὲ ἐπαύριον ἔλυσεν αὐτὸν) *Postridie vero eum vinculis solvi iussit.* Offendere potest h. l., quod non statim Paulum vinculis solvit Chiliarchus, sed *postridie* demum; tum quod Paulus infra XXIII, 18. (coll. Vs. 29.) iterum vocatur δέσμιος. (Cic. in Verrem V, 66.: *facinus est, vinciri civem Romanum, scelus verberari.*) Sed illud δέσμιος XXIII, 18. non significat *vinctum* (catenis), sed *captivum* in universum. Quod autem vinculis proximo demum die Paulus liberatur (ἐπαύριον ἔλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν δεσμῶν), nec eodem, quo civem Rom. se erat professus, id propterea factum esse potest, quod Chiliarchus, antequam vinculis liberaret Paulum, accuratius in rem vellet inquirere, percontando scil. num vera ille dixisset. Alio modo

nodum solvisse sibi videtur *Kuinoelius*, quem cf. ad h. l. Καὶ ἐκέλευσεν — αὐτῶν) Quia intellexerat, de religione controversiam esse; explorare voluit Synedrii sententiam, cuius erat de religione cognitio. Pro ἐλθεῖν nonnullis legendum videtur συνελθεῖν, quam lectionem haud pauci libri exhibent; quia chiliarchus non ad se vocare potuit Synedrium, sed in loco maiorum convenire iussit. Sed librarii saepius verba composita mutarunt in simplicia. Vid. *Bornemann.* et *Kuinoel.* ad h. l.

CAP. XXIII.

1. Ἀτενίσας — τῷ συνεδρίῳ) *Intuitus Synedrium*, oculis ad Synedrium conversis. Ut decebat hominem bonae caussae et optimae conscientiae innitentem. Ἐγὼ πάσῃ — θεῷ) *Ego cum optima conscientia* Dei voluntati *convenienter vixi.* Verbum πολιτεύεσθαι, Medium, dicitur proprie de iis, *qui rempublicam gerunt*, deinde pro: *institutis quibusdam uti*, ut πολιτεύεσθαι νόμῳ πατρίῳ apud Iosephum de Maccab. §. 4. *patriis legibus*, i. e. Mosaicis, *convenienter vivere*, et 2 Macc. XI, 25. πολιτεύεσθαι κατὰ τὰ ἐπὶ τῶν προγόνων ἔθη. Ita fit, ut πολιτεύεσθαι significat *vivere, vitae tenorem gubernare vel dirigere.* Τῷ θεῷ, i. e. κατὰ τὸν θεὸν, *voluntati Dei convenienter.*

2. Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας) Intelligendus esse videtur *Ananias* ille, qui Pontificatu M. functus est, *Quadrato*, antecessore Felicis, Syriae praesidente, auctore *Iosepho*, A. XX, 6, 2. neque dubium est, quin

eam dignitatem etiam tempus quoddam retinuerit tum, quum Felix Praeses in Syriam missus esset, sub cuius Praesidio *Ionathas* Ananiae successit in Pontificatu; Ioseph. XX, 8, 5. Hic *Ananias*, Pontifex M. missus fuit Romam vinctus a Quadrato, rationem Caesari Claudio redditurus una cum *Anano*, Praefecto Templi, ob contentionem inter Samaritanos et Iudaeos, et ob quorundam Iudaeorum, res novas moliendi, studium, Ioseph. XX, 6. 2. Sed Agrippa iuniore pro iis intercedente absoluti, Hierosolyma reversi sunt. Neque tamen Ananias iterum Pontificatum accepit. *Ionathane* autem per *Felicis*, Procuratoris, fraudem in ipso templo a sicariis subornatis interfecto (Ant. XX, 8, 5.), vacuus locus mansit, usque dum Agrippa rex Ismaelem Phabei filium muneri praeficeret (Ant. XX, 8, 8.). Eo tempore, quo locus vacuus erat, evenerunt ea, quae h. l. leguntur. Ananias ergo tunc temporis non Pontificatum gerebat, sed hanc dignitatem usurpabat. Fusius de hac re *Krebsius* in h. l. disserit. Cf. et *Michaelis* ad h. l. et *Eichhornius* Einl. in d. A. T. P. II. p. 68. ἐπέταξε — στόμα) *Iussit adstantes sibi os Pauli ferire.* Offensus forsan vultus eius constantia, quod vox ἀτενίσας innuit; vel quod liberiore, quam hominis fastus ferret, exordio usus est. Παρεστῶτας, intellige ὑπηρέτας, non quosvis ex adstantibus.

3. Τύπτειν σε μέλλει ὁ θεὸς) *Percutiet*, i. e. *puniet te Deus.* Gravissime peccavit Pontifex, qui, quum ipse captivitatis incommoda sensisset, sensu misericordiae erga captivum non tactus, insuper civi Romano alapas impingi iusserat, quod nec tribunus fuerat ausus. Quo genere mortis ipse tandem perierit, docet

nos Iosephus de B. Iud. L. II, c. 17, §. 9. Quum nempe Sicarii duce Menachemo urbis Hierosolymorum potirentur, Ananias in regiae domus aquaeductu latitans captus est, et a latronibus cum fratre Ezechia interfectus. τοῖχε κεκονιαμένε) *Paries dealbate*, hypocrita, simulator pessime. Sic hominem exteriore apparatu tumentem et vere et eleganter appellavit, ut in Matthaeo Christus Pharisaeos similes esse dixit sepulcris κεκονιαμένοις. Egregia similitudo, ad exprimendos homines impios qui honoris aut commodi caussa pios se simulant. καὶ σὺ κάθῃ κρίνων) *Itane tu sedes iudicans?* i. e. tu iudicem te geris, qui legum auctoritatem defendat? καὶ interrogationibus, quae cum admiratione moventur, praemitti solet. παρανομῶν) *Contra legem agens; wider Recht und Billigkeit.*

5. Οὐκ ἤδειν — ἀρχιερεύς) *Camerarius:* Ironiae manifestum est indicium. In eadem sententia fuit etiam *Phil. Marnixius;* nec alienus ab ea erat *Pricaeus*, addens, οὐκ ἤδειν, significare, *oblitus eram*, *minus animo recolebam meo.* Eidem interpretationi favent *Thiessius* et *Heinrichsius* („eiusmodi ironiam homine probo et integro, me quidem iudice, haudquaquam esse indignam, vid. in *Beiträgen z Bef. der theol. Wissensch. insonderh. der neutestam. Exegese.* B. I. St. 1. no. 2. p. 57. sqq.“). Alii verba excusantis lapsum suum esse putant. *Wetstenius:* οὐκ ἤδειν, i. e. *non cogitavi*, *non satis attente consideravi*, non reputavi. Quasi dixisset: parcite, quaeso, fratres, iustae meae indignationi, si aestuantis animi impetu abreptus liberius aliquid elocutus fuerim, quam oportuit, immemor illius et personae, et officii mei. Agnosco erro-

rem: non debui maledicere Pontifici, quantumvis fecerit non digna suo honore: sed impediit animi ardor, ne ista, ut par erat, attentius cogitarem. Hanc explicationem cum aliis multis probat *Kuinoelius*, qui addit: Hac significatione εἴδω saepius recurrit, vid. Eph. VI, 8. Col. III, 24. al. Contra disputavit *Bornemannus* l. c. p. 365.: „Verum *reputandi* notio quum ab verbo οἶδα ubique abhorreat, et οἶδα locis comparatis si non *novi*, ut certe memini designet, quod tum de rebus, tum de personis usurpetur, nihil obstat, quo minus locum reddamus: *nesciebam esse Pontificem*, *ich wusste nicht, dass es ein. Hohenpr. gäbe*, *dass e. Hoherpr. da wäre.* Non enim dixit ὅτι οὗτος ἐστὶν ὁ ἀρχ., sed ὅτι ἐστὶν (scrib. ἔστιν) ἀρχ. (Ananias enim dignitatem sibi arrogaverat). Etiamsi non nego, illa responsione Paulum se excusare voluisse, non tamen est credibile, acerbam ironiam ab his verbis alienam esse. Neque enim Apostolum latere poterat, iudices, sive illi synedri essent, sive pontifices, tantis conviciis non proscindendos esse, quantis reus eos verberaverat Vs. 3. Cui qualicunque animadversioni si rationem addideris, qua usus Paulus in seqq. Pharisaeos simul et Sadducaeos eluserit, non poterit, opinor, dubitari, quin Pauli mens fuerit h. l. haec: *nesciebam*, *pontificem adesse ibi*, *ubi iudices tantum abest*, *ut secundum leges de reo iudicent*, *ut ipsi legibus invitis verberari reum iubeant.*“ Omnium minime probanda est eorum sententia, qui putant, revera nesciisse Paulum, hunc esse summum Pontificem, quia diu abfuerit Hierosolymis, nec ordinis ratio habita fuerit in tumultuario isto consessu. ἄρχοντα — κακῶς) *Principi populi tui ne maledicas.* Exod. XXII, 27. ubi in Hebraeo est נשיא, quomodo vocari solebat princeps

senatus, quem locum istis temporibus plerumque occupabat sacerdos summus.

6. Γνοὺς — Φαρισαίων) Non deerat Paulo humana etiam prudentia, qua in bonum Evangelii utens, columbae serpentem utiliter miscebat, et inimicorum dissidiis fruebatur. ἐγὼ Φαρισαῖός εἰμι, υἱὸς Φαρισαίου) *Pharisaeus sum*, ex disciplina pristina; et etiamnum, quod attinet ad fidem resurrectionis. Pro υἱὸς Φαρισαίου alii legunt υἱὸς Φαρισαίων, *discipulus Pharisaeorum*, quod vel praeceptores, vel parentes, patrem et avum aut proavos Pharisaeos habuisset. περὶ ἐλπίδος — κρίνομαι) Est ἓν διὰ δυοῖν. Rectum fuerat περὶ ἐλπίδος ἀναστάσεως, *ob spem de resurrectione*. Κρίνομαι, *vocor in ius*, vel potius: *contendo cum adversariis*, nemo enim eum in ius vocaverat, vel accusaverat. Controversia de spe resurrectionis Paulo erat cum Sadducaeis. Non mentitus est Paulus, Pharisaeorum discipulum se dicens; recte tamen notat ad h. l. *Chrysostomus*: πάλιν ἀνθρωπίνως διαλέγεται (Paulus) καὶ οὐ παντα χοῦ τῆς χάριτος ἀπολαύει, ἀλλὰ καὶ παρ' ἑαυτοῦ τι συγχωρεῖται εἰσφέρειν. Voluit nempe in rem suam uti dissidio Pharisaeorum et Sadducaeorum; nec id sine successu fecit, ut patet ex Vs. 7. sqq.

8. Σαδδουκαῖοι — μηδὲ πνεῦμα) Deum esse credebant, sed praeter eum nihil, quod non sensibus perciperetur, non angelos existere, non superesse corporibus animos, ideoque nec fore resurrectionem. τὰ ἀμφότερα) Coniunxit hic opinionem de angelis et de Spiritu, tanquam unam. Cf. *Wineri* Gramm. §. 48, 3. Quod de Sadducaeis et Pharisaeis h. l. refert Lucas,

confirmat Iosephus de B. I. II, 8, 14. Cf. et supra ad IV, 2.

9. Γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων) *Legisperiti factionis Pharisaeorum.* Quaelibet secta habet *literatos* et idiotas; illi solent esse os partis suae. Μέρος h. l. ut saepe, *factionem*, *partem* significat. Διεμάχοντο, *acriter pugnabant*, contentiose agebant, vehementissime contendebant. οὐδὲν — τούτῳ) *Nihil mali reperimus in hoc homine.* Οὐδὲν κακὸν, *nullum facinus*, *malefactum.* Tota quaestio, inquiunt, est dogmatica, et quidem vera hic pronunciavit is, quem accusavistis. Magis tamen ad sua dogmata tuenda, quam ad Paulum defendendum ita locutos esse Pharisaeos, facile apparet. Εἰ δὲ πνεῦμα — ἄγγελος) *Nam si spiritus cum eo aut angelus locutus est.* Apodosis omittitur. Syrus: *quid mali est in hoc?* Plurimi subaudiunt: εὖ ἔχει, *bene se habet.* Vulg. et Aeth. εἰ δὲ vertunt: *quid si*, aut: *quis novit an non?* Dixerat Paulus (c. XXII, 6. sqq.) apparuisse sibi in itinere aliquem, qui cum eo sit collocutus. Fortassis negarunt Sadducaei hoc factum esse vel fieri potuisse; Pharisaei autem affirmarunt. Cf. Io. XII 28. 29. μὴ θεομαχῶμεν) θεομαχεῖν, *cum Deo pugnare*, est, aliquid voluntati divinae adversum moliri. Sed desunt haec verba in libris nonnullis antiquis, Versionibus et Patribus.

10. Εὐλαβηθεὶς — ὑπ' αὐτῶν) *Veritus tribunus, ne Paulus discerperetur ab illis.* Sensus horum verborum, quae irae fervidissimae descriptionem continent, est: *veritum esse tribunum, ne Paulo manus violentae inferrentur.* Διασπᾶν enim, *discerpere*, *di-*

laniare, notat excruciare verberibus aut vulneribus et mutilationibus, vel etiam *occidere*. ἐκέλευσε τὸ στράτευμα καταβῆναι) *Iussit milites descendere* ab Antonia in conclave illud apud templum, in quo senatus habebatur.

12. Συστροφὴν) *Coniurationem*, sicut mox explicatur. Sic συστρέφεσθαι est *conspirare*, *coniurare*, 2 Sam. XV, 31. 1 Reg. XVI, 9. 16. 2 Reg. IX, 14. aliisque locis. Suidas: συστροφή, ἡ ὁμόνοια, καὶ ἡ ἐπὶ κακῷ συμφωνία. ἀνεθεμάτισαν ἑαυτούς) *Execrando*, seu *devovendo se promiserunt*. Voto addiderunt diras, i. e. pessima sibi imprecati sunt, ni id implerent. Recte existimat *Michaelis* ad h. l. fuisse hos ex numero Sicariorum, aemulatorum legis. Pro ποιήσαντές τινες τῶν Ἰουδαίων συστροφὴν, *Griesb.*, *Knapp.* et *Schott.* in textum receperunt: ποιήσαντες συστροφὴν οἱ Ἰουδαῖοι.

13. Οἱ ταύτην τὴν συνωμοσίαν πεποιηκότες) *Qui conspirationem hanc fecerant*. Phrasin hanc habet *Polybius* L. IV, c. 2. de Apelle dicens: ποιεῖται συνωμοσίαν πρὸς τοὺς περὶ Λεόντιον καὶ Μεγαλέαν, *cum Leontio et Megalea coniurationem facit*. Irrita facta illorum Iudaeorum conspiratione a Rabbinis votum solvi poterat, vid. *Lightfootus* Horr. hbr. et Talm. ad h. l.

15. Ἐμφανίσατε τῷ χιλιάρχῳ) *Significate et declarate tribuno*. *Suidas*: ἐμφανίζωσι, φανερῶσιν. σὺν τῷ συνεδρίῳ) i. e. Non vos soli, sed una cum collegis vestris, quo maior significationi sit auctoritas. Sacerdotum principes autem et presbyteri Sadducaeorum sectae fuere addicti. πρὸς ὑμᾶς) Nempe ex Antonia in

conclave, in quo senatus habebatur. ἀκριβέστερον) Exactius, quam in prima cognitione. Solent enim rei per intervalla temporum saepius audiri, sive quod novi aliquid iudici innotuerit, sive ut exploretur, an sibi constent. Praeterea prima cognitio tumultu interpellata est. πρὸ τοῦ ἐγγίσαι αὐτὸν) *Antequam ad vos veniat.* Sed amplius significatur, velle se caedem perpetrare in via, satis longe ab eo loco, in quo senatus habebatur, ne senatus eo nomine argui posset. Apparet ex h. l. quam indignam de se opinionem ipsis Iudaeis iniecerit senatus. Alias enim qui potuissent audere sicarii adire summum magistratum, eumque ad tam indignum facinus perpetrandum in consortium vocare?

16. Ἀκούσας) Rem minus occulte gerebant, non putantes fore, qui rem Paulo aut tribuno deferret.

17. Ἀπάγαγε πρὸς τὸν χιλίαρχον) Prudenter Paulus ipsum iuvenem tribuno mittit, ut aetas eius et simplicitas pleniorem fidem faceret.

19. Ἐπιλαβόμενος δὲ τῆς χειρὸς αὐτοῦ) *Manu prehensum,* ut iis solemus facere quos ex turba abducimus.

20. Συνέθεντο) *Constituerunt*, i. e. convenit inter Iudaeos, s. Iudaei consenserunt. Et sunt Graecis συνθῆκαι, et Attica mutatione ξυνθῆκαι, quae a Latinis vocantur pacta, conventa.

21. Ἐπαγγελίαν) *Mandatum*, i. e. si iubeas Paulum produci. *Hesychius:* ἐπαγγέλλωσιν, κελεύσωσιν. Alii vertunt: *promissum tuum exspectantes.* Exspe-

ctant, ut promittas, daturum te, quod petunt, Paulumque ex παρεμβολῇ educturum.

22. Παραγγείλας — πρὸς με) Transitio ab indirecta oratione ad directam, frequens Hebraeis, sed et aliis Scriptoribus.

23. Δύο τινὰς *Duos, nescio quos.* Sic *Bretschneiderus* in Lex. Alii: *quosdam, circiter duos.* Τὶς enim numeralibus adiectum notat: *fere, circiter, ungefähr, etwa.* Thucyd. VIII, 21. διακοσίους μέν τινας τοὺς πάντας τῶν δυνατῶν ἀπέκτεινε. Ἕως Καισαρείας) *Caesaream* ad Procuratorem, ad cuius forum iam tota haec res pertinere videbatur. καὶ ἱππεῖς ἑβδομήκοντα) Solent peditibus equites attribui qui eis praesidio sint. δεξιολάβους διακοσίους) Satellites, stipatores ducentos. Sive δεξιολάβους legas, sive ex uno codice vetustissimo δεξιοβόλους, non satis certum est, quale militum genus fuerit. Omnes de hac voce sententias et coniecturas *Schleusnerus* in Lexico ita conciliari posse putat, ut dicat, δεξιολάβους fuisse satellites regis, aut tribuni militum, dextra lanceam gestantes, quorum munus fuerit, non solum custodiam corporis regis et tribuni militum agere (παρὰ τὸ λαβεῖν τὴν τοῦ βασιλέως καὶ Χιλιάρχου δεξιάν), sed etiam custodire captivos, quorum dextrae catena alligabantur (παρὰ τὸ λαβεῖν τὴν τοῦ δεσμίου δεξιάν). Syrus vertit: *iaculatores*, Arabs: *sagittarios*, Aeth. Sahid. Vulg. *lancearios.* ἀπὸ τρίτης ὥρας τῆς νυκτός) Frequens est in Syria noctibus iter facere ob calores diurnos. Verum hic consilium hoc eo pertinebat, ne in ipso itinere insidiae fierent, ante deducto Paulo, quam ad coniuratos eius rei notitia perveniret. *Hora tertia* est nostra *nona* post solem occasum.

24. Κτήνη τε παραστῆσαι) *Et iumenta praestare.* Transit oratio a directa ad indirectam, contra quam modo. Vid. ad XIX, 27. ἵνα ἐπιβιβάσαντες — τὸν ἡγεμόνα) *Ut imponentes Paulum* (iumento) *incolumem ad Felicem perducerent.* Sic Iosephus A. II, 6, 9. οἵσγε πρὸς τὸν πατέρα μὴ ἔξεστιν ἀνασωθῆναι μόνοις, *nobis solis non licet redire ad patrem incolumes.* Quum hic Felix *Procurator* tantum Iudaeae fuerit, ne quis nomine ἡγεμόνος ductus, suspicetur, *Praesidem* fuisse, tenendum est ἡγεμόνα dici h. l. qui proprie nominetur ἐπίτροπος. Nam Iosephus tribuit et propria voce τὸ ἐπιτροπεύειν, et de B. I. II, 13. hunc Felicem vocat Ἰουδαίας ἐπίτροπον. *Felix* hic fuit libertus Antoniae matris Claudii imperatoris, frater *Pallantis*, eiusdem Antoniae liberti (Plin. H. N. XXXIII, 10.), qui apud *Claudium* omnia potuit. Tacitus Hist. V, 9. *Claudius, defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Iudaeam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit e quibus Antonius Felix, per omnem saevitiam ac libidinem, ius regium servili ingenio exercuit.* Fuit trium reginarum maritus teste *Suetonio* in *Claudii* vita, c. 28. quod intellige non eodem tempore; sed alia mortua duxit aliam: et reginas intellige regum filias et neptes, quomodo *Antigone* et *Electra* ἄνασσαι apud Tragicos. Harum reginarum una fuit *Drusilla*, infra nominata, c. XXIV, 22. *Agrippae* regis soror.

25. Γράψας — τύπον τοῦτον) *Scribens epistolam, quae hanc continebat*, s. *habebat formam;* aut brevius: *scribens epistolam in hanc formam*, hoc tenore, ut loquitur Cicero. Τύπος, omnino *integram formam*,

s. ut vulgo dicunt, *extensum epistolae* significat. Sic 3 Macc. III. 30. de epistola Ptolomaei, quae integra ibi praemissa est, dicitur: καὶ ὁ μὲν τῆς ἐπιστολῆς τύπος οὕτως ἐγέγραπτο, *et ita forma epistolae*, s. *epistola ipsa conscripta erat.* Alii τύπος h. l. vertunt *argumentum* epistolae. „Voc. τύπος, ait *Kuinoelius*, usus est Lucas, ut ostenderet, se non accurate verba, sed argumentum tantum epistolae memoriae mandasse. Ipsam epistolam in Pauli manus incidisse, parum probabile est, sed argumentum Lucas cognoscere potuit, quum ipse Paulum Caesaream secutus sit (XXVII, 1. 2) ab hoc illove, qui Procuratori familiaris esset.“ Περιέχειν τύπον idem valet, ac ἔχειν τύπον.

27. Καὶ μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν) i. e. *quum iam prope esset, ut ab eis interficeretur.*

29. Μηδὲν δὲ — ἔχοντα) Nullum criminis reum, quod Romanae leges morte puniant, aut vinculis coërceant: non signiferum rebellionis, non homicidam, non seditiosum. Ἄξια θανάτου dicuntur, *quae mortem merentur*, Ἔγκλημα ἔχειν h. l. idem est quod ἐγκαλεῖσθαι, *accusari.* Sic Appian. de bello Annib. Claudiam Quintiam μοιχείας ἔγκλημα ἔχουσαν ἔτι ἄκριτον, *adulterii accusatam, nondum cognita caussa.*

30. Μηνυθείσης — ἔσεσθαι) Sermonem ita incepit, quasi dicturus esset μελλούσης: dixit autem μέλλειν quasi praecessisset: μηνυθέντος δέ μοι ἐπιβουλήν. Ita saepe constructio fit ad sensum magis, quam ad verba.

31. Εἰς τὴν Ἀντιπατρίδα) *Obadias de Bartenora* notat, esse locum ultimum in finibus Iudaeae. *Hiero-*

nymus Epitaph. Paulae: *Deinde* (a Caesarea) *Antipatrida, semirutum oppidulum, quod de patris nomine Herodes vocaverat et Lyddam versam in Diospolim.* Saepe huius urbis meminit *Iosephus* e. g. Ant. XVII, 15, 1. XVI, 5, 2. de B. I. II, 19, 1. IV, 8, 1.

32. Ὑπέστρεψαν εἰς τὴν παρεμβολήν) Reversi sunt in Antoniam, sc. pedites. Neque enim opus tam multis erat, quum iam longius abitum esset ab Hierosolymis, ubi erant coniurati. Adversus vulgaria itinerum pericula sufficiebat equestre praesidium.

33. Οἵτινες) Hoc ad remotius, i. e. ad equites referendum.

34. Ἐκ ποίας ἐπαρχίας ἐστί) *Ex quanam provincia esset?* Ἐπαρχία est *provincia* etiam infra XXV, 1. Plutarch. Catone: ἔλαχε τῶν ἐπαρχιῶν ἣν ἐντὸς ἱσπανίαν καλοῦσιν οἱ ῥωμαῖοι.

35. Διακούσομαί σου) *Attente te audiam, et causam tuam cognoscam.* Plutarch. Cic. Ἀντιόχου τοῦ Ἀσκαλωνίτου διήκουσεν. Pericl. διήκουσε — Ζήνωνος. ἐν τῷ πραιτωρίῳ τοῦ Ἡρώδου) Ita dicto, quod ab Herode exstructum esset. *Praetorium* a praetore Romano, i. e. imperatore nomen habet; sed, ut fieri solet, coepit proferri latius eius vocis usus ad omnes domos virorum illustrium.

CAP. XXIV.

1. Μετὰ δὲ πέντε ἡμέρας) Hi quinque dies numerandi sunt ab eo die, quo Hierosolymis Caesaream deductus erat Paulus. Vid. not. ad Vs. 11. Venit igitur

Ananias cum ceteris accusatoribus Caesaream, sine dubio certior factus per Chiliarchum Lysiam. Καὶ ῥήτορος Τερτύλλου τινὸς) Homine Romano, qui et linguam Romanam, et actionum formulas melius nosset. Graecis ῥήτωρ est orator, et caussae patronus. Latini eam vocem graecam magis de dicendi magistris usurpant, quos Graeci σοφιστὰς vocant. Causarum patroni aderant in omnibus Rom. imperii provinciis, quia, quicunque causam habebat apud forum aliquod Rom., certis quibusdam iuris Rom. formulis debebat uti. Earum ergo quia expertes erant Iudaei optime sibi consultum putabant opem causidici Romani implorando ἐνεφάνισαν — Παύλου) *Indicium Procuratori fecerunt contra Paulum*, i. e. *accusarunt Paulum apud Procuratorem.* Ἐμφανίζειν saepe apud Iosephum aliosque est pro *indicare aliquid ita, ut cum alterius accusatione sit coniunctum*; e. c. Ant. XIV, 10, 8. eodem cap. §. 12. et cap. XI, §. 4. Ἐμφανίζειν autem κατά τινος, eadem constructione dictum est, qua Rom. VIII, 33. τίς ἐγκαλέσει κατ' ἐκλεκτῶν τοῦ θεοῦ.

2. Κληθέντος δὲ αὐτοῦ) i. e. *adduci iusso*; nam sub militari custodia servabatur.

3. Πολλῆς — προνοίας) *Quod multa pace per te fruimur, quodque per tuam curam huius nationis res sint bene institutae*, id agnoscimus etc. Captat Rhetor mercede conductus benevolentiam Procuratoris, *cuius providentia et pax ipsis contingeret, et praeclare administraretur provincia.* Εἰρήνην intellige de tranquillitate illarum regionum procurata a Felice. Verbum κατορθῶσαι significationem habet perfectionis, et

rei bene ac praeclare gestae. Polybius L. I. ὡς δι' αὐτὸν καὶ διὰ τὴν ἰδίαν πρόνοιαν κατορθωκώς, *quasi ipse per se et sua providentia rem bene gessisset.* Cicero de fin. III, 7. *quae autem nos aut recta, aut recte facta dicamus, si placet, illi autem appellant* κατορθώματα, *omnes numeros virtutum continent — rectum factum est* κατόρθωμα *ad mentem Stoicorum.* Τῷ ἔθνει τούτῳ *est genti Iudaeorum.* Laudem, quam hic Tertullus tribuit Felici, eandem et Iosephi narrationes ei tribuunt. Sic v. c. Iudaeam latronibus impostoribusque repletam et infestatam cura sua virtuteque liberavit, teste Iosepho XX, 8, 5. Aegyptium illum Pseudoprophetam, res novas molientem, eiusque asseclas vi armisque repressit, l. c. § 6. seditionem, quae inter Iudaeos Caesareenses et Syros gravissime exarserat, restinxit, multaque alia facinora egregia, commodo Iudaeorum, perpetravit. Cf. eundem de B. I. II, 13, 2. Sed idem *Felix* multa iniuste et crudeliter egit, testibus *Iosepho* (Ant. XX, 8, 5.), *Tacito* (Histor. L. V, c. 9. Ann. XII, 54.), *Suetonio* (in Vita Claudii c. 28.) et aliis. Vid. et not. ad XXIII, 2. πάντῃ τε καὶ πανταχοῦ ἀποδεχόμεθα) *Semper et ubique agnoscimus*, vel laudamus. Haec enim elegantissima est τοῦ ἀποδέχεσθαι notio, *Iosephus* A. VI, 14, 4. Δίκαιον δὲ ἀποδέξασθαι τῆς φιλοτιμίας τὴν γυναῖκα, *convenit autem, laudare mulierem ob prolixam liberalitatem.* Unde ἐπαινεῖν et ἀποδέχεσθαι apud eundem tanquam Synonyma iunguntur, A. VII, 1, 2. ibid. 2, 2. aliisque locis. Πάντῃ τε καὶ πανταχοῦ, *semper et ubique.* Quod nunc facimus praesenti tibi, inquit Tertullus, id etiam de absente praedicamus. Non in os solum laudamus.

4. Ἵνα δὲ — ἐγκόπτω) *Ne te pluribus morer*; aut, *ne pluribus tibi molestus sim.* Est et hoc inter rhetorica artificia, polliceri se brevem fore, praesertim apud occupatos. συντόμως, sc. λεγόντων, *quae paucis dicturus sum.* Loquitur ita Tertullus ut ad hominem multis negotiis districtum, et ut meliorem iniquae caussae colorem superduceret. τῇ σῇ ἐπιεικείᾳ) *Ea humanitate, qua soles.* Solent coniungi ἐπιείκεια et πραότης. Intelligitur hic facilitas et patientia in audiendo.

5. Εὑρόντες — λοιμὸν) *Deprehendimus scilicet hunc virum pestilentem, noxium.* Particula γὰρ in orationis initio eleganter adhibetur, et reddenda est *scilicet*, *nempe.* Participium vero εὑρόντες scil. ἐσμὲν pro ἔυρομεν positum est; qui Participiorum usus, etsi Hebraeis est familiarissimus, non ita tamen proprius, quin apud Graecos etiam inveniatur. Apta vero etiam est *Bornemanni* interpretatio, qui verbum εὑρόντες accipiendum praecipit pro Nominat. absoluto, trahendo ad καὶ ἐκρατήσαμεν, Vs. 6. Vertit igitur: *nam deprehendentes hominem — custodiae tradidimus.* Inchoatam ut constructionem Lucas abrumperet, effecisse imprimis illud ὃς καὶ τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι. Λοιμὸν) λοιμὸς pro λοιμώδης vel λοιμικὸς, ut lat. *pestis* pro *pestifer.* Homines *noxios* λοιμοὺς, *pestes* s. *pestilentes* vocant Graeci. Sic etiam Cicero dixit: *pestem civitatis*, pro Rabirio; *pestem patriae*, pro Sestio; *pestes imperii*, pro Deiotaro. πρωτοστάτην) *Principem et antesignanum.* πρωτοστάτης, qui primus stat, primo loco, potissimum in acie, *dux*, ordinem ducens; tum, ut lat. *dux*, i. e. *auctor rei.* Quare sic vocantur, qui in arte, qui in convivio, qui in iudicio aut re quavis alia pri-

marium locum obtinent. τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως) *Nazaraeorum sectae.* Ita in Iudaea vocabantur, qui extra Iudaeam Christiani, nempe a Domino ipsorum, Iesu Nazareno. Et sic hodie quoque Iudaei et Muhamedani Christianos appellant. Ceterum, ut Procuratorem Paulo iniquiorem redderet, a seditione accusationis initium Tertullus fecit; quum tamen seditiones non a Paulo, neque ab ipsius asseclis, sed a Iudaeis ipsis contra Paulum concitatae essent.

6. Ὃς καὶ — βεβηλῶσαι) Introductis alienigenis. Falsum crimen. Κρίνειν, *punire*, cf. ad VII, 7. Tota particula: καὶ κατὰ — ἐπί σε (Vs. 8.) a plerisque codd. graecis penitus abest; in aliis est multa lectionis varietas. Si locus omittitur, sensus non est integer. Quum haec particula in versione Syriaca et latina vulgata legatur, videtur aliquid excidisse ex hoc loco, quod deinde lectores satis antiqui supplerent. A Lucae manu haec verba non esse videntur. Vid. *Morus* ad h. l.

7. Μετὰ — ἀπήγαγε) Elliptice, pro: ἐκ χ. ἡ. ἁρπάζων, ἀπήγαγε, quem sensum respexit Latinus, dum vertebat: *eripuit eum.*

8. Παρ' οὗ) *A quo*, nempe Paulo. ἀνακρίνας) Quaestione habita. Syrus intelligit quaestionem per tormenta. Sed Tertullus non ignorare potuit, de cive Romano quaestionem per tormenta haberi non posse. Alii, qui verba praecedentia genuina esse censent, illud παρ' οὗ ad Lysiam referunt, de quo ante sermo fuit. Ipsum enim Felicem oratoris verba de Lysia intellexisse, docere Vs. 22. Ceterum summam tantum huius orationis Lucam exhibuisse non est quod dubitemus.

9. Συνέθεντο) *Assenserunt* s. *confirmarunt.* Sic plerique vertunt hanc vocem. Sed συντιθέναι, *componere*, in Medio est *pactum inire*, *convenire de aliqua re.* Igitur praeferenda esse videtur συνεπέθεντο, quam lectionem plerique Codd. habent. Verbum autem συνεπιτίθημι, et in Medio συνεπιτίθεμαι significat: *aggredior alterum*, *hostiliter aggredior.* Sensus est: Simul Iudaei Paulum una cum Tertullo aggressi sunt (accusando).

10. Νεύσαντος αὐτῷ τοῦ ἡγεμόνος λέγειν) *Quum Procurator signum nutu dedisset, ut ipse responderet.* ἐκ πολλῶν ἐτῶν) Si Iosepho credimus, *Cumano* successor datus est, anno Iul. 97. et nunc annum agebat sextum in provincia. A. XX, 6, 3. Notandum est autem, uno tempore *Cumanum* et *Felicem* administrasse regnum Iudaeae, quod antea Agrippa pater obtinuerat, adeo, ut *Cumanus* Iudaeae et Galilaeae, *Felix* autem Galilaeae Transamnanae, quae, teste Iosepho, Iordane et Coelesyriae Philadelphiaeque montibus includeretur, Procurator esset. Sed *Cumano* damnato, Felix Iudaeae et Galilaeae quoque administrationem accepit, adeo, ut ex eo inde tempore non solum Galilaea Transamnana, quam antea iam Procurator obtinuerat, sed Iudaea etiam ipsius ditioni subiecta pareret. Ios. A. XX, 7. de B. I. II, 12, 8. Κριτὴς h. l. non tam sensu graeco est *iudex*, quam potius significatione hebraizante (שפט) *rector*, *magistratus populi*, nominatim Procurator. Εὐθυμότερον — ἀπολογοῦμαι) *Alacrius*, vel ut Vulgatus reddit, *bono animo pro me ipso caussam dico.* Non ut Tertullus, mercede conductus, quamcunque caussam, etiam deteriorem defendo: sed, quod

aequissimum est, pro me ipso verba facio. Noverat Felix tum experientia propria, tum historia gentis eiusque Procuratorum edoctus, quam proni ad seditionem essent Iudaei.

11. Δυναμένου — ἐν Ἱερουσαλὴμ) *Quum tu possis cognoscere, non esse nisi duodecim dies, ex quo ad sacra facienda veni Hierosolyma.* ἡμέραι δεκαδύο) Plures autem utique dies exire videntur: *unus* adventus Pauli Hierosol. XXI, 15 — 17.; *unus*, quo convenit Apostolos XXI, 18.; *septem*, quibus in castimonia vixit XXI, 26. 27.; die castimoniae septimo paracta sunt quae narrantur XXI, 27. — XXII, 29.; *unus*, quo sistitur coram synedrio XXII, 30. — XXIII, 10.; *unus*, quo insidiae ei structae erant XXIII, 11 — 31.; *unus*, quo Caesaream erat deductus XXIII, 31. sqq.; *quinque* usque ad adventum accusatorum XXIV, 1., quibus cunctis efficitur summa 17 dierum. Sed probabile est, Paulum intelligere non nisi eos dies, quos in urbe Hierosol. degerat, quibus inde a Cap. XXI, 15. usque ad XXIII, 31. computaveris, exeunt dies 11 vel 12, ergo οὐ πλείους δεκαδύο. „Et par erat, inquit *Heinrichsius*, Paulum Caesareae coram Felice stantem nonnissi de illis diebus loqui: namque id agit, ut ostendat Felici, se nullam seditionem movisse; quam Hierosolymis quidem, inscio Felice, movere potuisset, sed haudquaquam Caesareae, ubi a Felice custodiebatur: superfluum ergo fuerat, et de illis diebus, quibus Caesareae iam fuerat, loqui.“ Alii contra rerum naturam ordinemque narrationis *quinque* illos dies Vs. 1. ab eo termino computant, quo Paulus Hierosolymis in vincula erat coniectus, ut adeo accusatores Pauli Caesaream se-

quenti die post illius adventum venissent; de qua re in Lucae narratione nullum deprehenditur vestigium.

12. Καὶ οὔτε — διαλεγόμενον) Nempe de rebus ad religionem pertinentibus; multo minus sermones ad seditionem spectantes habui. Totius Vs. sensus: Intra illud vero tempus *me neque in templo deprehenderunt cum quoquam disputantem, aut plebis seditionem sive in synagogis, sive in urbe moventem.* Ἐπισύστασις, proprie *congregatio multorum hominum eodem loco, concursus*, deinde etiam, ut hic, concursus seditiosus. Ποιεῖν ἐπισύστασιν, *concursum facere, ad seditionem concitare.*

13. Οὔτε — κατηγοροῦσι μου) *Neque demonstrare possunt, de quibus me accusant.* Eorum quae obiiciunt mihi nihil probare possunt. Subaudi: ταῦτα, περὶ ὧν κατηγοροῦσι. Παραστῆσαι, *clare et liquido demonstrare et ob oculos ponere.* Sic apud Ioseph. A. IV, 3, 2. VIII, 2, 5.

14. Κατὰ τὴν ὁδὸν, ἣν λέγουσιν αἵρεσιν) *Secundum religionem eam, quam vocant sectam.* Profiteor, me doctrinae Iesu Nazaraei esse addictum; quae tamen nullo modo est αἵρεσις dicenda, quippe quae cultum servat Dei Iudaeorum patrii, et fidem habet omnibus, quae in libris Iudaeorum sacris scripta leguntur, etc. Sectae appellationem Paulus corrigit, non quod tum esset odiosa, sed quod non satis digna. οὕτω λατρεύω) οὕτω referendum ad ea quae sequuntur, quibus explicatur summa religionis, cuius se sectatorem profitetur. τῷ πατρῴῳ θεῷ) Magna erat gentilium erga θεοὺς πατρῴ-

ους, *Deos patrios*, religio, per quos etiam praecipue iurare solebant. Sic Demosthenes de *corona* iurat per *τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον, ὃς πατρῷός ἐστι τῇ πόλει*, *Apollinem Pythium, qui urbi* (Athenis sc.) *patrius est.* Sapienti vero Apostolus agebat consilio, dum contra obiectam sibi haeresin Vs. 5. se Dei patrii cultu, et legis atque prophetarum obsequio tuebatur. Invisum quippe erat gentilibus, si quis se peregrinis aut Diis aut Deorum cultibus addiceret. Praeterea Iudaeis per multa Imperatorum inferiorumque magistratuum decreta et senatus consulta sancita erat potestas, *Deum patrium* colendi. Brevissima igitur via, qua Christiani Romanos magistratus sibi conciliare, et cultus sui libertatem consequi poterant, haec erat, ut se eundem cum Iudaeis Deum colere, et iisdem libris sacris fidem praestare et obsequium assererent.

15. Ἐλπίδα — ἀδίκων) *Habens spem in Deum, quam et ipsi habent, futuram esse resurrectionem piorum et impiorum.* Etiam hoc erat verum de plerisque Iudaeis, exceptis Sadducaeis. Quod multi Pharisaeorum resurrectionem impiorum negarent (Ioseph. Ant. XVIII, 2. B. J. II, 7.), inferioris aetatis inventum videtur *Knappio* Opusce. p. 315. Certe Pauli tempore Pharisaei in defendenda *ἀναστάσει δικαίων καὶ ἀδίκων* cum Christianis consenserunt. Vid. c. XXIII.

16. Ἐν τούτῳ — διαπαντός) *Propter hoc*, i. e. propter hanc fiduciam, *exerceo me, ut inoffensam habeam conscientiam respectu Dei et omnium omnino hominum*, i. e. ut perpetuo habeam animum, nullius male facti erga Deum vel homines sibi conscium. Ἀπρόσ-

κοπος est is, qui ita vivit, ut nemo eius vita possit offendi. Quum autem conscientia nostra sit iudicium de nostra vita, quo homines alii offendi non possunt, erit hoc loco intelligenda notio adiuncta probitatis, ut conscientia ἀπρόσκοπος sit conscientia bona, conscientia recte factorum. Ἀσκῶ, *exerceo*, nempe memet ipsum, quod apud Hellenistas saepe subauditur, quia Hebraei saepe pro reciprocis usurpant modo activa, modo passiva.

17. Δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων) *Post aliquot annos.* Sic διὰ habemus Gal. II, 1. et alibi. Postquam multi anni elapsi erant, ex quo tempore non fueram Hierosolymis, rursus eo veni. παρεγενόμην) *Veni Hierosolyma.* Eleemosynarum perferendarum caussa profectus erat Hierosolyma. 1 Cor. XVI, 1 — 14. 2 Cor. VIII. IX. Rom. XV, 25 — 27. 31. Non igitur nocere, sed prodesse voluit. Quod obtulerit victimas, commemorat ideo, quod haec res occasio tumultus fuit.

18. 19. Ἐν οἷς — Ἰουδαῖοι) *In quibus dum occupor, offenderunt me in templo in castu viventem, nulla cum turba, nullo cum tumultu, Iudaei quidam Asiatici.* Ἐν οἷς) *In quibus*, sc. rebus, studiis. In quibus dum occupor. ἡγνισμένον) Vid. supra XXI, 24. 26. Δὲ multi codd. recte omittunt. Verba: τινὲς ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι, coniungenda sunt cum antecedentibus, nempe cum verbo εὗρον (Vs. 18.). Οὓς ἔδει — πρός με) *Hos oportebat coram te apparere et accusare, si quid haberent adversus me.* Illi Iudaei Asiatici erant testes αὐτόπται, hinc Paulus eos abesse queritur. Pro ἔδει in Codd. haud paucis legitur δεῖ.

Prius, observante *Matthaeo*, lenius et humanius est; posterius eius est, qui iure suo, quae iusta sunt, postulat. Lectionem δεῖ probant *Wetsten.* *Griesb.* al., in ordinem receperunt *Bengelius* et *Matthaeius.*

20. Ἢ αὐτοὶ οὗτοι) *Aut hi ipsi*, nimirum accusatores mei, de quibus comm. 1. Illud autem εἰπάτωσαν est ex illa caussae fiducia, quam reis solet sufficere bona conscientia. Part. εἰ ante τί in praestantissimis libris abest. Quare rectius τί interrogative legitur.

21. Ἢ περὶ—ὑμῶν) Nisi hoc crimen esse volunt, quod palam professus sum, credere me, mortuos a Deo posse resuscitari. Ipse Pontifex M. Ananias Sadducaeorum sectae addictus fuisse videtur. Vid. supra XXIII, 6. sqq.

22. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Φῆλιξ, ἀνεβάλετο αὐτούς) Meliores codices habent: ἀνεβάλετο δὲ αὐτοὺς ὁ Φῆλιξ, omissis verbis ἀκούσας ταῦτα. Sensus idem est. *Ampliavit eos Felix*, i. e. distulit in aliud tempus caussae huius cognitionem. Loquitur sic Cicero pro *Caecina* et tertia *Verrina.* Solemnis vox iudicis differentis ulteriorem caussae cognitionem erat: *Amplius*, sc. cognoscendum. ἀκριβέστερον εἰδὼς — καθ' ὑμᾶς) Fuerunt, qui verterent: *Quamquam accuratius norat, quam accusatores retulerant, quae ad doctrinam christianam pertinerent* etc. Alii verba ἀκριβέστερον — ὁδοῦ cum oratione Felicis coniungunt, et εἰπὼν per traiectionem explicant, hoc sensu: *Quando, inquit, accuratius cognovero, quae ad religionem christ. pertineant, et Lysias huc venerit, tum causam istam*

terminabo. At vero quum ista verbi εἰπὼν traiectio violenta sit, cum *Schotto*, *Bornem.* et *Kuinoel.* hic locus vertendus est: *Quum accuratius, quae ad religionem christ. pertinerent, cognovisset, distulit causam in aliud tempus.* Enimvero (verbis utor *Bornemanni*) accusatorum Paulique orationibus cognitis Felix, quum, quid sibi vellent Pauli verba Vs. 14. κατὰ τὴν ὁδὸν, ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, non satis assecutus esset, sive ex Sadducaeis, sive ex Paulo ipso, quid hoc rei esset, accuratius percontatus dixit: *simulac Lysias advenerit, illorum se causam diiudicaturum esse.* Quodsi quaeras, quidni Lucas illorum verborum interpretationem, quae Procuratori scitu esset necessaria, adiecerit, eius rei causa sine dubio in eo posita est, quod Christianorum lectorum, de doctrina Evangelica sermonem esse latere potuit neminem. — Ceterum aut Lysias Caesaream non venit, aut Felix promissis non stetit.

23. Τηρεῖσθαι — προσέρχεσθαι αὐτῷ) *Iussit asservari Paulum, sed liberaliter et laxe asservari, nec quemquam suorum prohiberi, ipsi ministrare, eumque adire.* Vox ἄνεσις *relaxio, remissio*, non vinculis tantum, sed et rigidiori custodiae opponitur. Sic Ioseph. Antiqq. XVIII, 6, 10. de Agrippa post Tiberii excessum non amplius in carcere, sed suis aedibus custodito: φυλακὴ μὲν γὰρ καὶ τήρησις ἦν, μετὰ μέντοι ἀνέσεως τῆς εἰς τὴν δίαιταν. — Ἴδιοι h. l. sunt *populares, Pauli doctrinae addicti, familiares.* Ὑπηρετεῖν, *necessaria ad victum suppeditare*, fere i. q. διακονεῖν. Verba ἢ προσέρχεσθαι Codd. et Verss. haud pauci omittunt.

24. Σὺν Δρουσίλλῃ — Ἰουδαίᾳ) *Cum Drusilla, uxore sua*, Paulum audiendi cupida. Duas Drusillas Felix uxores habuit; alteram Iudaeam, de qua hic sermo, Agrippae maioris filiam; alteram Romanam, Antonii et Cleopatrae neptem; de qua Tacitus, Hist. Liv. V, c. 9. Quam autem prius secum habuerit, adhuc dubitatur. *Graevius* ad Sueton. Claud. c. 28, suspicatur, Drusillam Antonii neptem diem obiisse antequam Felix venerit in Iudaeam, ibi vero duxisse Drusillam Agrippae. Hanc ipsam, Herodis Agrippae maioris filiam, Azizo, Emesorum regi nuptam, nefariis artibus a marito abduxit, sibique uxorem adscivit; de qua re Iosephus XX, 7, 2. Vid. et not. ad VIII, 9.

25. Ἔμφοβος γενόμενος) *Expavefactus;* metuens sibi, si res sic se haberet; conscius sibi vitae flagitiosae. Non erat *iusti* hominis, servili ingenio, i. e. *per omnem saevitiam ac libidinem exercere ius regium*, quod de *Felice* dicit *Tacitus* Hist. Lib. V, c. 9. nec erat *continentis*, a marito nolente uxorem abducere. τὸ νῦν ἔχον πορεύου) *In praesentia (für jetzt)*, ut nunc se res habet, *abi.* Sic Maximus Tyrius *Dissert.* 8. *Rectene an contra haec fecerit Socrates, inquirere ἀναβησόμεθα σμικρὸν ὅσον τὸ νῦν ἔχον, paululum in praesentia differemus, Aristeas* de 70. interpret. καταλήξω τὸ νῦν ἔχον, *in praesenti finem faciam.* Sic et alii. καιρὸν δὲ μεταλαβών) *Opportunitatem* s. *tempus opportunum autem nactus.* Sic Polybius L. II, c. 16. μεταλαβόντες δὲ καιρὸν ἁρμόττοντα, *opportunum vero nacti tempus.*

26. Ἅμα καὶ λύσῃ αὐτὸν) *Simul vero etiam sperabat, sibi pecuniam a Paulo pro redimenda liber-*

tate datum iri. Nempe et quia civem Romanum esse intellexerat, et principem sectae multorum millium. Quamquam enim lege Iulia, de repetundis, prohibitum erat, *ne quis ob hominem in vincula publica coniiciendum — neve vinculis dimittendum aliquid acciperet* (Dig. Lib. 48. 11. 7.); hanc tamen legem Procuratores Romani non magnopere curabant, sed dimittebant captivos, ob leviores praesertim causas in vincula coniectos, accepta pecunia. Ὁμιλεῖν, *cum aliquo versari*, sermones habere. Verba ὅπως λύσῃ αὐτὸν, a pluribus Codd. et Verss. omissa, valde suspecta sunt.

27. Διετίας δὲ πληρωθείσης) *Biennio autem peracto*, nempe ex quo Paulus Caesareae in custodiam traditus erat. Durante hac captivitate plerasque epistolas scripsit, in quibus se religionis christianae caussa in vinculis esse dicit. Ἔλαβε — Φῆστον) Ioseph. A. XX, 8, 9. et de B. I. II, 14, 1. idem tradit. Θέλων τε χάριτας καταθέσθαι τοῖς Ἰουδαίοις) *Quum vellet gratiam a Iudaeis inire.* Paulo accuratius tamen καταθέναι χάριν explicatur: *gratificari alicui, ut mutuum ab eo beneficium expectes, beneficium depositi vice apud aliquem collocare.* Xenoph. Cyrop. L. VIII. *Regnum equidem minime admitterem, χάριν δ' ἀνδρὶ ἀγαθῷ καταθέσθαι δεξαίμην ἄν, gratiam vero locare apud virum bonum admitterem.* Moris erat magistratibus, ut discedentes e provinciis incolas beneficiis sibi devincire studerent. Referre volebant eam ab incolis gratiam, ne accusationibus suis et querelis eos Romam sequerentur; quod nihilominus evitare non potuit Felix. *Iosephus* Ant. XX, 8, 9. Πορκίου δὲ Φήστου διαδόχου Φήλικι πεμφθέντος ὑπὸ Νέρωνος, οἱ πρωτεύοντες

τῶν τὴν Καισαρείαν κατοικούντων Ἰουδαίων εἰς τὴν Ῥώμην ἀναβαίνουσιν, Φήλικος κατηγοροῦντες. καὶ πάντως ἂν ἐδεδώκει τιμωρίαν τῶν εἰς Ἰουδαίους ἀδικημάτων, εἰ μὴ πολλὰ αὐτὸν ὁ Νέρων τ' ἀδελφῷ Πάλλαντι παρακαλέσαντι συνεχώρησεν, μάλιστα δὲ τότε διὰ τιμῆς ἔχων ἐκεῖνον.

CAP. XXV.

1. Φῆστος οὖν ἐπιβὰς τῇ ἐπαρχίᾳ) *Quum igitur Festus in provinciam pervenisset.* Quum Iudaea ex eo provinciarum genere fuerit, quae a *Procuratoribus* tantum administrarentur, ei non tam vox ἐπαρχίας, quam potius ἐπιτροπῆς, convenire videtur. Sane Iosephus XX, 11. 1. Praefecturam administrationemque Iudaeae ἐπιτροπὴν vocat; accurate sane, et voce maxime propria. ἐπαρχίαι appellabantur provinciae ampliores, in quas mittebantur *Propraetores*, qui et *legati Caesaris* audiebant, ἀντιστρατηγοί, ἡγεμόνες, et *Proconsules*, ἀνθύπατοι. Sed, uti apud Latinos vox *Praesidis* de omnibus in universum provinciarum Gubernatoribus interdum sumitur; sic apud Graecos ἔπαρχοι et ἐπαρχία de cuiuscunque provinciae Praesidibus et administratione adhibetur. Sic Iosephus hunc ipsum Festum, quem probe sciebat proprie ἐπίτροπον nominandum esse, tamen ἔπαρχον dicit XX, 8, 11. Notandum est porro, hos Procuratores in Iudaeam fuisse missos post mortem Agrippae Magni, de quo supra c. XII. Quum enim hic esset mortuus, et filium vix septendecim annorum, Agrippam minorem, reliquisset; Claudius, quum, ami-

corum et libertorum consiliis edoctus, periculolosum iudicaret, adolescentulo, qui nondum ex ephebis excessisset, tantae magnitudinis regnum committere, Fadum misit, qui Iudaeae, totiusque regni praeses esset, de qua re Iosephus XIX, 9, 2. de B. I. II, 11, 6. Et quanquam postea Agrippa minor, quum ad imperii maturitatem pervenisset, a Claudio tetrarchiam Philippi, et Batanaeam, una cum Trachonitide et Abila accepisset; tamen Iudaea eius ditioni potestatique non subiecta est, sed a Procuratoribus administrata. Ioseph. XX, 7, 1. εἰς Ἱερουσαλήμ) Bene *Heinrichsius:* Non quidem, ut quae pertinebant ad Pauli causam exploratius ibi pernosceret: tanti enim ea non videbatur momenti: sed ut urbem capitalem inviseret, conveniret gentis nobiliores etc.

2. Ἐνεφάνισαν — Παύλου) Hic quoque ἐμφανίζειν *deferendi, accusandi* notionem habet, ut supra c. XXIV, 1. Commate 5. κατηγορεῖν dicitur, quod h. l. ἐμφανίζειν. Ὁ ἀρχιερεύς) Ismael tunc temporis pontificatum gerebat, vid. ad XXIII, 2. Plurimi autem h. l. Ananiam intelligunt, acerbissimum illum Pauli adversarium. Pro ἀρχιερεύς alii Codd. exhibent ἀρχιερεῖς (probante *Griesbachio*), quam lectionem *Vaterus* et *Kuinoelius* e Vs. 15. in hunc locum venisse putant. καὶ παρεκάλουν αὐτόν) *et rogabant eum*, precibus eum adibant.

3. Αἰτούμενοι — Ἱερουσαλήμ) *Petentes, ut in hoc ipsis gratificaretur, et Paulum accerseret Hierosolyma.* αἰτεῖσθαι χάριν κατά τινος, expetere sibi gratiam, quae vertit in alterius detrimentum. ἐνέδραν — ὁδόν) *Insidias tendentes, ut interficerent eum in via;* clandestina sicariorum usuri opera.

4. Ἀπεκρίθη - Καισαρείᾳ) i. e. Bene eum ibi servari, nec quicquam caussae esse, cur transferretur, quum ibi non minus, quam Hierosolymis accusari possit. Romani Praesides non semper in una urbe ius dicebant, sed ubicunque erant. ἐκπορεύεσθαι) Hierosolymis nempe Caesaream.

5. Οἱ δυνατοὶ οὖν ἐν ὑμῖν) *Qui inter vos auctoritate, dignitateque praestant*, ut οἱ δυνατοὶ iidem sint, qui infra Vs. 15. οἱ ἀρχιερεῖς et οἱ πρεσβύτεροι vocantur. Hac notione haec vox quum apud alios Auctores, tum apud Iosephum frequentissime occurrit, e. g. A. XII, 4, 3. κατ' ἔτος δὲ ταῦτα (τέλη) τοῖς δυνατοῖς τῶν ἐν ἑκάστῃ πόλει ἐπίπρασκεν ὁ βασιλεύς. *Rex cuiusque urbis potentissimis vectigalia vendebat*, ubi δυνατοὶ iidem sunt, qui cap. eodem §. 1. dicuntur οἱ ἐπίσημοι, *principes in patria*. Paulo post §. 4. iidem δυνατοὶ dicuntur οἱ τοῖς ἀξιώμασι ἐν ταῖς πατρίσι διαφέροντες, *qui in patriis suis dignitate ceteris praestant*. Possumus et δυνατοὺς simpliciter exponere τοὺς δυναμένους (cf. Luc. XXIV, 19. Act. VII, 22.), sc. κατηγορῆσαι, *qui possunt accusare;* vel οἱ δυνατοὶ sunt, οἱ ἄριστα κατηγορῆσαι δοκοῦντες, quasi dicat: Turbae confusae voces nil significant; tollit faciem et formam iudiciorum incondita multitudo: seligantur ergo ceteris instructiores ad accusandi munus obeundum. Sed prior explicatio omnino praeferenda videtur. Συγκαταβάντες, *mecum abeuntes*. εἴ τι ἐστὶν) scil. αἰτίαμα, vid. Vs. 7.

6. Ἐν αὐτοῖς) Sc. Ἱεροσολύμοις. ἡμέρας πλείους ἢ δέκα. Legendum esse videtur: ἡμέρας οὐ πλείους ὀκτὼ ἢ δέκα. Solemus sic loqui, ubi numerum exacte definiendum notitia aut memoria non suppetit.

7. Αἰτιάματα) *Accusationes, criminationes.* Verbum est rarissimum. Hesychius: αἰτιάματα, ἐγκλήματα. Infra Vs. 18. usitatior vox αἰτία adhibetur.

9. Θέλων χάριν καταθέσθαι) Cf. ad XXIV, 27. Voluit initia regiminis sui Iudaeis commendare. Sed vid. et Vs. 20. Θέλεις — ἐπ' ἐμοῦ) *Visne, profectus Hierosolymam a synedrio iudicari, me praesente?* Sic ἐπὶ et infra sumitur c. XXVI, 2. Habebat Synedrium iurisdictionem quandam in Iudaeos; sed civitatis Romanae ius validius erat iure synedrii; itaque Paulus, utpote civis Romanus, invitus cogi non poterat illos agnoscere iudices. Hinc eum Festus interrogat, an a Iudaeis iudicari vellet? ἐπ' ἐμοῦ) *me praesente* s. *praeside.* „Etiamsi enim res ad religionem pertinentes agebantur, attamen, si vel synedrio sese committere voluisset Paulus, fieri id iam nequibat, quin synedrio praesideret procurator ipse; quia Romanos semel habuerat iudices, nemo autem a maiori iudicio ad inferius provocat. Proinde talia ne proponere quidem Paulo audet Festus, ut solus synedrio se committat." *Heinrichs. Kuinoelio* probabile est, Festum ipsum non credidisse Paulum conditionem accepturum esse, coll. Vs. 7. 8. 18.

10. Ἐπὶ τοῦ βήμ. καισ. ἑστώς εἰμι) *Ad tribunal Caesaris constitutus sum.* Recte tribunal Caesaris vocat id, quod Procurator habebat nomine ac mandato Caesaris, οὗ με δεῖ κρίνεσθαι) Nam de cive Romano praesidum Romanorum erat cognoscere. Ἰουδαίους οὐδὲν ἠδίκησα) Ideo iudicium tuum non reformido, quia certus sum, nihil a me laesos Iudaeos, inique eos de me queri. ὡς καὶ σὺ κάλλιον ἐπιγινώσκεις) Melius nosti

scilicet, quam ut opus sit, me ea de re te docere. Scis id ex *Felice*, et ex iis qui Felici in cognitione adfuerunt.

11. Εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ — πέπραχά τι) Ad haec *Bornemann* l. l. p. 283.: „Quamquam maxima cautione opus est, ne alterum pro altero tempore dictum statuamus temere, tamen negari nequit, apud optimos quosque scriptores praeter ἦκω, ἀκούω, ἔρχομαι, δοκεῖ etiam ἀδικῶ ad praeteriti notionem temporis accedere, ea tamen, nisi fallor, differentia, ut ἀδικῶ sit *iniuste ago*, ἠδίκησα *delictum commisi* et ἠδίκηκα *iniuste egi*. Ita Paulus Vs. 10. dicens Ἰουδαίους οὐδὲν ἠδίκησα significat, nullum se in Iudaeos delictum admisisse, sed verbis εἰ μὲν ἀδικῶ iniuriarum continuationem exprimens dicit: *si enim iniuste ago*, s. *iniustus, impius sum, et dignum quid morte commisi.*“ Οὐ παραιτοῦμαι τὸ ἀποθανεῖν) *Non recuso mori*, haec enim huius vocabuli h. l. vis est ὧν οἱ τοι κατηγοροῦσί μου) Duplicem Genitivum tam rei quam personae Graeci quoque verbo κατηγορεῖν apposuerunt. Vid. *Matthiaei* Gramm. §. 344. 2. Οὐδείς με δύναται αὐτοῖς χαρίσασθαι) i. e. Nemo me potest Iudaeorum Iubidini condonare; in eorumque gratiam condemnare. Δύναται hic ad facultatem legitimam refertur. Donat reum inimicis, qui eum ipsorum iudicio tradit. Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι) *Caesarem appello*, *ad Caesarem provoco*, si nimirum me vis synedrio iudicandum tradere, quod videbatur agere *Festus*. Licebat hoc Romanis legibus in tali casu. Nam erat contra leges Romanas civem Romanum provincialibus hominibus iudicandum tradere, et id nolentem.

12. Μετὰ τοῦ συμβουλίου) *Consultabat cum consilio*, an scilicet deferendum esset in ea re. Praesides non soli in provincias legabantur, sed habebant suos consiliarios, qui a Iosepho (B. I. II, 16.) vocantur *φίλοι ἡγεμόνος*, quibuscum, antequam sententiam dicerent, deliberarent (Vid. Cic. Verr. II, 13.). Horum autem consessus hic vocatur *συμβούλιον*. Καίσαρα — πορεύσῃ) *Caesarem appellasti*, i. e. quandoquidem ad Caesarem provocasti, *ad Caesarem ibis*. Provocatio non erat simpliciter facta, sed sub conditione; verum Festus libenter arripiebat occasionem, qua se ab hac molestia et invidia liberaret. Addit *Heinrichsius*: Vix credo cum ira et indignatione enunciata haec a Festo fuisse, licet, ut par erat, percelleret hominem aequum, ut videtur, et iustum, quod in causa, quam primam fortasse in Iudaea transigendam habebat, suum iudicium illico spernebatur. Cf. Ioseph. Ant. XX, 7. fin.

13. Ἀγρίππας ὁ βασιλεὺς) Agrippa minor, de quo vide annot. ad comma 1. huius capitis. Βερνίκη) Est nomen Macedonicum pro *Φερενίκη*. Nam Macedones *φ* in *β* mutabant. Sic et *βρύγας* dicebant pro *Φρύγας*. Fuit autem haec Berenice huius Agrippae soror. Nupta erat patruo suo, Herodi Agrippae, et post mortem eius *Polemoni*, Ciliciae Regi; sed infamis fuit ob incestum cum fratre Agrippa. *Ioseph.* Ant. XX, 7, 3. Βερνίκη δὲ μετὰ τὴν Ἡρῴδου τελευτὴν, ὃς αὐτῆς ἀνὴρ καὶ θεῖος (patruus) ἐγεγόνει, πολὺν χρόνον ἐπιχηρεύσασα, Φήμης ἐπισχούσης, ὅτι τ' ἀδελφῷ συνῄει, πείθει Πολέμωνα, Κιλικίας δὲ ἦν οὗτος βασιλεὺς, περιτεμνόμενον ἄγεσθαι πρὸς γάμον αὐτὴν, οὗτος γὰρ ἐλέγξειν ὤετο ψευδεῖς τὰς διαβολάς. καὶ ὁ Πολέμων ἐπείσθη μάλιστα διὰ

τὸν πλοῦτον αὐτῆς· οὐ μὲν ἐπὶ πολὺ συνέμεινεν ὁ γάμος, ἀλλὰ Βερνίκη δι' ἀκολασίαν, ὡς ἔφασαν, καταλείπει τὸν Πολέμωνα· ὁ δὲ ἅμα τοῦ γάμου καὶ τοῦ τοῖς ἔθεσι τῶν Ἰουδαίων ἐμμένειν ἀπήλλαχτο. *Iuvenalis* VI, 155. *Adamas notissimus, et Beronices in digito factus pretiosior, hunc dedit olim Barbarus, incestae dedit hunc Agrippa sorori etc. Tacitus* Hist. II, 81. *Regina Berenice — florens aetate formaque, et seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata. Suetonius* in Tito 7. *Suspecta in eo* (Tito) *etiam luxuria erat — nec minus libido propter insignem reginae Berenices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur — Berenicem statim ab urbe dimisit, invitus invitam.* Iosephus in libris quidem de bello Iudaico, quos vivo et vidente Agrippa scripsit, honorificam semper Agrippae mentionem facit eiusque pietatem in Deum et patriam, et studium legis laudat; in libris vere antiquitatum, qui eodem iam mortuo scripti editique fuerunt, tanquam luxuriosum, insestum, impium in legem et templum lacerare non est veritus. A. XX, 8. 11. ἀσπασόμενοι τὸν Φῆστον) *Festum salutaturi*, eique susceptam provinciam gratulaturi.

14. Τῷ βασιλεῖ — τὸν Παῦλον) *Retulit ad Regem ea quae ad Paulum spectabant.* Ἀνατίθεσθαι non solum notat *referre, enarrare* (ut apud Plutarch. in narrat. amator. τὴν πρᾶξιν ἀνέθετο τῶν ἑταίρων τισὶν, *rem nonnullis e sociis suis exposuit*), sed etiam *imponere, committere, tradere.* Sic Aristoph. in nubib. act. 5. scen. 2. *O nubes, haec ego vestri caussa fero mala,* ὑμῖν ἀναθεὶς ἅπαντα τὰ μὰ πράγματα, *dum vobis omnia mea commisi negotia.* Festus igitur

hanc litem Aggrippae non solum enarravit, sed et in eius veluti iudicis competentis humeros quodammodo transtulit, ut nimirum suis consiliis in re ipsi, tanquam Iudaeo, notiore, et magis ad ipsum pertinente, Festum iuvaret, Vs. 26. 27.

15. Αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην) *Postulantes, ut adversus illum pronunciarem sententiam*, vel: poscentes eum ad supplicium. Hoc Iudaeos a Festo petiisse, supra Vs. 3. omittitur. Δίκην, i. e. ἐκδίκησιν, *supplicium, iuris executionem*. Alii legunt καταδίκην, damnationem, sententiam mortis.

16. Οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις) Romanae (inquis) civilitatis non est, sed barbaricae feritatis. χαρίζεσθαι — ἀπώλειαν) *condonare aliquem in perniciem*, i. e. condemnare aliquem in alterius favorem. Verba εἰς ἀπώλειαν desunt in nonnullis antiquis Codd., Verss. et Patrr. Additamenti speciem prae se ferunt; etiam magis abesse possent, si fortassis primitus scriptum fuerit: χαρίζεσθαί τινι ἄνθρωπον, quod est in nonnullis Codd. et Patrr. τόπον τε ἀπολογίας λάβοι περὶ τοῦ ἐγκλήματος) Ex latino sermone formata locutio: *Antequam locum respondendi*, i. e. *facultatem, potestatem acceperit*, vel: *antequam* copia ei data fuerit, caussae pro se dicendae, vel defendendi illatum crimen. *Nec enim prohibendus reus quominus cuncta proferat, quibus innocentia eius sublevari possit*, ut apud Tacit. Annal. II. Rescript. Severi et Antonini XLVIII. 17. I. 1. *D. de requis. vel obs. Damn.* et hoc iure utimur, ne absentes damnentur, neque enim inaudita caussa quemquam damnari aequitatis ratio patitur. *Dionysius Hal.* VII, 53.

17. Ἀναβολὴν μηδεμίαν ποιησάμενος) *Nullam moram interponens.* Sic Thucyd. II, 42. ἀναβολὴν τοῦ δεινοῦ ἐποιήσατο. *Plutarch.* Camill. ἔγνω μὴ ποιεῖσθαι τῆς τιμωρίας ἀναβολήν. ἀναβολὴν ποιεῖσθαι est i. q. ἀναβάλλεσθαι supra XXIV, 22. ἐκέλευσα — ἄνδρα Vulg. *adduci hominem*, i. e. *induci.* Ἀχθῆναι pro εἰσαχθῆναι.

18. Οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον, ὧν ὑπενόουν ἐγώ) *Nullum crimen detulerunt ex eorum genere, de quibus ipse suspicabar*, nimirum delicti capitalis aut maleficii. Phrasis αἰτίαν ἐπιφέρειν, *accusationem afferre, crimen deferre, criminari*, satis frequens est. Sic Demosthenes in *Neaeram* ἐπενέγκας αὐτῷ αἰτίαν ψευδῆ, *crimen fictum contra illum afferens.* Paulo post: ψευδῆ αἰτίαν ἐπιφέρων. Sic et alii.

19. Ζητήματα — πρὸς αὐτὸν) *Quaestiones de sua religione adversus eum movebant.* Δεισιδαιμονία, vocabulum μέσον, in bonam partem, sed saepius in malam adhibetur. Sic apud *Ioseph.* in Decretis Asiaticis pro Iudaeis, a *Iac. Gronovio* collectis: δεισιδαιμονίας ἕνεκα στρατείας ἀπέλυσα, *religionis caussa Iudaeis veniam militiae concessi.* Cf. Ant. X, 3. 2. Quia Agrippa ipse erat Iudaeus, sine offensione non potuisset religionem Iudaicam vocare *superstitionem* Festus.

20. Ἀπορούμενος — ζήτησιν) Plurimi ad περὶ τούτου subaudiunt πράγματος, adeoque vertunt: *Quum ego in rei istius inquisitione haererem*, ignarus scilicet disputationum, quae sunt inter Iudaeos, et ex quibus normis eae sint diiudicandae. Alii περὶ τούτου ad Iesum referunt, quasi Festus dubius haesisset, num Iesus in vitam

rediisset, an non? Sine idonea ratione. Rectius denique alii monent, praegressa ἃ ἔφασκεν ὁ Παῦλος pariter et ἔλεγον, εἰ βούλοιτο postulare, ut ad Paulum ipsum vocc. περὶ τούτου referantur. Vertendum igitur: *Dubius haerens de quaestione ad eum* (Paulum) *pertinente.* Ἀπορεῖσθαι significationem habet inopiae consilii, et omnium rerum, in Or. Demosth. in Timoth. πανταχόθεν ἀπορούμενος.

21. Τοῦ δὲ Παύλου — διάγνωσιν) *Quum autem Paulus in hoc appellaret, ut Caesaris cognitioni servaretur.* Est Ellipsis: τηρηθῆναι, pro: εἰς τὸ τηρηθῆναι. Ὁ Σεβαστὸς, proprie *Venerandus*, adorandus, est cognomen Imperatoris Romani: *Augustus.* Inde ab Augusto, qui primus assumsit, sequentes Imperatores hoc cognomen retinuerunt. Pro πέμψω in aliis antiquis Codd. rectius habetur ἀναπέμψω.

20. Ἐβουλόμην — ἀκοῦσαι) Agrippa cupidum se ostendit Paulum audiendi, ut, quid de eius causa iudicaret, accuratius posset Festo proponere. Observat *Heinrichsius*, non fuisse insolitum iudicibus Romanis, hospiti nobiliori, quem maiori aliquo honore prosequendum ducebant, quin et feminis sedem et in iudiciis concedere, Ios. Ant. XVI, 11, 4. XVII, 5, 3.

23. Μετὰ πολλῆς φαντασίας) *Cum magna magnificentia splendorisque ostentatione.* Φαντασία h. l. est *pompa insignis*, splendidissimus apparatus, quo solent uti homines potentiores et ditiores, in vestitu, pedissequis etc. Diodor. Sic. XII, 83. οἱ μὲν Αἰγεσταῖοι χρημάτων πλῆθος ἐπέδειξαν, τὰ μὲν οἰκόθεν, τὰ δὲ παρὰ

τῶν ἀστυγειτόνων χρησάμενοι, Φαντασίας ἕνεκεν. Suidas: οἱ δὲ Ῥωμαῖοι μετὰ μεγάλης Φαντασίας καὶ συμπαθείας τοῦ δήμου προῆγον ἐπὶ τὰς πράξεις. *Sopater:* πομπικῶς καὶ μετὰ πολλῆς Φαντασίας. Sic apparent Agrippa et Berenice in eadem urbe, in qua pater ipsorum a vermibus corrosus ob superbiam perierat. Neque tamen mirum, inquit *Heinrichsius*, quia invitati erant ab eo, quem heri [sed per plures iam dies Caesareae erant commorati, Vs. 13.] salutaverant, hodie iam in summo ornatu eos pompaque se exhibere. ἀκροατήριον) Graeca vox facta ad exemplum Latinae. Est enim in iure Romano frequens hoc sensu vox auditorii, *Audienzzimmer.* καὶ ἀνδράσι — πόλεως) *Caesareensium primis.* Τοῖς κατ' ἐξοχὴν οὖσι, *iis, qui in excellentia erant*, i. e. praestantibus dignitate.

24. Οἱ συμπαρόντες ἡμῖν ἄνδρες) *Vos qui simul adestis nobiscum.* ἐνέτυχόν μοι) *Mecum egerunt, interpellarunt me.* Sic Philo I. de vita Mosis. *Moses* ἐνετύγχανεν ἀφανῶς τῷ θεῷ ἵνα ἐξ ἀμηχάνων ῥύσηται συμφορῶν, *supplex clam Deum adibat, ut eos a desperatis rebus eriperet.* Hesychius: ἔντευξις. ἀπάντησις κατὰ τῶν πλημμεληκότων. δέησις εἰς ἐπιείκησιν.

26. Περὶ οὗ — οὐκ ἔχω) *De quo quidem certum, quod Domino scribam, non habeo.* Domini nomen, tanquam Deo proprium, ab *Augusto* et *Tiberio* recusatum, posteriores Imperatores recepere. *Plinius* in Epist. Traianum octuagies Dominum appellat. *Sueton.* August. 53. *Domini appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit.* Tiber. 27. *Dominus appellatus a quodam denunciavit, ne se amplius*

contumeliae caussa nominaret. De litteris ab eo, a quo appellatum est, iudice dandis locus est in Digestis, Lib. XLIX. 6. D. *de libellis Dimissoriis: Post appellationem interpositam litterae dandae sunt ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, sive principem, sive quem alium, quas litteras dimissorias sive Apostolos appellant. Sensus autem litterarum talis est, appellasse puta L. Titium a sententia illius, quae inter illos dicta est.* ὅπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης) *ut de rei inquisitione facta etc.* Ἀνάκρισις hic est praevia quaedam inquisitio, non iudicandi, sed iudicis edocendi caussa. Sumitur eodem sensu a *Marciano.* L. Divus Adrianus D. *de custodia et exhibitione reorum;* c. 2. *Novella de his, qui Eunuchos faciunt.*

27. Ἄλογον) *Absurdum*, carens ratione, sicut εὔλογον consentaneum et aptum. μὴ καὶ τὰς — σημᾶναι) *Et non significare litteris crimina ipsi obiecta.* Ut aliquid certi exploratique possit scribere, vult praesente rege Agrippa, Iudaicarum legum ac quaestionum non ignaro, audire, quid illud esset, de Iesu Nazareno, quod ei pro crimine obiiciebatur.

CAP. XXVI.

1. Ἐκτείνας τὴν χεῖρα) Ut solent dicturi. *Polyaenus* IV. ἀνέτεινε τὴν δεξιὰν ὡς δημηγορήσων. *Apuleius* Met. II. *Porrigit dextram, et instar Oratorum conformat articulum: duobusque infimis conclusis digitis ceteros eminentes porrigit.*

2. Ἐπὶ σοῦ) *Te presente et iudice (Beurtheiler).* Volebat quidem Paulus Agrippae benevolentiam captare, sed vera erant, quae proloquebatur, nec repugnant supra dictis XXV, 10. Neque enim Pauli causam, iudicis instar, Agrippa erat diiudicaturus, sed tantum Festo consulturus, eique suppeditaturus, quae Caesari scriberet.

3. Μάλιστα — ζητημάτων) *Quum tu inprimis cognita habeas instituta et dogmata Iudaeorum.* Γνώστης, *qui aliquid bene cognitum et perspectum habet, gnarus.* Accusativus γνώστην ὄντα σε, qui cum praecedenti genitivo ἐπὶ σοῦ male cohaerere videtur, absolute ponitur pro genitivo consequentiae, γνώστου ὄντος σου. Fit hoc inprimis vocula ὡς praemissa imo et alias. Sic Pausanias in *Messen.* s. L. IV. Διαβάντα δὲ τούτους, πεδίον ἐστὶν ὀνομαζόμενον Στενυκληρικὸν, *si quis amnes illos transierit campi se ostendunt, qui Stenyclerici vocantur;* ubi διαβάντα ponitur pro διαβάντος δέ τινος. Soph. Ai. 136. σὲ μὲν, εὖ πράσσοντ' ἐπιχαίρω, ubi Schol. ἀντὶ τοῦ συγχαίρω σοῦ εὖ πράσσοντος. Ex sententia *Bornemanni* (l. c. p. 285.), quum scriberet γνωστὴν ὄντα σε Apostolus, postea daturus erat αἰτῶ μακροθύμως ἀκοῦσαί μου, sed verbis πάντων τῶν κ. τ. λ. alio abreptus, exorsam constructionem non absolvit.

4. Τὴν μὲν οὖν — Ἱεροσολύμοις) *Vitam igitur meam, ab adolescentia, quae ab initio acta est Hierosolymis inter populares meos.* Τὴν μὲν οὖν βίωσίν μου, i. e. (ut ille apud Lucianum in Cataplo), οἷόν τινα τρόπον ἐβίωσα. *Vitae victusque consuetudinem* Cicero

in Familiaribus vocat. Οὖν facit accessum ad tractationem. μὲν, non sequente δὲ, mollit sermonem.

5. Ἄνωθεν) *Iam dudum*, vel *a superiore aetatis ineuntis tempore*, i. d. ἀπ' ἀρχῆς et ἐκ νεότητος. κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην — Φαρισαῖος) *Secundum exquisitissimam sectam nostrae religionis* etc. Vid. not. ad XXII, 3. θρησκεία significat religionem, cultum divinum et ceremonias. Iosephus de B. I. II, 8. 14. Φαρισαῖοι μὲν οἱ δοκοῦντες μετὰ ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα. Vit. 38. τῆς τῶν Φαρισαίων αἱρέσεως, οἱ περὶ τὰ πάτρια νόμιμα δοκοῦσι τῶν ἄλλων ἀκριβείᾳ διαφέρειν.

5. Ἐπ' ἐλπίδι — γενομένης) *Propter spem felicitatis, maioribus nostris a Deo promissae.* Ἐπαγγελία, *promissa felicitas.* Intelligit promissionem Messiae, quem omnes Iudaei expectabant. Resurrectionem mortuorum negabant Sadducaei; sperabant autem cum omnibus reliquis Iudaeis felicitatem, cuius auctor futurus sit Messias. Hunc promissum Messiam iam venisse Paulus docebat. Ἕστηκα κρινόμενος, *sto in ius vocatus*, i. e. accusor. In iudicium adductus adsto, propter spem venturi Messiae maioribus nostris a Deo promissi, cuius adventum populus Iudaicus avide exspectat, quem ego venisse doceo, dum Iesum Messiam esse profiteor, vid. XXVIII, 20.

7. Εἰς ἣν — καταντῆσαι) *Quam felicitatem tota gens nostra, perpetuo et indefesso studio Deum colens, se consecuturam esse sperat.* Εἰς ἣν, sc. ἐπαγγελίαν. Δωδεκάφυλον, *duodecim tribuum populus*, Iudaicus nimirum. Graeca libertate novam vocem finxit

Lucas, concinne admodum. Ἐν ἐκτενείᾳ, *indefesso studio.* Addit: *diu noctuque;* nam indesinenter fiebant sacrificia in templo, et per cultum illum indesinentem Iudaei assequi volebant bona Messiae. Καταντῆσαι εἰς τι, *ad aliquid pervenire; consequi aliquid.* Historice tantum Paulus haec commemorat, bene gnarus, Iudaeos sacrificiis et rituum observatione non posse consequi felicitatem a Deo per Messiam promissam. περὶ ἧς, subaudi: *igitur.* ὑπὸ Ἰουδαίων) emphatice: Mirabile dictu! *Iudaei* me accusant.

8. Τί — ἐγείρει;) *Quid? num incredibile apud vos iudicatur, mortuos a Deo excitari?* Paulus nunc transit ad demonstrationem, Iesum Nazarenum esse illum promissum Messiam, a Deo vitae restitutum. Verba νεκροὺς ἐγείρει non referenda sunt ad omnium mortuorum resurrectionem. Non enim legitur τοὺς νεκρούς, est ergo νεκροὺς indefinite dictum.

9. Ἐγὼ μὲν οὖν — πράξαι) *Putavi equidem mihi necesse esse, ut nomini Iesu Nazareni in multis adversarer,* s. *multa adversa agerem.* Sic phrasin usurpat Demosthenes de *fals. legat.* καὶ παρὰ ταύτην ἀποδημίαν πάντα τἀναντία ἔπραττον τούτοις, *et in hac profectione illis per omnia fui adversatus.* ὄνομα Ἰησοῦ i. q. Ἰησοῦν. Sed Christo adversari, est religioni ipsius adversari, sectatores persequi.

10. Ἀναιρουμένων τε αὐτῶν) Plures Christianos ante Pauli conversionem a Synedrio necatos fuisse, non constat. Quare plerique Interpp. hic enallagen numeri statuunt, atque haec verba ad solum Stephanum referunt.

Quae tamen enallage quum durior aliis videatur, revera plures a synedrio existimant esse interemtos, coll. VIII, 1. XXII, 4. Κατήνεγκα ψῆφον) *Sententiam dixi*, s. *suffragium tuli*, calculum meum adieci, i. e. approbavi assentiendo caedes illorum.

11. Τιμωρῶν αὐτοὺς) i. e. κολάζων, *puniens, afficiens supplicio*, flagris caedi iubens. Nam τιμωρῶν et τιμωρούμενος, cum accusativo casu, poenae et supplicii significationem habet, ut in Oreste Euripidis: Παλαμήδους σε τιμωρῶν φόνου, *poenas exigens abs te ob caedem Palamedis.* Cum Dativo eadem verba habent auxilii et ultionis significationem. Hippocrates: τιμορεούσας τῷ παθήματι, *subvenientes et opitulantes malo.* ἠνάγκαζον βλασφημεῖν) *Cogebam maledicere*, nempe Iesu Christo. His verbis Paulus ait, se suppliciorum atrocitate coëgisse pios, ut veritatem negando, oratione uterentur contumeliosa in Christum atque turpi; id quod postea quoque crudelitas inimicorum Christiani nominis facere consuevit. *Plinius* Ep. X, 97. *Quum praeeunte me Deos appellarent, et imagini tuae thure ac vino supplicarent; praetera maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt re vera Christiani.* περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς) *Supra modum in eos velut furore accensus;* nam de furioso admodum impetu haec recte accipi possunt, quia de istiusmodi consiliis et actionibus commotionis inconsideratae et impotentis et effrenatae, Graeci verbo μαίνεσθαι, et Latini *insanire*, usi sunt, e. g. *insanire libet quoniam tibi.* Ἐδίωκον — πόλεις) *Ad exteras usque civitates insectatus sum*, ad oppida extra Palaestinam sita, e. g. Damascum, Syriae urbem, Cap. IX.

12. Ἐν οἷς, sc. ἔργοις, πράγμασι. *His dum occupor*, his negotiis vacans.

14. Πάντων δὲ καταπεσόντων ἡμῶν εἰς τὴν γῆν) Est in his verbis quaedam difficultas, quum supra IX, 7. Paulum tantum in terram esse prolapsum narretur. Quam difficultatem iam *Valla* ad Act. IX, 7. sic tollere studet: „Postquam collapsi fuerunt Pauli comites, continuo surgentes steterunt. Nam etsi non dicatur, quod surrexerunt, nihil obstare debet, cum videamus a Paulo multo plura referri apud Agrippam quam apud Iudaeos sibi dicta fuisse a Domino, qui ipsum circumfulserat atque prostraverat: quamquam non dicitur graece *stabant*, sed *steterunt*, i. e. *surrexerunt*; me adhuc iacente, et verba audiente, εἱστήκεισαν.“ Hanc rationem secutus *Haselaarius* (vid. supra p. 211.): „non video, inquit, quid obstet, quo minus statuamus, eos primum in terram prostratos, postea, quum, Paulo adhuc humi iacente, surrexissent, attonitos stetisse. — Neque enim probatae bonitatis scriptor, qui in libro non ita magnae molis hanc sibi necessitatem sibi impositam esse sentiat, ut unius eiusdemque rei plus semel mentionem iniiciat, hanc sibi legem poni patiatur, ut itentidem se ipse quasi revocet. Imo potius hic et illic, salva veritate, vel addendo nonnulla, vel omittendo, cavebit, ne satietatem lectoribus afferat.“ Quam prudenter aliquando ab oratore quaedam addita sint, ab historico praetermissa, docuit *Riehmius* de Fontibus Act. App. p. 97. ubi comparationem instituit inter Pauli conversionem a Luca enarratam Act. IX. et ab ipso Apostolo duabus orationibus c. XXII. et XXVI. intextam. Σκληρόν σοι — λακτίζειν) *Difficile tibi erit, adversus sti-*

mulos calcitrare; i. e. magno tuo damno fiet, si mihi diutius repugnaveris. Male tibi cessura est tua pertinacia. Proverbium desumtum a bobus adversus stimulos, quibus aguntur, calcitrantibus, atque ita se ipsos magis laedentibus. Fuit autem *κέντρον* nihil aliud, quam pertica, cum cuspide acuta. Proverbium hoc *de his, qui res sibi male cessuras moliuntur*, ad Iudaeos a Graecis venerat. *Aeschylus* Agamemn. 1633. *πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, μὴ πήσας μογῇς.* Idem in Prometheo: *οὐκοῦν ἐμοίγε χρώμενος διδασκάλῳ πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς.* Schol. *πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτείνει ὁ βοῦς, λακτίζει δὲ κεντοῦμενος ὑπὸ κέντρου, ὥστε λακτίζει πρὸς κέντρον, καὶ τὸ κῶλον αἱμάσσει· ὁ γὰρ πρὸς κέντρα λακτίζων τοὺς ἰδίους πόδας αἱμάσσει· Φησὶν οὖν· ἐάν μοι μὴ πεισθῇς, βλάψεις σεαυτὸν.* *Terent.* Phorm. I, 2. 28. *Nam quae inscitia est, adversum stimulum calces?*

16. Προχειρίσασθαι—ὀφθήσομαί σοι) *Ut te eligerem vel designarem ministrum atque doctorem eorum quae vidisti, et quae te videre faciam.* Προχειρίσασθαί σε, i. e. *ἵνα σε προχειρίσω.* De significatione huius verbi cf. supra XXII, 14. *ὧν τε εἶδες, ὧν τε ὀφθήσομαί σοι*) ὀφθήσομαι, Fut. Pass. a verbo ὄπτομαι, hic sensu transitivo denotat: *manifestabo, apparere faciam.* Hinc vertendum: *eorum quae vidisti et eorum quae te videre faciam*, i. e. quae tibi manifestabo, edocebo. Commode *Morus* vertit: *Quae tibi revelavi* (in itinere) *et porro revelabo.* Sensus est: Eligo atque designo te Apostolum.

17. Ἐξαιρούμενος — ἀποστέλλω) *Eligens te ex Iudaeis et Paganis, ad quos te nunc mitto.* Ἐξαιρεῖν denotat *eximere*, i. e. *liberare, eripere.* Sic supra

VII, 10. ἐξείλατο αὐτὸν ἐκ πασῶν τῶν θλίψεων, coll. ibid. Vs. 34. XII, 11. XXIII, 27. Gal. I, 4. Hinc multi locum nostrum explicant: *erepturus te insidiis et vexationibus huius populi et gentium.* Sed ἐξαιρεῖν et Med. ἐξαιρεῖσθαι significat etiam *eligere.* Ita LXX. pro בחר Tob. XXXVI, 21. Ies. XLVIII, 10. Vid. Xen. Anab. V, 4, 3. al. Et haec significatio huic loco est convenientissima: *Elegi te ex omnibus, cum Iudaeis tum gentilibus.* Scientissime observavit *Heinrichsius*: „Haud bene dici potuit Apostolus ἐξαιρεῖσθαι, σώζεσθαι ἐκ τῶν ἐθνῶν (eripi potestati paganorum), quia inter Iudaeos quidem vixerat, sed nunquam dum adierat gentes, neque adeo jam imbui poterat eorum flagitiis, et impediri. At multo melius dici poterit ex omni incolarum τῆς οἰκουμένης numero, qui ex Iudaeorum partitione tam Iudaeis (λαῷ, עם), quam gentibus (ἔθνεσι, גוים) efficiebatur, selectus fuisse divinitus aliquis, qui magno huic negotio perficiendo destinatus fuerit.“ Λαός, cum opponitur τοῖς ἔθνεσι, est *populus Iudaicus.* εἰς οὓς ad utrosque pertinet, Iudaeos paganosque: atqui et utrique parti salutarem doctrinam promulgavit Paulus, Vs. 20.

18. Ἀνοῖξαι ὀφθαλοὺς αὐτῶν) *Ut oculos eorum aperias*, i. e. ut ad cognitionem veritatis salutaris eos perducas. Oculi mentis aperiuntur, quum id, quod rectum, verum, et nobis salutare est, cognoscimus. Τοῦ ἐπιστρέψαι — τὸν Θεὸν) *Ut ab ignorantia* (rerum divinarum) *transeant ad scientiam* (cognitionem Dei et religionis verae), *et e regno Satanae ad Deum.* Σκότος metaphorice est ignorantia quacum coniuncta esse solet flagitiosa vita, et miseria; τὸ φῶς, scientia,

cognitio veri Dei et virtutis studium. Ἡ ἐξουσία i. e. *regnum*, et regnum Satanae est omnis multitudo eorum hominum, qui Deum et, quem misit, Christum, cognoscere et colere nolunt; qui improbitati student et doctrinae divinae adversantur. Vid. Io. VIII. Ἐπὶ τὸν θεὸν, pro ἐπὶ τὴν ἐξουσίαν τοῦ θεοῦ, *ad regnum Dei*, quo intelligitur omnis multitudo eorum, qui Deum cognoscunt et colunt. τοῦ λαβεῖν — ἁμαρτιῶν) *ut accipiant peccatorum remissionem*, idolorum cultores pariter ac Iudaei pristinae perversitatis et impietatis. Cf. ad II, 38. κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις) Aeternam felicitatem cum omnibus vere piis. Ἐν pro *inter*, ut saepe. Κλῆρος eodem sensu accipitur, quo κληρονομία c. XX, 32. Ἡγιασμένοι, *Deo consecrati*, Christiani.

22. Ἐπικουρίας οὖν τυχὼν τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ) *Divino igitur adiutus auxilio. Polybius* L. I. c. 10. μὴ τυχόντων ἐπικουρίας τῶν Μαμερτίνων, *nisi Mamertinis auxilium feratur.* Ammonius: ἐπίκουροί εἰσιν οἱ τοῖς πολεμουμένοις βοηθοῦντες καὶ συλλαμβανόμενοι. ἕστηκα) *Sum incolumis, in statu permansi pristino.* Vox haec h. l. respicit ad τὸ διαχειρίσασθαι v. 21. cui Apostolus opponit, se ope divina adhuc in *vivis esse*, imo se etiam *prorsus illaesum esse.* Opponitur ἵστασθαι, *in statu suo conservari* τῷ πίπτειν, *e statu pristino deturbari.* μαρτυρούμενος μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ) *Instituens omnis generis et ordinis homines.* Genus loquendi hebraicum.

23. Εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς) *Christum aerumnas et mortem subiturum esse.* Εἰ pro ὅτι, *quod*, sicut supra Vs. 8. et παθητὸς pro eo, qui debebat pati, ut

apparet ex Luc. XXIV, 26. Alibi haec vox non reperitur hac forma Adiectivi; sed ex re concluditur, hanc h. l. veram esse significationem. Nam Paulus tradit eventum vaticiniorum; unde patet, παθητὸν esse eum, qui revera passus sit. εἰ πρῶτος — ἔθνεσι) *Et primum fore, qui post resurrectionem*, vel *ab eo tempore, quo ex mortuis resurrexit, annuntiaturus esset doctrinam ad salutem populo suo et ceteris gentibus*, nimirum per Apostolos. Ἐκ, a. Temporis, ut Matth. XIX, 12. Rom. I, 4. Luc. VIII, 27. Paulus vero eam ob caussam praecipue invisus fuit Iudaeis, quod gentibus etiam Evangelium secundum Christi voluntatem praedicaret. Quare is omnino mihi sensus verus esse videtur. Possunt tamen verba πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν etiam sic verti: *Primus inter hos, qui ex mortuis in vitam redeunt*, primus scilicet ordine et tempore (vid. Col. I, 18.); nemo enim ante Christum tam solenni et singulari modo in vitam rediit; deinde etiam primus dignitate; nam per reditum in vitam declaratus est dominus generis humani, et fecit nobis spem, nos quoque in vitam esse redituros. Hic ergo post reditum in vitam Iudaeis et Paganis misit nuncios felicitatis. *Lux* est doctrina ad salutem Ies. XLII, 6. *felicitas*.

24. Μαίνῃ Παῦλε) Verbum μαίνεσθαι, *insanire*, poni solet etiam (ut bene observat *Kuinoel.*) de iis, qui aliquid dicunt aut faciunt, quod aliorum fidem cogitationemque superat, imprimis de iis, qui vehementiore animi motu feruntur, aut afflatu divino, aut a daemone agitati, loquuntur et agunt. τὰ πολλά — περιτρέπει) *Multae literae*, multa literarum studia, *te*

ad insaniam impellunt, tibi sanam mentem eripiunt. Plebis et illiteratorum hominum vulgaris apud veteres erat opinio, eos qui sapientiae et literis nimiam impenderent industriam, mente motos insanire. Serio ita censebant Abderitani, qui, quum Democritum suum ad singula ridentem, ob sapientiam nimiam mente captum esse crederent, Hippocratis opem implorabant, ut patet ex epistola ad Hippocratem, in huius Operibus Sect. 8. Ibidem in epistola quadam refert Hippocrates de civibus suis dixisse Democritum: *δυσαρεστέονται γὰρ ὑπ' ἀκρασίης ἅπασι, καὶ μανίην τὴν σοφίην νομίζουσιν.*

25. Ἀλλ' *ἀληθείας — ἀποφθέγγομαι*) Proloquor ea, quae sunt vera, sana, salutaria, sobria. *σωφροσύνη*, de animi sanitate.

26. Ἐπίσταται — *ὁ βασιλεὺς*) *Hoc enim sic se habere, novit rex;* audiverat nempe passum esse, in vitam rediisse, iussisse Evangelium esse nunciandum. *λανθάνειν — οὐδὲν*) *Habeo persuasum, nihil horum ipsum ignorare quicquam.* Nihil enim *in angulo*, i. e. occulte et clam gestum est horum. Significat ea quae designarint Iudaei, non tantum ad Iesum Christum, sed etiam ad sese pertinentia. Quum in nomine *σωφροσύνης* sanae mentis significatio sit, refutatur scilicet obiectae vesaniae vitium.

28. Teneriore animi affectu loquens orator regis praecordia tetigit. Quare Agrippa respondet: Ἐν *ὀλίγῳ — γενέσθαι*) *Parum abest, quin mihi persuadeas ut fiam Christianus.* ἐν *ὀλίγῳ* pro *ὀλίγου*, seu *παρ' ὀλίγον*, *propemodum, paene.* *Valla* hunc locum sic

transtulit: *Parum abest quin persuadeas me fieri Christianum. Cui dixit: Optarem apud Deum, sive votum facerem Deo, sive parum sive multum abest.* Erasmus, ad Vallae interpretationem respiciens: „Arbitror et ita reddi potuisse: *Aliquantulum mihi persuades ut fiam Christianus. Et Paulus ait, optarim a Deo, ut non solum aliquantum, verum etiam multum, neque te tantum, sed et omnes qui me audiunt hodie*, etc. Neque enim opinor id sensisse Agrippam, parum abesse quin cuperet fieri Christianus, sed aliquantulum huc propensum esse redditum oratione Pauli.“ Ironice ita locutum esse Agrippam, *Pricaeus* putat, q. d. Christianum me fieri nimis cito vis; tantilli spatii non est opus, a patrio me ad tuum cultum transire. Eandem sententiam sequuti sunt alii, inter quos *Kuinoelius*, qui ad ὀλίγῳ subaudiunt χρόνῳ. Sed Pauli responsio suadet, ut serio haec ab Agrippa dicta esse credamus.

29. Εὐξαίμην ἂν τῷ θεῷ) *Deum precor.* Εὔχεσθαι θεῷ primario significat *vota Deo facere seu nuncupare.* Quum vero cum factis votis preces ad Deos emissae iunctae esse solerent, hinc factum est, ut εὔχεσθαι θεῷ s. θεοῖς simul significet: *precibus a Deo aliquid expetere.* Occurrit cum Dativo et sequenti infinit. apud Demosthenem adv. *Leptin.* εὔχομαι τοῖς θεοῖς, μάλιστα μὲν ἡμῖν χρήματα πολλὰ γενέσθαι, *Deos precor, ut inprimis aerarium habeamus locuples.* καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ) i. e. *non propemodum tantum sed plane.* Ideo addit ἐν πολλῷ, quia alter ἐν ὀλίγῳ dixerat. Servat enim idem dicendi genus. Alii reddunt: *sive exiguo tempore, sive multo opus sit.*

Bornemannus haec verba cognata existimat latinis: *serius ocius* et vernaculis: *über kurz oder lang.* ὁποῖος — τούτων) Omnia illis opto, quae in me sunt, praeter incommoda. Vincula autem vocat, custodias sibi circumdatas. Ex aliorum sententia Paulus in custodia militari detinebatur, et per catenam prolixiorem militi alligatus erat. Vid. *Kuinoelius* ad XXII, 29. XXVIII, 16.

30. Καὶ οἱ συγκαθήμενοι αὐτοῖς,) *et assessores eorum*, nempe Chiliarchi et praestantes dignitate viri, cap. XXV, 23.

31. Ἀναχωρήσαντες) In suas domos se recipientes, vel potius in cubiculum aliquod tribunali adiunctum. πράσσει) *Agit*, de vitae instituto.

32. Εἰ μὴ ἐπεκέκλητο Καίσαρα) Nam appellatione potestas iudicis, a quo appellatum est, cessare incipit ad absoluendum non minus, quam ad condemnandum. Crimina enim integra servanda sunt cognitioni superioris. Haud inepta est *Heinrichsii* annotatio: Nolimus putare, praematura hac provocatione caussae suae nocuisse Apostolum. Diducebatur ea nunc quidem in longius: sed id nulli sibi fraudi Paulus ducebat, siquidem et occasio iam aderat, exoptatissimam sibi Romam videndi: et tutus erat a Iudaeorum insidiis, quos haudquaquam omnes effugisset, si capitis iam tum absolutus Hierosolyma, aut in aliam Palaestinae urbem se recepisset.

CAP. XXVII.

1. Παρεδίδουν τόν τε Παῦλον) Nempe Festus, et qui ab eo id mandatum acceperant. Frequens est apud Hebraeos subaudire Nominativum verbo congruentem. σπείρης Σεβαστῆς) *Cohortis Augustae.* Supra c. X, 1. *Claudianus* de Bello Gild. *Dictaque ab Augusto Legio.* Tacit. Annal. XIV, 13. ad annum. Iul. 104. *Tumque primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, aetate ac robore conspicui, et pars ingenio procaces, alii in spe potentiae. Sueton.* Ner. 20. Sed non prorsus contemnenda est *Schwarzii* coniectura (in Diss. *de cohorte Italica et Augusta* Altorf. 1720.) cohortem illam cognomen retulisse ab urbe Samaritana, ab Herode in honorem Augusti Σεβαστὴ vocata (cf. supra ad VIII, 5.), ut proprie diceretur *cohors Sebasta*, s. *Sebastena*, s. *Sebastiensis.* Plura e Schwarzii Commentat. attulit *Kuinoelius* ad h. l.

2. Πλοίῳ Ἀδραμυττηνῷ) Multae sunt urbes dictae Ἀδράμυττος, Ἀδράμυττα, Ἀτράμυττος. Celeberrima omnium est urbs Africae maritima, *Adrumetum*, quam hic indicari censet *Hieronymus*, quem haud pauci sequuntur. Malim tamen cum *Beza* aliisque, quibus adstipulatur *Kuinoelius*, intelligere *Adramyttium*, civitatem Mysiae, in Asia minori. In nullo enim Cod. Actorum Lucae nomen Ἀδρυμύτιος deprehenditur, sed libri omnes, quomodocunque in scriptura nominis dissentiant, priores syllabas efferunt ἀδρα vel ἀτρα. μέλλοντες πλεῖν τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους) *Iuxta Asiae oras navigaturi*, s. Asiae oras navigando obituri. Pro

μέλλοντες alii Codices habent μέλλοντι. Aptius, uti videtur. Urbes quasdam maritimas negotiorum suorum caussa navis adibat. Πλεῖν τόπους, quomodo Virgilius: *Tyrrhenum navigat aequor.* ὄντος — Θεσσαλονικέως) *Comitante nos Aristarcho, Thessalonica Macedone.* Hic *Aristarchus*, Christianus factus, Paulum ex Macedonia in Iudaeam usque comitatus fuerat; supra XIX, 29. XX, 4. Idem Paulum iam custodiae datum ex amore in ipsum et veritatem comitari sponte voluit, Romaeque primum adiutor eius, Philem. 24. deinde vinculorum particeps fuit, Col. IV, 10.

3. Ἐπέτρεψε — τυχεῖν) i. e. πορεύεσθαι ἵνα ἐπιμελείας τύχῃ. *Permisit ei, ut ad amicos accedens frueretur eorum cura* et benevolentia. Quamquam Paulus captivus erat, tamen Iulius ea humanitate in eum usus est, ut ei permitteret in urbem abire, et invisere amicos, quorum hospitio exciperetur et benevolentia frueretur. Φίλους) *amicos*, i. e. Christianos ibi degentes.

4. Ὑπεπλεύσαμεν τὸν Κύπρον) *Praetervecti sumus Cyprum.* Si ventus favisset, alto se commisissent, et Cyprum ad dextram partem reliquissent, ut Actor. XXI, 3. nunc autem coguntur legere littus Ciliciae, inter Cyprum et Asiam, Vs. 7. Ubi navis vento contrario cogitur a recto cursu recedere, ita ut tunc insula sit interposita inter ventum et navem, dicitur *ferri infra insulam.* ἀνέμους) In Plurali; quoniam plures saepe venti, ita ut celerrima vicissitudine alter alterum excipiat, naves infestare et iter maritimum periculosum reddere solent.

5. Πέλαγος) *Altum mare*, quod procul a terra est. Μύρα τῆς Λυκίας) Urbs inter praecipuas Lyciae numerata a Strabone. Cf. *die bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 192.

6. Πλοῖον Ἀλεξανδρῖνον) Multae naves ex Alexandria Italiam petebant, advehebantque frumentum ab Aegypto, et Persicas Indicasque merces. Appellebant autem plerumque Puteolos; *Seneca* Epist. 72. *Sueton.* Aug. 98. Ner. 45. Naves Alexandrinae, aliis aliarum gentium navibus grandiores, solebant alto se committentes recto cursu in Italiam tendere, sed si per tempestatem navigatio minus erat tuta, nonnunquam ad Syriae oram traiiciebant, et superata Cypro, praetervectisque Cilicia et Pamphylia, per mare Graecum Italiam petebant *Socrates* H. E. II, 24. *Sozom.* VI, 25. Athanasius a. 349. Roma Alexandriam repetens, appellit Antiochiae in Syria, inde per Laodiceam, Hierosolymam, et Pelusium Aegyptum intrat. ἐνεβίβασεν) *Imposuit*, Thucyd. I, 53. ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς, ἄνδρας εἰς κελήτιον ἐμβιβάσαντας — προπέμψαι τοῖς Ἀθηναίοις.

7. Βραδυπλοοῦντες;) non ob oneris magnitudinem, ut accepit Syrus; sed ob ventos adversos (Vs. 4.), et spatium tantillum maris tot diebus emensum. τὸν Κνίδον) Cariae obiectam, et Veneris simulacro ac cultu nobilem. Vid. *Alterthumsk.* l. c. p. 190. μὴ προσεῶντος ἡμᾶς τοῦ ἀνέμου) *repellente nos vento*, vento nos in Cnidi portum non admittente. προσεάω, *sino ut accedat*, ut progrediatur aliquis, *heranlassen.* Κατὰ Σαλμώνην) *Prope Salmonem*, promontorium. *Mela:* Ingens et C. quondam urbibus habitata Crete, ad orien-

tem promontorium Salmonium. Hodie: *capo Salomon.* De Creta insula vid. *Alterthumsk.* Vol. III. p. 385. sqq.

8. Μόλις τε παραλεγόμενοι αὐτὴν) *Quum difficulter eum locum praeternavigassemus.* Μόλις difficultatem saepe significat; παραλέγεσθαι, vox nautica, hic et infra Vs. 13. est *praetervehi.* Latini dicunt: *legere oram.* Εἰς τόπον — Λασαία) *In locum quem vocabant bellos portus, cui vicina erat urbs Lasaea,* vel quemadmodum alibi scribitur, Lacaea, Stephanus: καλὴ ἀκτὴ, πόλις Κρητῶν. Monent tamen Interpp., Stephani scripturam vitio laborare, quum καλὴ ἀκτὴ fuisset Siciliae urbs. Locus adhuc hodie in Creta nomen retinet *calos limenas.*

9. Ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοὸς) *Quum periculosa iam esset navigatio.* διὰ τὸ — παρεληλυθέναι) *Praeterlapso iam magno ieiunio.* Per τὴν νηστείαν intelligendum est *ieiunium magnum s. publicum,* quod agebatur die magno expiationis qui in X. Tisri incidebat. Post illud tempus, mense nimirum Octobri, navigatio incerta est, et discrimini propior. Romani quoque mare claudebant a die III. Iduum Novembris usque ad IV. Iduum Martii. *Vegetius* de re milit. IV, 39. Illud ieiunium νηστεία simpliciter dicitur etiam apud Philonem L. II. de vita Mos. p. 657. C.

10. Θεωρῶ — τὸν πλοῦν) *Prospicio inter saevarum procellarum vim et cum iactura non solum mercium et navis, sed vitae quoque omnium futuram esse navigationem.* Nam ὕβρις h. l. est vis atque saevitia procellarum atque tempestatis. *Horat.*

Carm. I. 4. *Tu, nisi ventis debes ludibrium, cave.* ὅτι — *μέλλειν ἔσεσθαι*) Debebat esse *μέλλει ἔσεσθαι*. Sed, recte notante *Kuinoelio*, particulas ὅτι et ὡς saepissime sequuntur Infinitivi, loco Indicativi vel Optativi, cum pendent a verbis (ut h. l. θεωρῶ), quibus addi recte poterant Infinitivi simpliciter, ita ut particulae illae redundent, quam in rem exempla plura e Polybio et Arriano collegit *Raphelius* ad h. l. *Winero* (Gramm. §. 38, 7. not. 3.) syntaxis mixta esse videtur ex *μέλλειν ἔσεσθαι τὸν πλοῦν* et ὅτι *μέλλει ἔσεσθαι ὁ πλοῦς*.

11. Τῷ *κυβερνήτῃ καὶ τῷ ναυκλήρῳ*) Κυβερνήτης est, qui navem gubernaculo regit. Ναύκληρος vero est *navicularius*, dominus navis. *Plutarch.* praec Polit. *ναύτως μὲν ἐκλέγεται κυβερνήτης, καὶ κυβερνήτην ναύκληρος. Artemidor.* I, 37. ἄρχει δὲ — *πρωρέως ὁ κυβερνήτης, κυβερνήτου δὲ ὁ ναύκληρος*. His, ut in arte sua versantibus, Centurio hic auscultandum censuit: Pauli tanquam inepta suggerentis verba, surda aure praeterivit.

12. Ἀνευθέτου — *παραχειμασίαν*) *Quum portus ille haud satis idoneus esset ad hiemationem.* Sicut εὔθετος est *idoneus*, ita ἀνεύθετος, *non idoneus, incommodus.* Hesych. ἀνευθέτου, ἀχρήστου. ἔθεντο *βουλήν*) *Consultarunt, ad deliberandum proposuerunt*, vel facta consultatione decreverunt. *Plutarch.* in Caesare: *βουλὴν δὲ θέμενοι διεκρίθησαν, capto vero consilio discesserunt.* εἴπως — *χῶρον*) *Si forte possent in Phoenice hybernare, qui portus est Cretae, spectans ad Africum et Caurum.* Φοίνιξ, portus in australi litore Cretae situs, cui auctore Ptolemaeo Geogr. III, 17.

oppidum eiusdem nominis adiacebat. Portus, ut ea quae sequuntur docent, incurvus erat, ita ut versus austrum in mare prominens, curvitate sua, non modo Africo, sed et Cauro patuerit. λίψ, latine Africus, flat ab occasu brumali, *Südwestwind.* χῶρος nomen habet ἀπὸ τοῦ χωρεῖν, quod cum impetu ac vehementia eat, et semper procellosus sit. Latine *Caurus* dicitur. Flat ab occasu aestivo, aut, ut alii volunt, solstitiali. *Nordwestwind.* Locum hunc (Vs. 12 — 16.) obscurum sane nova ratione illustrare tentavit *Michaelis* in annotatt. ad h. l.

13. Ὑποπνεύσαντος) Ὑπὸ saepe in compositione rem imminuit. Itaque ὑποπνεῖν est *leniter flare.* Νότου) *Heinrichsius:* Hic ventus non contrarius videbatur. Siquidem Belliportus, ubi adhuc degebant, in meridionali insulae littore versus *orientem*, haud procul a promontorio Salmonio, situs erat: at Phoenix, cuius portum petebant, in eadem quidem ora australi mari adiacebat, verum versus *occidentem.* Iam igitur occidentem versus tendentibus viatoribus, non quidem secundissimus, verumtamen haud quaquam adversus erat Notus. δόξαντες τῆς προθέσεως κεκρατηκέναι) *Rati, se propositum assecutos*, nautae scilicet. Κρατεῖν προθέσεως est voto potiri. ἄραντες) *Quum solvissent*, sc. navim, s. τὰς ἀγκύρας, *ancoras.* Αἴρειν et ἀπαίρειν dicuntur *tam qui mari navigant, quam qui terra iter faciunt.* Ioseph. A. III, 1, 3. XI, 11, 1. et apud Philonem saepe. ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην) *Proprius praeternavigabant Cretam.* Ἆσσον nec nomen proprium est, nec vox poëtica. Ioseph. A. I, 20, 1. de Iacobo: τοῦς μὲν προύπεμπε, τούς δὲ λειπομένους ἆσσον ἐκέλευσεν ἀκολουθεῖν, *proxime sequi se iubet.*

14. Ἔβαλε — τυφωνικός) *Invasit eam ventus procellosus.* Ἔβαλλε, *immisit se*, καθ' αὑτῆς, scil. Κρήτης, quod proxime praecessit. Sensus, bene explicante *Heinrichsio:* ventus iecit nos contra Cretam. „Auster semper et ubique quidem australiorem Cretae insulam legentes propius insulam advehit, arteque et labore curandum, ut paullisper a littore distet navigium, id quod *leniter* flante Austro (Vs. 13.) facili opera effectum redditur. At vero, irruente vento *procelloso*, vehementius idem, ut nunc, in littus adpellitur.“ *Pollux:* ἄνεμος βίαιος, σκληρὸς τυφῶν. Est autem τυφῶν et τυφώς, ut Grammaticis placet περισπωμένος, habetque significationem *incendii;* et κατ' εἰδωλοποιίαν ingentem quendam atque coelestibus quoque infestum daemonem hunc Poëtae fecerunt, qui et τυφάων et τυφωεύς. *Etymol.* Τυφὼν παρὰ τὸ τύφω, τὸ καίω, τυφὼν γάρ ἐστιν ἡ τοῦ ἀνέμου σφοδρὰ πνοή, ὃς καὶ εὐροκλύδων καλεῖται. *Plinius* de repentinis flatibus Hist. II, 49. *Sin vero depresso sinu arctius rotati effregerint, sine igne, hoc est sine fulmine verticem faciunt, qui Typhon vocatur, i. e. vibratus ecnephias. Defert hic secum aliquid abruptum e nube gelida convolvens, versansque, et ruinam suo illo pondere aggravans, et locum ex loco mutans rapida vertigine: praecipua navigantium pestis, non antennas modo, verum ipsa navigia contorta frangens.* Εὐροκλύδων) Videtur haec vox indicare *eurum, fluctus vehementissimos excitantem*, et composita esse ex εὖρος, *eurus*, ventus ab oriente flans, et κλύδων *fluctus.* Alii e coniectura legunt εὐρυκλύδων, *ventus late fluctuans, longe lateque fluctus ciens.* Alii Cod. Alex. et Vulgat. secuti prae-

ferunt] Εὐρακύλων, *Euroaquilo*, quae tamen lectio pro interpretamento recte habetur.

15. Συναρπασθέντος — ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ) *Quum autem correpta*, i. e. circumacta vel circumtorta *esset navis* procellae vi, *nec posset resistere vento.* Venti enim procellosi non eadem semper directione flare, sed huc illuc transilire solent. Artemidorus, II, 2. χειμῶνι βιαίῳ τῆς νεὼς συσχεθείσης dixit. Ἀντοφθαλμεῖν proprie notat *audacter adspicere, contra tueri;* per metaphoram autem *obniti, resistere.* Iosephus pro eo habet ἀντιβλέπειν, A. VI, 6. 2. οἷς παθήμασιν οὐκέτι ἦν ἀντιβλέψαι, *quibus malis resistere non poterat.* ἐπιδόντες ἐφερόμεθα) *Permittentes nos* sc. vento (suppl. ἑαυτοὺς) *ferebamur.* Vel secundum alios: *Ventis navem concedentes.* Plutarchus de malignit. Herod. τῷ φέροντι προσωτάτω τῆς Ἀττικῆς ἀνέμῳ παραδόντες αὑτοῦς, *vento se permittentes, qui ipsos quam longissime ab Attica proveheret.* Ἐφερόμεθα, proprium in hac re verbum, *agitabamur.* Graeci dicunt φέρεσθαι κατὰ κῦμα καὶ ἄνεμον.

16. Νησίον δέ τι ὑποδραμόντες) *Quum prope insulam parvam venissemus.* Κλαύδην) *Hierocles* Synecd. ἐπαρχία Κρήτης — νῆσος Κλαῦδος. *Ptolomaeus* III. 7. νῆσον δὲ παράκεινται τῇ Κρήτῃ ἥτε Κλαύδος, ἐν ᾗ πόλις. *Mela* II, 7. hanc Insulam vocat *Gaudos.*

17. Ἣν ἄραντες) *Quam* (scapham) *subducentes*, s. ut alii volunt, *in navem recipientes*, ne scilicet procellis opprimeretur. Βοηθείαις ἐχρῶντο) *Adiumentis utebantur.* Adiumenta hic vocantur adminicula illa,

quibus navi periclitanti succurritur, quo pertinent catenae, unci, funes et alia instrumenta nautica. ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον) *Navis latera firmarunt.* Naves funibus utrinque sub fundum adductis et utraque earum latera adstringentibus contra ventorum et fluctuum vim munire voluerunt Veteres. *Polybius* Leg. 64. μ. ναῦς συμβουλεύσας τοῖς Ῥοδίοις ὑποζωννύειν. *Hesychius:* ζωνεῦματα, ὑποζώματα, σχοινία κατα μέσον, τὴν ναῦν δεσμεύόμενα. *Theognis* 513. Νηός τοι πλευρῇσιν ὑπὸ ζυγὰ θήσομεν ἡμεῖς κλεαρισθ' οἳ ἔχομεν. μὴ εἰς τὴν Σύρτιν ἐκπέσωσι) *Ne navis una cum ipsis impingeretur in Syrtim.* Sic vocantur omnia loca vadosa a duobus in Africa arenosis sinibus dictis hoc nomine. *Sallustius: inter duas Syrtes, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxima terrae praealta sunt, cetera, uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse et saevire ventis coepit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis simul mutatur.* Ios. de B. I. II, 16, 4. αἱ Φοβεραὶ καὶ τοῖς ἀκούουσι Σύρτες. χαλάσαντες τὸ σκεῦος) Quid hic sit h. l. τὸ σκεῦος, non satis certum est. Grotius: *demisso malo;* nam malus hic κατ' ἐξοχὴν dicitur σκεῦος, sicut et Syrus accepit. Et hoc quidem probabilius est. Solet enim demitti malus, aut etiam in repentino periculo abscindi. *Kypke: demittentes ancoram*, s. *ancoras.* Quod ad τὰ σκεύη etiam ancorae pertinuerint, docet *Iulius Pollux* L. I, c. 9. Plutarch. praec. reip. ger. ὥσπερ ἐν πλοίῳ σκεῦος ἱερὸν, sicut sacra ancora in navi. χαλάσω τὴν ἱερὰν ἄγκυραν, *sacram ancoram demittam*, Suidas dicit in

hac voce. Sed quo minus h. l. de ancoris cogitemus, vetant verba οὕτως ἐφέροντο. Etenim navis ancoris adstricta non φέρεται. Aliis τὸ σκεῦος h. l. est *velum*. Sed vela indubie statim post exortam procellam demiserant, coll. Vs. 15.

18. Σφοδρῶς δὲ χειμαζομένων ἡμῶν) *Quum vehementi tempestate fluctibusque maris huc illuc iactaremur*. Sic χειμάζεσθαι apud optimum quemque, Iosephum etiam A. XII, 8, 3. ἐκβολὴν ἐποιοῦντο) *Iactum fecere*, nautae scilicet. Ἐκβολὴ *iactus*, *iactura*. Fit id levandae navis gratia. Solet autem hic ordo servari, quem et in hac historia habemus. Primum iaciuntur merces, ut hoc loco; deinde utensilia ut statim sequitur, postremo et cibaria, ut infra Vs. 38.

19. Αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐρρίψαμεν) *Ipsimet sarcinas nostras e navi proiecimus*. Τοῦ πλοίου pro ἐκ s. ἀπὸ τοῦ πλοίου. Per σκευὴν intellige *vasa, utensilia*, omnemque *apparatum*, qui viatorum erat, in hac navi proficiscentium. *Eustachius* in Od. β. ὅρα, ὅτι ὅπλα κἄνταῦθα λέγει τὴν νεὼς — ἱστὸν — βαθμούς.

20. Χειμῶνος τε οὐκ ὀλίγου ἐπικειμένου) *Quum tempestas haud exigua incumberet*, s. *nos urgeret*. Plut. Symp. VI. ἐν τοῖς μεγάλοις χειμῶσι. λοιπὸν — ἡμᾶς) *Iam spes omnis salutis nobis erat demta, vel amputata*. Λοιπὸν h. l. ponitur pro ἤδη, *iam*; quod non infrequens auctoribus. περιαιρεῖν, *undique*, *ab omni parte*, *penitus auferre*. *Aelian* V. H. III, 14. προφάσεως αὐτοῖς περιῃρημένης.

21. Πολλῆς δὲ ἀσιτίας ὑπαρχούσης.) *Quum autem esset multa a cibo abstinentia.* Non quod alimenta deessent, ut mox videbimus, sed quod ingens illa iactatio adimat omnem appetitum, ac contra cibi fastidium pariat. κερδῆσαί τε — ζημίαν) *Evitare hanc tempestatem atque damnum*, supra Vs. 10. Κερδεῖν hic est *lucrifacere* s. *evitare; sich etwas ersparen.* Themistius orat. 8. quinquen. *Non quem pastorem constituisti, eum si pro pastore se lupum ostendat* κερδαίνειν τὴν προσήκουσαν δίκην ἐᾷς, *poenam promeritam effugere pateris.* Sic etiam Ioseph. A. II, 3. 2. Ζημία hic est mercium et rerum pretiosarum damnum. Ὕβρις autem tempestatis incommoda et iniurias hic notat.

22. Ἀποβολὴ — τοῦ πλοίου) *Nullius vitae iactura fiet*, s. *nemo vestrum amittet vitam, sed navis tantum amittetur*; i. e. μόνου τοῦ πλοίου ἔσται ἀποβολή. Nempe, si me audietis, quae conditio ex superiori oratione satis intelligitur. Ἀποβολὴ autem ψυχῆς eleganter hic pro *iactura* s. *amissione vitae* dictum. Sic Ioseph. A. II, 6, 9. παίδων ἀποβολή, *liberorum iactura.* XIV, 14, 3. φορτίων ἀποβολή, *iactura oneris.*

23. Παρέστη — λατρεύω) *Adstitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius ego sum minister et cultor.* Τοῦ Θεοῦ, οὗ εἰμὶ) Post verba οὗ εἰμὶ subaudi κτῆμα s. δοῦλος, *cuius peculium*, s. *servus sum.* Eadem ellipsi utitur Demosthenes pro Phormion. ἔδωκε Σατύρῳ τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, ἑαυτοῦ ποτε γενομένῳ *dedisse uxorem suam Satyro, qui quondam servus illius fuerat.* Differt tamen οὗ εἰμὶ a sequenti ᾧ λα-

τρεύω. Per hoc enim indicat Paulus, se etiam servi officio strenue ac graviter defungi, et non esse ἀχρεῖον δοῦλον. *Eichhornius* (in Biblioth. universali literat. bibl. Tom. III. p. 407.) opinatur, Paulum somniasse, se cum sociis suis terram continentem appulsurum esse, atque hoc somnium, dispensante ita rem providentia, eventum habuisse, ut multa somnia, quibus interdum eventus respondeat. Huiusmodi somnia ab angelis offerri Iudaei credebant. *Storrius* autem (in dissert. exeget. in N. T. Parte II. p. 93.) evincere studet, hanc nocturnam angeli visionem non naturale somnium, sed divinum, quod Paulum fallere non potuerit, fuisse.

24. Κεχάρισται — μετὰ σοῦ) *Condonavit tibi Deus*, i. e. *tui gratia in vita conservabit singulos itineris tui socios.* Sic Dionisius Hal. Ant. L. V. quum consul Brutus in filios capitalem sententiam protulisset, ab omnibus dicit reclamatum esse, addens: *Indignum quippe iudicabant, talem virum mulctari filiis*, καὶ χαρίζεσθαι τὰς ψυχὰς τῶν μειρακίων ἐβούλοντο τῷ πατρὶ, *et vitam adolescentum donare patri volebant.* Sicuti improbus homo cum aliis idem navigium ingressus, atque ex istius aevi opinione, naufragio poenas luens, et aliis auctor fit exitii; ita homo prae aliis probus piusque, peculiari numinis tutela susceptus, eripitur imminenti naufragio, et eius causa eripiuntur et ceteri omnes.

26. Ἐκπεσεῖν) *impingere*, ut Vs. 17. Herodotus VIII, 13. Φερόμενοι τῷ πνεύματι, καὶ οὐκ εἰδότες τῇ ἐφέροντο, ἐξέπιπτον πρὸς τὰς πέτρας.

27. Διαφερομένων ἡμῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ) *Quum iactaremur in mari Adriatico.* Διαφέρεσθαι est *iactari, agitari, incerto cursu huc illuc ferri.* *Plutarchus* in Arato: ὥσπερ ἐπὶ ναυαγίου τῆς πατρίδος ἐν τοσούτῳ σάλῳ καὶ κινδύνῳ διαφερόμενος, *veluti in patriae naufragio in tantis undis et periculo iactabatur.* Ceterum hic non intelligitur *sinus* Adriaticus, sed potius *mare* Adriaticum, quod etiam *Ionium* dicitur. *Hesychius:* Ἰόνιον πέλαγος ὁ νῦν Ἀδρίας. ὑπενόουν οἱ ναῦται προσάγειν τινὰ αὐτοῖς χώραν) *Suspicabantur nautae appropinquare sibi regionem aliquam.* Lucas optice loquitur nautarum more. Sic *Achilles Tatius* L. II. dicit: *Portus relinquebatur* γῆν γὰρ ἐωρῶμεν ἀπὸ τῆς νηὸς κατὰ μικρὸν ἀναχωροῦσαν ὡς αὐτὴν πλέουσαν. Arn. III, 73. *Provehimur portu, terraeque urbesque recedunt.* Lucretius IV, 300. *et fugere ad puppim colles campique videntur.*

28. Βολίσαντες) *Demissa bolide.* Βολὶς est funis cum plumbo, quo deiecto, nautae maris altitudinem explorant. *Senkbley.* ὀργυιὰς) *Passus.* Ὀργυιὰ est, quantum patent passae manus, unde passui nomen, s. mensura inter ambas manus expansas contenta, *eine Klafter.* *Etymol.* ὀργυιὰ σημαίνει τὴν ἔκτασιν τῶν χειρῶν, σὺν τῷ πλάτει τοῦ στήθους. *Eustathius:* ὀργυιά, τρίπηχυ μέτρον.

29. Εἰς τραχεῖς τόπους) Aspera loca vocantur *saxosa*, ut hic recte explicat Syrus, qualia multa esse circa insulas solent. ἐκ πρύμνης — τέσσαρας) *Iactis de puppi quatuor ancoris.* Sic Virgilius: *Ancora de prora iacitur.* Pluribus autem opus ancoris, ubi sae

vit mare. Caes. B. C. I. 25. *naves quaternis ancoris destinabat, ne fluctibus moverentur.* ηὔχοντο ἡμέραν γενέσθαι) *Optabant ut lucesceret.* Curtius V, 4, 26. *exspectata lux omnia quae terribiliora nox fecerat, minuit.*

30. Χαλασάντων τὴν σκάφην εἰς τὴν θάλασσαν) *Demitterentque scapham in mare.* Nimirum ut in eam delapsi, derelicta navi, saluti suae consulerent. Ad *Herenn.* I. Magnitudine tempestatis omnes perterriti navim reliquerunt, et in scapham conscenderunt. προφάσει — ἐκτείνειν) *Sub specie, quasi ex prora ancoras vellent extendere.* Μελλόντων est genitivus consequentiae, post quem supplendum est αὐτῶν ut Luc. XII, 36. αὐτοῦ subauditur. Non insolens post voculam ὡς haec constructio. Sic Arian. Dissert. Epict. L. IV, c. 8. *Nunc quum ipse sobrius es, propter ea, quae male facere tibi videtur, dicis: ecce philosophum:* ὡς πρέποντος λέγειν τὸν ταῦτα ποιοῦντα φιλόσοφον, *quasi illum, qui haec facit, philosophum vocare deceret.*

31. 32. σωθῆναι οὐ δύνασθε) Quum milites et viatores navem gubernare nescirent. Εἴασαν) *Siverunt* scapham in undas dilabi.

33. Ἄχρι) *Priusquam, antequam.* Sic Appianus bell. Parth. *Et quum* ductores urgerent, ut pergeret: ἄχρι ἂν ἡ σελήνη παραλλάξῃ τὸν σκόρπιον, *priusquam luna transeat scorpium.* τεσσαρεσκαιδεκάτην — προσλαβόμενοι) *Dies hic decimus quartus est, quod expectando ieiuni mansistis, neque cibo iusto usi estis.*

Verba haec non ad vivum resecanda, sed ita capienda sunt, ut hi homines per illos dies non ordinario modo, et ad satietatem usque cibum potumque sumsisse dicantur; more loquendi omnibus fere Scriptoribus communi. Ioseph. Ant. VI, 14, 8. VII, 7, 4.

34. Παρακαλῶ — τροφῆς) Nempe ut firmiores essent ad perferendos labores, quibus erat opus. Pro προσλαβεῖν optimi Codd. exhibent μεταλαβεῖν. Πρὸς cum Genitivo significat *ad.* οὐδενὸς — πεσεῖται) Proverbialis locutio, sicut latine dici posset: Ne hilum quidem vobis nocebitur. Intellige hoc rursus sub conditione, si consilia mea sequamini. Pro πεσεῖται *Griesb.* et *Schott.* in ordinem receperunt: ἀπολεῖται.

38. Ἐκούφιζον τὸ πλοῖον) *Levarunt navem*, iactando nimirum cibaria, ut statim sequitur, ἐκβαλλόμενοι τὸν σῖτον. Sciebant enim terram esse propinquam.

39. Τὴν γῆν οὐκ ἐπεγίνωσκον) *Terram non agnoscebant;* nempe nec quae esset, nec quo nomine appellaretur. Cf. c. XXVIII, 1. κόλπον δέ τινα κατενόουν ἔχοντα αἰγιαλὸν) Recte monet *Kuinoelius*, haec verba ita esse construenda: κατενόουν αἰγιαλὸν ἔχοντα κόλπον τινά, εἰς ὃν scil. κόλπον: Animadvertebant litus *habens sinum quendam* seu *sinum in litore animadvertebant, in quem* (sinum) *decreverunt, si fieri posset, appellere. Sinum* vocant Latini quoque mare intra terras, ut Adriaticum, Persicum, Arabicum. ἐξῶσαι τὸ πλοῖον) *Appellere navem.* Sic etiam Latini loquuntur. Caesar B. C. III, 28. *gubernatorem navem in terram eiicere cogunt.* Livius XLIV, 28. *velis datis*

ad Chium naves eiecere. Alias milites et nautae dicuntur ἐξωθεῖν non navem, qua ipsi vehuntur, sed hostilem, quam persequuntur. Thucydides VII, 52. τὰς πάσας ναῦς ἤδη τῶν Ἀθηναίων κατεδίωκόν τε καὶ ἐξεώθουν ἐς τὴν γῆν.

40. Καὶ τὰς ἀγκύρας περιελόντες) *Ancoris undique sublatis.* Absciderunt nimirum funes, ancoris in mari reiectis. Volebant vento uti, quod non poterant nisi sublatis ancoris. εἴων εἰς τὴν θάλασσαν) Est brevis locutio: pro: εἴων τὸ πλοῖον ἰέναι εἰς τὴν θάλασσαν. *Siverunt navem ire in mare,* illud scilicet, quod in ter locum, in quo defixa fuerat navis, et littus intererat. Alii verba εἴων εἰς τὴν θάλασσαν referunt ad ancoras, vertuntque: *ancoras abscissas reliquerunt in mari.* ἅμα — πηδαλίων) *Laxantes vincula gubernaculorum.* Naves Veterum, maiores praecipue, duo habebant gubernacula, unum in prora, alterum in puppi. Apuleius de Asino II. *Navis ipsa qua vehebamur, utroque regimine amisso, praecipitio demersa est.* Ea gubernacula vinculis quibusdam annectebantur navi, quas hic graece Lucas ζευκτηρίας vocat, Latinus *iuncturas.* Quum laxantur ea vincula, tunc gubernacula multum in aquas descendunt, et pondere suo navem retinent, quo minus a ventis evertatur. καὶ ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα τῇ πνεούσῃ) *Et oblato* (vel *expanso*) *artemone flanti aurae,* i. e quum direxissent artemonem secundum ventum spirantem. Τῇ πνεούσῃ, sc. αὐρῇ s. πνοῇ. Papias: *Artemo velum navis breve. Velum artemonis hodienum ita vocatur, sive velum Latinum, forma triangulari, suspensum de malo artemonis, qui est in puppe.* Eo uti solent nautae,

ubi metuunt, ne vela maiora plus satis venti concipiant, navemque nimis urgeant. κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλόν) *Tendebant ad littus.* Sic Antipho de caede Herodis: ὑφ' οὗ (χειμῶνος) ἠναγκάσθημεν κατασχεῖν εἰς Μηθυμναίας τι χωρίον, *per quam (tempestatem) ad locum quendam Methymnaeae tendere coacti sumus, ubi* κατέχειν ab ὁρμεῖν, *appellere* distinguitur.

41. Εἰς τόπον διθάλασσον) Codices. Latini: *in locum vadosum ubi duo maria conveniebant.* τόπος διθάλασσος proprie est locus, qui utrinque mari alluitur, *isthmus.* Hoc loco autem significat *brevia*, loca vadosa (*Untiefe*), vel *aggerem oblongum ex arena congestum* (*Sandbank*), qui in ipso sinus, quem petebant, aditu obiectus erat. ἐπώκειλαν τὴν ναῦν) *Appulerunt*, vel *impegerunt navem.* Significat autem verbum hoc appulsionem vehementem. Polybius I. ἢ τοῖς βράχεσι περιπίπτων ἐκάθιζε κατὰ πρῴραν, ἢ πρὸς γῆ φερόμενον ἐπώκελλε, (navigium) *aut incidens in brevia subsidebat ad puppim, aut quum deferebatur terram versus appulsum haerebat.* Verbum est ὀκέλλω, quod Grammatici ducunt a verbo altero κέλλω, cuius significatio accedit ad eam, quae est latini verbi *cello*, unde *percello.* Hesychius: ἐποκεῖλαι, ἐπὶ τὸ ξηρὸν ἐλθεῖν, *allidere.* ἡ μὲν πρῴρα — ἀσάλευτος) *Prora haerens mansit inconcussa.* Aen. V, 206. *illisaque prora pependit. Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.* ἡ δὲ πρύμνα — κυμάτων) *Dissoluta est puppis a fluctibus*, quia in terram subvehi non potuerit. Sic verbo *solvi* utitur *Virgilius:* (navis) *atque viros mediis exponit in undis.*

42. Μήτις ἐκκολυμβήσας διαφύγῃ) *Ne quis ena-*

tando evaderet. Ἐκκολυμβᾷν est *enatare, natando evadere et in tutum pervenire.*

43. Ἐκέλευσε — ἐξιέναι) *Iussit, eos qui natare possent, se primos in mare proiicere, ut in terram evaderent.* Post ἀπορρίψαντας subaudiendum est ἑαυτούς. Plene Lucianus in Toxari dicit: ῥίψαι ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν, *eum sese in mare coniecisse.* Iis qui natare non poterant fragmina et reliquiae navis praesidio erant.

44. Καὶ τοὺς λοιποὺς — τοῦ πλοίου) *Ceteros autem supra tabulas, aut aliquo fragmento navis,* sc. evadere in terram; posito verbo ἐξιέναι, ἀπὸ κοινοῦ.

CAP. XXVIII.

1. Μελίτη) Hodie *Malta,* Siciliam inter et Africam. Est alia etiam insula, quae Meleta nuncupatur, ubi hodie est *Bosnia* et *Dalmatia;* sed in hanc ne potuerunt quidem venire.

2. Βάρβαροι) Sic vocantur hi Insulani, ob barbaram linguam, qua utebantur, africanam nempe et arabicam. Ovid. Trist. V, 10. 37. *Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.* οὐ τὴν τυχοῦσαν) Cf. ad XIX, 11. Διὰ — ἐφεστῶτα) *Propter pluviam ingruentem.* Ἐφίστασθαι hic est quod supra XXVII, 20. ἐπικεῖσθαι. Polybius: ὥστε διὰ τὸν ἐφεστῶτα ζόφον μηδὲ τοὺς ἐν ποσὶ δύνασθαι βλέπειν.

3. Συστρέψαντος — πλῆθος) *Quum autem Paulus*

sicca virgulta in fasciculum contorsisset, constrinxisset. *Φρύγανα* *Hieronymo* in Hos. II. sunt aridae herbae, siccaque virgulta, quae camino et incendio praeparantur. *ἔχιδνα ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα*) *Vipera quae perrependo prodierat, eliciente calore.* Ἐκ h. l. *propter.* Fuit nimirum vipera cum festucis a Paulo comprehensa, et quum sarmenta ab ipso imponerentur in rogum, effugere volebat vipera, ignis calorem ut senserat. *καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ*) *Adhaesit ad manum eius,* manui eius se alligavit.

4. Τὸ *θηρίον*) Sic solent vocari bestiae, quae veneno nocent, in quibus excellunt viperae, unde *θηριακὴ ἀντίδοτος* nomen habet. *πάντως φονεύς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος*) Putabant per id ipsum, quod modo evenerat, Paulum esse convictum insignis cuiusdam sceleris. *διασωθέντα — εἵλκυσεν*) Naufragium, inquiunt, mortis genus bonis iuxta et malis commune, evasit, ut rariore et insigniore exemplo eius scelera puniantur. Ἡ *δίκη*, *divina ultio*, vel *κατ' εἰδωλοποιΐαν iustisiae numen. Hesiodus ἔργ.* 254. *ἡ δὲ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα, Δίκη est virgo Iove prognata.* Anthol. III, 6. 8. *κἦν με κατακρύπτῃς, ὡς οὐδενὸς ἀνδρὸς ὁρῶντος, ὄμμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γιγνόμενα.*

6. Οἱ *δε — πίμπρασθαι*) *Exspectabant autem dum eveniret, ut intumesceret,* veneno sc. Medium *πίμπρασθαι* denotat *intumescere.* Tumor sequitur inflammationem. *ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρὸν aut concideret statim mortuus;* venenum enim viperae quibusdam in locis valde rapidum est. *ἐπὶ πολὺ*) *Diu.* Epictetus in Enchirid. c. 63. signum hebetis ingenii esse

dicit, *ἐπὶ πολὺ γυμνάζεσθαι, ἐπὶ πολὺ ἐσθίειν, ἐπὶ πολὺ πίνειν, ἐπὶ πολὺ ἀποπατεῖν, exerceri diu, edere diu, potare diu, cacare diu.* *μηδὲν ἄτοπον*) *Nihil noxium, nihil incommodi, mali, damni.* Ioseph. Ant. VIII, 14, 4. *καταφιλήσας θαρρεῖν ἐκέλευσε, καὶ μηδὲν τῶν ἀτόπων προσδοκῶν.* *μεταβαλλόμενοι*) *Mutati*, i. e. mutata sententia, ut mos vulgi: *Sequitur fortunam, ut semper, et odit damnatos.* *θεὸν αὐτὸν εἶναι*) Comparabant fortasse vel Herculi, qui in cunis adhuc iacens angues superavit, vel Aesculapio, qui cum serpente pingitur.

7. *Ἐν δὲ — τῆς νήσου*) *In vicinia autem loci* seu *regionis* (ubi Paulus eiusque comites versabantur), *habebat praedia primarius insulae.* *Χωρία, regio, κατ' ἐξοχὴν* dicitur de fundis, agris, praediis, villis, quas quis possidet. *Πρῶτος* h. l. est nomen magistratus Romani huic insulae praefecti, quod patet ex inscriptione in insula Melite reperta: *Λ. κ. υἱὸς κύρ. Προύδηνς ἱππεὺς ῥωμ. πρῶτος Μελιταίων καὶ πάτρων, ἄρξας καὶ ἀμφιπολεύσας θεῷ Αὐγούστῳ. ὃς ἀναδεξάμενος — ἐξένισεν*) *Qui nos exceptos tribus diebus hospitaliter tractavit.* Illud *φιλοφρόνως, hospitaliter, amice, benigne*, virtutem designat, quam in hospitum exceptione inprimis laudant auctores. *Aelianus* V. H. IV, 9. *ὑπεδέξατο αὐτοὺς εὖ μάλα φιλοφρόνως.* Diod. Sic. XIII, 4. *δεξαμένων δ' αὐτοὺς τῶν ἐν τῇ πόλει φιλοφρόνως.*

8. *Πυρετοῖς καὶ δυσεντερίᾳ*) *Febribus et intestinorum torminibus.* *πυρετοῖς* (observante *Bornemanno*) non idem est ac singularis huius nominis numerus, plurali *πυρετοὶ* exprimente *tentationes febris, Fieber-*

anfälle. Δυσεντερίαν *tormina* vertit *Celsus* IV, 15. Is morbus si duret, plerumque et febres affert.

10. Οἳ καὶ — ἡμᾶς) *Qui propterea multis praemiis nos affecerunt.* Τιμὴ, *praemium.* Καὶ ἀναγομένοις — χρείαν) Sensus est: Non solum Publius, verum etiam isti certatim nos iam profecturos rebus necessariis onerarunt, quas cumulate ingesserunt, et nec petentibus imposuerunt. Ἀνάγεσθαι, *solvere,* proficisci.

11. Παρασήμῳ Διοσκούροις) Latinus vertit: *Cui erat insigne Castorum,* s. Castoris et Pollucis. Nam Διόσκουροι, vel rectius διόσκοροι appellantur fratres gemini, Iovis et Ledae filii, quorum peculiare munus erat, hominibus naufragio periclitantibus succurrere. In prora navis erat effigies illius Dei, in cuius tutela erat navis: in puppi autem erat insigne illius Dei, vel vicissim. Procopius ad Ies. XI, 14. ταῖς πρώραις τὰς θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον, ὡς καὶ νῦν ἁγίων μαρτύρων. *Aen.* X. Servius: *Solent naves nomen accipere a pictura Tutelarum.* Hinc est: *hunc vehit immanis Triton.* 170. *et aurato fulgebat Apolline puppis* 156. *Aeneia puppis Prima tenet rostro Phrygios subvecta leones* etc.

13. Ὅθεν — Ῥήγιον) *Inde circumlegentes* (Siciliam) *devenimus Rhegium,* urbem et promontorium in Italia inferiore. *Etymol.* ῥήγιον, πόλις πλησίον Σικελίας, ἐπειδὴ σεισμοῦ γενομένου ἀπετελέσθη τὰ ἐκεῖ ῥαγέντος τοῦ τόπου ἐκείνου. Iustinus IV, 1, 7. *Rhegium dicitur ideo, quia graece abrupta hoc nomine pronunciantur.* Festus: Rhegium appellatur id munici-

pium, quod in freto e regione Siciliae est, quoniam id dictum est a rumpendo. δευτεραῖοι) *Die secunda, biduani*, si ita loqui liceret. Io. XI, 39. *Arrianus* Exp. Al. II. δευτεραῖος ὑπερβαλὼν τὰς πύλας. εἰς Ποτιόλους) Puteolos (hodie *Pozzuolo*) enim appellere solebant naves Alexandrinae, ut docet nos Seneca epist. 77. Festus: *Minorem Delum Puteolos esse dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum, cui successit postea Puteolanum, quod municipium graecum antea Dicaearchia vocatum est, unde Lucilius: Inde Dicaearchum populos, Delumque minorem.*

14. Παρεκλήθημεν ἐπ' αὐτοῖς ἐπιμεῖναι) Al. leg. παρ' αὐτοῖς. *Rogati sumus ut apud eos permaneremus.* καὶ οὕτως) *Atque ita.* Recte monet *Bornemann* verba οὕτως κ. τ. λ. ita accipienda esse, quasi ἐπιμείναντες ἡμέρας ἑπτά particulae οὕτως aut denuo praecederent, aut eam sequerentur. ἤλθομεν) Vertendum est: *tendimus*, *ivimus*, non *venimus*, ut Io. VI, 17. et aliis locis.

15. Τὰ περὶ ἡμῶν) Quae ad nos pertinebant, res nostras, s. fata nostra. Ἀππίου Φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν) In via Appia, strata militari opere ab Appio Coeco, longa atque lata, excurrente mare versus, fuerunt quum alia loca, tum civitates, quibus nomen *Fori Appii*, tum etiam *trium tabernarum*. Tres Tabernae propiores *Romae*, ut patet ex epist. Cic. ad Attic. II, 10. *Ab Appii Foro hora quarta dederam aliam paulo ante Tribus Tabernis. Horat.* Serm. I, 5. 3. *Forum Appii, differtum nautis, cauponibus atque*

malignis. ἔλαβε θάρσος) *Animum cepit.* Θάρσος λαμβάνειν *fiduciam capere, animum capere.* Dionys. Hal. Ant. L. IV. τὸ αὐτὸ λαβοῦσι θάρσος, καὶ μιᾷ γνώμῃ χρησαμένοις. *Heinrichsius:* Boni sane ominis instar habendum erat, quod primi, qui ex urbe, cuius videndae ardentissimo voto iam dudum flagraverat, occurrebant, e Christianorumho minum numero fuerant, tamque studiose eum exceperant, unde plenus gratiarum ad Deum preces fundit, optima quaevis in commodum Evangelii auguratus.

16. Τῷ στρατοπεδάρχῃ) *Praefecto Praetorio.* Nam Imperatorum temporibus mos obtinuit, ut ex provinciis Romam ad Caesarem missi vincti, *Praefecto Praetorio* custodiendi committerentur; cuius rei illustrissimum exemplum est Aprippae Regis apud Ioseph. XVIII, 6, 6. καθ' ἑαυτὸν) *Solum, sine aliis, seorsim ab aliis captivis.* Aelian. H. A. XV, 3. οἱ μὲν αὐτῶν εἰσι μονίαι — καὶ καθ' ἑαυτοὺς νήχονται. σὺν τῷ Φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ) Factum hoc est ex more quodam Romano, tunc temporis recepto, quo reus coram Caesare sistendus, alligatus militi Praetoriano catena, quae copulabat et reum et militem, diligentius observabatur et custodiebatur. *Seneca* Epist. V. *eadem catena et custodiam et militem copulat.* Ioseph. XVIII, 6, 7. ubi Agrippa, iussu Tiberii, a Praefecto Praetorio, Macrone, vinctus, catena alligatus dicitur cuidam militi Praetoriano, ἠξίωσε τὸν συνδεδεμένον αὐτῷ στρατιώτην, *rogavit militem, qui ei una eademque catena alligatus erat.* Sed quod iam supra ad XXII, 30. indicavimus, in eo *Heinrichsium* ad h. l. nobiscum consentientem deprehendimus, ita videlicet disse-

rentem: „Crediderim tamen, Paulum, qui omni modo lenius tractabatur, non ita fuisse coercitum, sed alio quovis modo in vinculis remissioribus habitum, quorum sane saepius in epistolis mentionem facit, Phil. I, 7. Col. IV, 18. al. Multum autem ad hanc lenitatem, qua prae omnibus aliis captivis Romae excipiebatur, contulisse videntur tum litterae Festi, in quibus de causa Pauli ad Caesarem retulerat, tum humanitas et mansuetudo Iulii centurionis.“ Adde: itineris fata, quum Romae innotescerent, multa debuisse conferre, ut unicuique Paulus commendaretur. Ceterum verba: ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκε τοὺς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῃ· τῷ δὲ suspectissima sunt, quum in Codd. et Verss. haud paucis desint, nec perspiciatur, qui factum sit, ut a librariis omitterentur.

17. Τοὺς ὄντας τῶν Ἰουδαίων πρώτους) i. e. *Principes*, *primores*, qui prae ceteris inter Iudaeos dignitate auctoritateque florebant, Ioseph. Ant. VII, 9, 8. δέχονται δ' αὐτὸν (Δαυίδην) ἀσμενέστατα πάντες οἱ πρῶτοι τῆς χώρας.

18. Ἀνακρίναντές με) *Habita quaestione de me.* Ἐβούλοντο ἀπολύσαι) Voluerunt me dimittere, nempe nisi appellassem.

19. Οὐχ ὡς — κατηγορῆσαι) Ellips. *Non adsum ut accusem meum populum.* Accusor, non accuso, nec contra totam gentem ulla lis mihi est.

20. Παρεκάλεσα ὑμᾶς ἰδεῖν καὶ προσλαλῆσαι) *Accersivi, rogavi ut accederetis, ut viderem vos et allo-*

querer. Ἕνεκεν — τοῦ Ἰσραὴλ) *Propter Messiam.* Nam ἐλπὶς h. l. est *persona quae exspectatur*, nempe Messias. τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι) *Catena hac circumdatus sum*, vel omnino: *captus teneor.* Verbum περίκειμαι construitur hic more passivorum et neutrorum, adeoque perinde est, ac si dicas: ἡ ἅλυσις αὕτη περίκειταί μοι. *Ioseph.* de Maccab. c. 12. sub init. ὁρῶν ἤδη τὰ δεσμὰ περικείμενον, *quum iam vinculis cerneret circumdatum.*

22. Ἀξιοῦμεν — Φρονεῖς) *Cupimus a te audire, quae sentias*, quibus argumentis defendere possis et propugnare sectam, quae Iesum esse Messiam contendit, et cui undique adversantur. Plat. de fortun. Rom. προτιμᾶσθαι τοῦ Θεμιστοκλέους ἀξιούντων; *qui Themistocli praeferri cupiebant.* πανταχοῦ) *Ubique*, i. e. plerisque in locis, sive a plerisque omnibus.

23. Εἰς τὴν ξενίαν) Domum in qua divertebat. οἷς ἐξετίθετο — θεοῦ) *Quibus exposuit docendo regnum Dei*, i. e. explicavit illis, quaenam sit natura et ratio regni Dei, et Messiae. Πείθων — Ἰησοῦ) *persuasit iis, quae ad Iesum pertinent*, i. e. exposuit illis totam rationem doctrinae christianae, et quidem *e libris Mosis et Prophetarum*, i. e. illustravit illis vaticinia V. Testamenti de Messia. ἀπὸ πρωΐ ἕως ἑσπέρας) *a diluculo ad vesperam*, quia res gravissima erat, multumque in contrariam partem disceptabatur, id quod statim sequitur.

25. Ἀπελύοντο) *Discedebant.* Polybius: αὖθις ἀπολύεται. Ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἀπελύθη. εἰπόντος —

ῥῆμα ἓν) i. e. Abeuntibus hoc unum dixit, nempe ad notandam eorum incredulitatem, post tot monita eius reiecta. Sic dici solet de iis, qui praecedentem sermonem suum insigni aliquo dicto claudere et quasi signare volunt.

26. 27. De sensu horum verborum vide notata ad Matth. XIII, 14. 15. Io. XII, 40. 41. Pro εἰπὲ, quae est notior Imperativi forma, cum pluribus optimae notae Codd. legendum est εἰπὸν, Imper. aor. 1. εἶπα.

28. Τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ) Σωτήριον, substantive, refertur interdum ad personam, ut Luc. II, 30. modo ad rem, ut hic ad sermonem Evangelii. Potuerat Deus ad gentes eum sermonem mittere, etiamsi nihil peccassent Iudaei. Sed non fecit hoc, nisi postquam Iudaei plurimi id beneficium sibi oblatum contemserant. Supra XIII, 46. 47. αὐτοὶ καὶ ἀκούσονται) Non audient tantum, sed et obedient. Nam ἀκούειν hic est quod Matth. XIII, 32. ἀκούειν καὶ συνιέναι.

29. Πολλὴν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς συζήτησιν) Ἐν ἑαυτοῖς, *inter se*; συζήτησιν, *disputationem*, alio defendente, quod alius accusabat. Totum hoc comma in libris multis omissum est.

30. Ἐν ἰδίῳ μισθώματι) *In suo conducto*, scil. domicilio. Suum dicitur ratione usus. *Philo:* ἐν μισθώματι οἰκεῖν. Seneca de Benef. VII, 5. *Nec conductum meum, quamquam sis Dominus, intrabis.*

31. Τὰ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ) Codd. lat.

Quoniam hic est Christus, filius Dei, per quem omnis mundus iudicabitur. ἀκωλύτως) *absque impedimento, libere.* Herodian. VIII, 2, 1. διέβησαν ἀκωλύτως, μηδενὸς γενομένου, *posteaquam sine ullo impedimento descenderent.* Credibile est per illud biennium, quo Paulus Romae fuit, propagatam esse religionem christianam non tantum in multis Italiae locis, sed etiam in vicinis regionibus. Non igitur mirum est, iam Seculo II. in Gallia extitisse ecclesias, quae suos haberent episcopos. Facile intelligitur, non omnes res gestas Pauli in his Actis enarrari. Reliqua ad eius historiam pertinentia ex Patrum, quos vocant, libris, repetenda sunt, quorum vero non semper tuta est fides. Plures statuunt, ex prima illa captivitate Paulum liberatum, et post aliquot demum annos, quum iterum Romam venisset, sub exitu imperii et vitae Neronis capite truncatum esse. Qua de re Vid. *Heinrichsius* ad h. l. *Kuinoelius* in Prolegg. ad Acta, *Winerus* in *bibl. Realwörterbuch* s. v. *Paulus.*

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

Paulus *Tarsi*, Ciliciae urbe, parentibus quidem Iudaeis, civibus autem Romanis natus, iuvenis Hierosolyma petiit, ut ex ore R. Gamalielis arcanos legis sensus et traditiones Pharisaeorum doceretur, eosque fecit profectus, ut amore Iudaismi et odio doctrinae Christi supra alios celebraretur. Mirabili postea providentiae divinae ductu ad Christum conversus id omni opere egit, ut et Gentes et Iudaeos ad Christum adduceret, et utrosque aequo iure frui debere contenderet. Quae res quum ipsum multis magnisque molestiis obiiceret, tandem ultimis Neronis temporibus Romae capite plexus est, anno Chr. LXVIII. vel ut *Hambergero* in Z. N. Vol. III. pag. 77. videtur, intra an. Chr. 64—68. In pueritia litteras humaniores et litteraturam graecam degustavit, ut multis videtur, cuius studii vestigia deprehendi putant Act. XVII, 28. 1 Cor. XV, 33. Tit. I, 12. Quod tamen alii rectius negant. Nam quod ex poetis graecis aliquot loca excitavit, et Tarsi, quae urbs litteris bonis abundavit, educatus est, id nondum va-

let ad cognitionem atque intelligentiam litteraturae graecae demonstrandam. Vid. *Christ. Guil Thalemann de eruditione Pauli Apostoli iudaica, non graeca*, Lips. 1769. Multa de eruditione et stilo Pauli habet *Io. Dav. Michaelis.* Einleitung in die göttl. Schriften des N. B. Tom. I. pag. 148. sqq. ed. tert.

Epistolae huius Apostoli ad varios Christianorum coetus scriptae reperiuntur quatuordecim, si Epistolam ad Hebraeos annumeres, de cuius auctoritate tamen dubitatur. Licet autem auctoritas Pauli, eiusque de aequis iuribus Iudaeorum et Gentium sententia iam ab omnibus, qui Christo nomen dant, rata habeatur, inventi tamen sunt olim pauci quidam Iudaizantes, qui Christi quidem doctrinam se accipere profitentes, Paulum reiecerunt, e. g. *Ebionitae* (*Irenaeus* Haer. I, 26. *Orig.* c. Cels. V. *Euseb.* H. E. III, 27.), *Encratitae* (*Euseb.* H. E. IV, 29.), *Helcesaitae* (*Orig.* Hom. in Ps. 82. apud Euseb. H. E. VI, 38. *Theodoret.* haer. fab. II, 7.) et *Cerinthiani* (Philastr. haer. 36. *Epiphan.* de Cerinthianis Haer. XXVIII, 5.). Alii epistolas Paulinas nec integras, nec ab interpolationibus immunes receperunt, veluti *Cerdoniani* (Tertull. de praescript. adv. haeret.) et *Marcionitae*, qui nonnisi decem Epistolas probabant (*Irenaeus* Haer. I, 27. III, 12. *Tertullian.* in libris adv. Marc. praecipue L. V. *Epiphan.* Haer. XLII.). Sed infirmis, vel potius nullis argumentis usi sunt isti haeretici ad infringendam Pauli auctoritatem. Nempe vel reiecerunt vel interpolarunt epistolas eius, non historicis, sed dogmaticis rationibus ducti, quod suis opinionibus vel philosophicis hypothesibus non satis conveniret Apostoli

doctrina. Αὐθεντίαν epistolarum Paulinarum ex internis argumentis egregie demonstravit *Guil. Paley*, in libro, cui titulum fecit: *Horae Paulinae. Beweis der Glaubwürdigkeit der Geschichte und der Schriften des Apostels Paulus* etc. Aus dem Englischen. Mit einigen Anmerkungen von *Heinr. Phil. Conr. Henke*. Helmst. 1797. 8.

Quod ad originem *ecclesiae Romanae* attinet, reiiciendae sunt narrationes eorum, qui vel Petrum solum, vel eunden cum Paulo simul, eam condidisse tradunt. Si enim *Petrus* Romanos instituisset, ante quam ad eos *Paulus* scriberet, sane hic, qui fundamento ab aliis posito superstruere nolebat (Rom. XV, 20—23.), tanta eos videndi et instituendi cupiditate haud fuisset flagraturus, quantum in Epistola ipsa passim significat, Rom. I, 10 — 13. 15. XV, 23. Narrant quidem Veteres, *Irenaeus* (Haeres. III, 1.) et *Eusebius* (in Chronico ad a. 2. Claudii), venisse Petrum Romam, ibique ecclesiae fundamenta iecisse. Quum autem traditionis huius origo ex vano veterum ecclesiarum desiderio apostolicae originis laudem sibi tribuendi facile explicari possit; praetereaque consuetudinis Romanorum cum Petro nullum appareat vestigium in hac Pauli epistola, parum probabilis est illa narratio. Paulum vero, ante quam hanc epistolam scriberet non venisse Romam, patet ex c. 1, 8. sqq. Vid. *Io. Fr. Flatt, de tempore, quo Pauli ad Romanos epistola scripta sit;* quae commentatio repetita legitur in *Sylloge Commentationum theolog. edita a. D. I. Pott, et G. A. Ruperti.* Vol. II, p. 54. sqq. Certo quidem non constat, quinam fuerint ii, per quos christianae religionis

notitia ad Romanos pervenerit; valde tamen credibile est, factum hoc esse per quosdam eorum, quorum fit mentio Act. II, 16. Nimirum inter pios spectatores eorum, quae Hierosolymis primo et solemni illo Pentecostes festo evenerunt, etiam οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι commemorantur. Horum nonnulli rei miraculo correpti in Apostolorum disciplinam se tradidisse, et Romam reversi, religionem Christi Iudaeis ibi habitantibus commendasse videntur. Primos autem illos Christianos Romanos fuisse ex Iudaeis, hisque alios, natalibus non Iudaeos, paulatim demum esse iunctos, tum ex modo dictis, tum ex ratione illis temporibus consueta religionem Christi per Iudaeos ad gentes demum transferendi, facile patet. Multos Iudaeos Romae habitasse, multosque eorum tum Caesarum favore, tum multorum ex populo amicitia usos esse, satis constat. Vid. quae ad Act. VI, 9. de *libertinis* dicta sunt.

De *consilio* Pauli in scribenda hac ad Romanos epistola pauca dicenda sunt. Id vero ex ipso epistolae argumento quodammodo cognosci potest. Videtur nempe Paulus per *Aquilam* et *Priscillam* (vid. c. XVI, 3.) et plures alios Claudii imperatoris edicto Roma expulsos, quibus Corinthi et Ephesi familiariter usus fuerat (Act. XVIII, 1. sqq.), certus factus esse de rebus Christianorum Romanorum. Paulus vero per eundem *Aquilam*, aquilanto post Romam redeuntem, fortassis etiam per Christianos in Macedonia, Achaia, Asia ipsi familiares factos, et Romam proficiscentes, atque insignia eius in religionem merita narrantes ac praedicantes, Romanis innotuit. Praecipua caussa, cur Apostolus hanc ad eos scriberet epistolam, fuisse videtur haec,

quod in eorum coetu, qui mixtus erat ex hominibus, ante susceptionem Christianae religionis partim Iudaeorum sacris, partim cultui superstitioso idolorum addictis, lites ortae essent, quas componere studuit.

Caussae dissidiorum, quibus iam tum corrumpi ecclesia coepit, hae fere fuerunt: *Iudaeo-christiani* opiniones iudaicas, inprimis pharisaicas cum doctrina christiana coniungere, nec nisi difficillime dimittere solebant, et existimabant, felicitatem aeternam, atque beneficia Messiae maiori iure ad suum populum, quam ad exteras gentes pertinere, Rom. IV, 17. II, 17. III, 2. 29. X, 12 etc. Quin etiam de *lege Mosaica* ipsa, sibi, non gentilibus, a Deo concessa, valde gloriabantur, censebantque propter huius legis et rituum sacrorum observationem, ut et propter merita maiorum, Abrahami, Isaaci, Iacobi etci Deum ipsis fore propitium; Gentiles contra, utpote lege destitutos, nec ab Abrahamo genus ducentes, nec ritibus sacris initiatos, tanquam homines profanos et scelestos esse contemnendos et detestandos, nisi et ipsi circumciderentur, et iugum legis Mosaicae sibi imponi paterentur. *Ethnico-christiani* vero Christianos ex Iudaeis, tanquam homines superstitiosos, et nunc omnino abiiciendos, omnique Dei misericordia indignos valde contemnebant. Inde vero altercationes et scandala enata erant, quae a Paulo in hac epistola passim carpuntur. Denique praeter istam doctrinae et opinionum varietatem, etiam vita plurimorum Christianorum variis vitiis, vel iam corrupta erat, vel certe per sectas, quae tunc iam ortae erant, facile corrumpi poterat. Itaque Paulus partim iudaicas opiniones refutat, partim odia et rixas in-

ter Christianos ex Iudaeis et Gentibus ad Christum conversos, pellere studet.

Sunt autem totius epistolae partes tres. I.) Praefatio, c. I, 1 — 17. II.) *Tractatio*, cuius iterum duae sunt sectiones, *dogmatica* et *paraenetica*. Et in *dogmatica* quidem parte, primis XI. capitibus procurrente, totus in eo est, ut ostendat, *non ex observatione Iudaismi*, *sed ex observatione Christianismi*, *et quidem solius Christianismi salutem aeternam homini sperandam esse*, ita ut Iudaismo amplius non sit opus; religione veteri Mosaica impietatem humanam, inter Iudaeos Ethnicosque prorsus eandem, non potuisse tolli, nec felicitatem veram restitui; itaque novam ad felicitatem huius et futurae vitae perveniendi viam atque rationem propositam esse a Deo in doctrina Iesu Christi; ab hac sola certam salutis spem omnibus, Iudaeis gentibusque esse repetendam, nec in hac re tribuendum esse quicquam maiorum meritis, aut legis Mosaicae observationi, sed soli benevolentiae Dei per Iesum Chrtstum luculenta quadam ratione hominibus declaratae. Altera huius epistolae parte, *paraenetica*, universa vitae christianae pietas commendatur, c. XII, 1. — XV, 14. III.) Peroratio, seu epilogus, quo continentur scriptionis excusatio, apostolatus commendatio, adventus promissio, intercessionis petitio, ad finem c. XV. Caput XVI. aliorsum pertinere videtur. Vid. infra notanda ad c. XIV, 25. Cf. *Michaelis* Einleit. in die g. Sch. etc. p. 1062. sqq. *Christiani Frider. Schmidii* Prolegom. in Annotatt. in Epist. Pauli ad Rom. pag. XX. sqq.

Videtur haec epistola scripta esse circa finem anni Dionysiani 58. aut, ut alii malunt, 52. qui est Iulianus 99. quum Paulus *Corinthi* commoraretur, Rom. XVI, 23. cf. 1 Cor. I, 14. Rom. XVI, 1. coll. 2. Tim. IV, 20. In qua opinione etiam fuerunt scriptores e clesiastici cf. Schmidii Proleg. §. II. Ceterum Apostolus in conscribenda epistola hac usus est *Tertii* scribae ministerio, c. XVI, 22. eamque per *Phoeben* Cenchreensis Corinthiorum coetus ministram Romanis reddendam curavit, c. XVI, 1. 2.

Apostolicam huius epistolae auctoritatem inde ab antiquissimo tempore ab orthodoxis esse agnitam, docent *Versiones latinae et syriaca*, nec non *primae ecclesiae Patres*, *Barnabas*, c. XII. XIII., *Clemens Romanus*, Ep. I, 1. 30. 32. 35. 46., *Ignatius* Ephes. 20. Smyrn. 1. Trall. 8. *Polycarpus*, Philipp. 3. 6. et qui post istos scripserunt omnino omnes.

Semper haec epistola inter Paulinas primum tenuit locum apud orthodoxos. Non autem ut in Evangeliis, ita etiam in epistolis ordo temporum servatus est; verum collegerunt primo Epistolas integris coetibus scriptas, primum locum concedentes Epistolae longissimae, postremum brevissimae, medium prout quaeque longior aut brevior erat. His iunxerunt Epistolas ad Timotheum, Titum et Philemonem, eadem longitudinis et brevitatis habita ratione. Epistolam denique ad Hebraeos, quia diu de ea dubitatum fuit, in ultimum locum reiecerunt.

Graece scripsit Paulus ad Romanos, non latine: tum quod facilius ipse graece scriberet; tum quod peregrinis multis Romae morantibus haec lingua notior esset et familiarior; tum denique quod Romani eo tempore graeco sermone magis delectarentur, quam latino. Cic. pro Arch. 10. *Graeca leguntur in omnibus fere gentibus: Latina suis finibus, exiguis sane continentur.* Tacitus Orator. 29. *Nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae.* Iuvenal VI, 185. *Se non putat ulla formosam, nisi quae de Thusca Graecula facta est* etc.

Io. Adr. Bolten (in praefat. ad versionem suam germanicam Evangelii Marci p. XX., nec non in praefat. ad versionem epistolarum Novi Testamenti, Tom. I. p. XXI. sqq.) contendit, omnes Novi Test. libros ab Apostolis, quippe linguae graecae imperitis, in dialecto Aramaea scriptos, deinde vero ab Hermeneutis, s. interpretibus, quos in itineribus suis comites habuerint, in linguam graecam translatos esse; adeoque etiam Paulum omnes suas epistolas in Aramaea lingua consignasse, deinde vero per alios in graecam transferri curasse, ut hanc ad Romanos epistolam per *Tertium*, priorem ad Corinthios per *Sosthenem*, posteriorem per *Timotheum*, quos omnes non scribas, sed Hermeneutas Pauli fuisse existimat. Contra hanc sententiam docte disputavit *Griesbachius* in *Augusti neuen theologischen Blättern*, Tom. I. partic. 3. p. 6. sqq. *Quod nominatim Paulum* attinet, in Ciliciae urbe natum, et primis aetatis annis educatum, qui etiam Claudium Lysiam, Chiliarchum graece allocutus est (Act. XXI, 37.), quis eum graecae linguae imperitum fuisse credat? Nemo tamen

facile negaverit, Paulum, artis pingendi literas graecas non satis peritum, non tamen plane imperitum (2 Thess. III. 17.), epistolas suas aliis in calamum dictasse. In hac ad Romanos conscribenda epistola usus est ministerio *Tertii*, cap. XVI, 22. Ἐγὼ Τέρτιος ὁ γράψας τὴν ἐπιστολήν. Vocabulum γραφεῖν autem significare *transferre ex una lingua in aliam*, Boltenius nemini facile persuaserit.

Praeter scripta isagogica, quae nostra aetate prodierunt, ad Pauli Epistolam ad Romanos conferenda sunt haec: *Kopii N. T. graec., perpet. annot. illustr.* Vol. IV. Edit. tert. cur. *Chr. Fr. Ammon.* Gott. 1824. *Io. Fr. de Flatt: Vorless. üb. d. Br. P. an d. Röm.* Tub. 1825. *Leonh. Usteri: Entwickl. des Paulin. Lehrbegriffes.* Zürich 1824. *Fr. Aug. Gotttreu Tholuck: Auslegung des Br. P. an d. Röm.* Edit. sec. Berl. 1828. *Ern. Fr. Hoepfner*: Commentat. *de consecutione sententiarum in Pauli ad Rom. Epist.* Lips. 1828.

In Epistolis interpretandis multo maiorem difficultatem reperimus, quam in Evangeliis, quod ex ipsa rei natura oritur. Qui enim historiam scribit, iis scribit, quibus ignota est; adeoque omnia clare et simpliciter narrare debet: epistola vero est quasi colloquium cum amico absente, qui etiam partes suas agit, et ad cuius quaesita vel cogitata nobis praecognita respondemus; quando ergo epistola est paulo longior, ita ut plura in ea capita tractentur, fieri vix potest, quin saepe haereamus, non percipientes, quomodo scriptor ab uno ad alterum transeat, aut quis loquatur, an is qui scri-

bit, an is cui scribitur. Praeter hanc est et alia obscuritatis caussa, ipsi Paulo peculiaris, 2 Petr. III, 15. 16., nimirum fervidum eius ingenium, multa eruditione Iudaica excultum, quo fiebat, ut plura ipsi simul inciderent, et mente calamum praecurrente, sermo eius non raro fieret abruptus.

CAP. I.

Prima huius capitis pars a Vs. 1 — 17. continet exordium huius epistolae, inscriptionem nempe, salutationem, et quandam benevolentiae captationem, qua sibi viam sternit Apostolus ad ipsam tractationem. Profitetur se doctorem doctrinae, per antiqua iam vaticinia promissae, de Christo, qui inde a reditu in vitam clarissimis documentis ut verus Messias sit exhibitus et declaratus, eo consilio ubique terrarum divulgandae, ut omnes, sine discrimine, homines ipsi adstipulentur, emendent animum ac fiant felices.

1. Παῦλος — Θεοῦ) *Paulus, minister Iesu Christi, constitutus Apostolus, selectus ad promulgandam Evangelii doctrinam a Deo revelatam.* Utitur Apostolus non iudaico nomine *Saulis*, sed *Pauli*, idque ex more Iudaeorum, qui inter Graecos Romanosque versantes nominibus Iudaicis vel prorsus abstinere, vel ea paululum immutare solebant. Cf. Act. XIII, 9. Est autem Hyperbaton huc usque, πᾶσι τοῖς οὖσιν etc. comm. 7. et dictio elliptica Epistolis usitata; subaudiendum enim est: *haec significat, haec scribit*, aut simile quippiam. Apud Herodotum est oratio plena: Ἄμασις πολυμῦθος ὧδε λέγει, hoc significat. Et *Thucydides:*

ὧδε λέγει· βασιλεὺς Ξέρξης Παυσανίᾳ. Potest etiam subaudiri verbum χαίρειν, ante πᾶσι Vs. 7. supplendum (Act. XV, 23. Iac. I, 1.). Sic etiam Latini in initiis epistolarum interdum omittunt vocem: salutem, e. g. *Cicero Varroni*, *Dolabellae* etc. δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Minister Iesu Messiae.* Sicut autem servus sive minister regis, est nomen dignitatis, ita et hic: *minister Messiae.* Sic Prophetae V. T. עבדי יהוה appellare se solebant. Cf. Ios. I, 1. Iud. II, 8. Ps. CXXXII, 10. κλητὸς ἀπόστολος) *Vocatus*, constitutus *Apostolus*, i. e. cui munus Apostoli est demandatum; vocatus ab ipso Christo, non ut alii, honorem istum mentitus, 1 Cor. I, 1. De voce ἀπόστολος vide dicta ad Matth. X, 2. ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ) i. e. ἀφωρ. εἰς τὸ εὐαγγελίσασθαι τὴν διδαχὴν, τὸν λόγον Θεοῦ, *selectus*, *destinatus ad promulgandam a Deo revelatam doctrinam de vera hominis felicitate.* Hesychius: ἀφωρισμένος ἐκλελεγμένος, διακεκριμένος. Hebraice הבריל *segregare*, quod de populo Israelitico dicitur Lev. XX, 26. Non autem differunt sensu κλητὸς et ἀφωρισμένος. Εὐαγγέλιον, (de qua voce diximus ad inscriptionem Evangelii Matthaei,) est institutio Apostolorum de Messia, de beneficiis ab eo exspectandis, et de via adipiscendi felicitatem et salutem aeternam, quam Deus per Christum promisit.

2. Ὃ προεπηγγείλατο — ἁγίαις) *Quam* (felicitatis doctrinam) *Deus promiserat per Prophetas suos in scripturis sacris.* In verbo προεπηγγείλατο est emphasis. Significatur nempe, aliud esse ipsum Evangelium (felicitatis doctrinam) aliud autem *promissionem* de Evangelio, s. de ea doctrina, quae viam ad veram fe-

licitatem monstrat. Ipsum Evangelium Christus demum annunciare coepit; sed Prophetae, i. e. Scriptores divini V. T. promiserunt regem, Davidica stirpe oriundum, populi sui vindicem et servatorem; multa etiam praedixerunt de propagatione verae cognitionis Dei inter omnes gentes. Dum autem Deus per Prophetas *praedixit* ita eventurum, *promisit* quoque; nam id quod praedixerat, erat beneficium. Nonne vero Iesus Christus fuit is, per quem melior haec doctrina propagata, et deinceps per Apostolos longe lateque sparsa est? Cf. infra cap. XVI, 25. inprimis vero Hebr. VIII, 8—13., ubi locus Ieremiae citatur, in quo melior et perfectior religionis forma promittitur. Hoc addit Apostolus propter Iudaizantes, qui calumniabantur, Mosen et Prophetas ab Apostolo contemni, suaque privari auctoritate. Monet igitur, se minime contradicere Mosi et Prophetis. Infra cap. III, 21. XVI, 26. Luc. XXIV, 44—47. Act. XXVI, 22. 23. XV, 8. 14—18.

3. Περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ) Hoc refertur ad illud, quod praecessit, εὐαγγέλιον. Explicatur enim, de quo agit illud Evangelium. Cum his verbis connectitur in fine commatis 4. illud: Ἰησοῦ — ἡμῶν. Interiecta Vs. 3. 4. parenthesi includenda sunt. De significatione υἱὸς Θεοῦ vide statim comm. 4. τοῦ γενομένου — σάρκα) *Qui est natus e gente Davidis, quoad humanam sortem et conditionem.* Γενόμενος, *natus*, ut Gal. IV, 4. Io. I, 14. Σάρξ, hebr. בָּשָׂר habet significationes *primarias* sequentes: *ipsa caro; totum corpus animale,* carne et ossibus constans, Levit. XIX, 28. Act. II, 31. Rom. II, 28. etc., *totum animans*, corpore et anima constans, Ps. LXV, 3. Iob. XXXIV, 15. *homines*

ipsi, Ps. CXLV, 21. Matth. XXIV, 22. Rom. III, 20. Ex his significationibus primariis ortae sunt multae aliae *secundariae*, per quendam orationis tropum. Huc referenda est notio ea, qua σάρξ denotat *externam hominis conditionem*, corpore inprimis conspicuam, internae hominis dignitati oppositam, statum viliorem et tenuiorem. Σπέρμα, hebr. זֶרַע, pro graeco γενεὰ, γένος.

4. Τοῦ ὁρισθέντος — νεκρῶν) *Qui tamen efficaciter declaratus est filius Dei, per vim divinam ab eo tempore, quo in vitam rediit.* Voce ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ plerumque significatur promissus ille Ps. II. rex et dominus, nomine Filii Dei insignitus. Io. I, 30. XI, 27. Unde Iudaei Messiam, quem expectabant, filium Dei nominabant. Alibi *filius Dei* est is, qui locum Dei tenet inter homines, Io. X, 34 — 37. sensu fere eodem. Videtur igitur hoc etiam loco ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ synonymum esse τοῦ Χριστοῦ. Potest tamen simul etiam respici ad *divinum illud*, quod in Iesu est, et quo inprimis ab omnibus aliis hominibus discernitur; nam opponitur τῷ γενομένῳ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, Vs. 3. Τοῦ ὁρισθέντος, i. e. δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος, ut *Chrysostomus* explicat. Ὁρίζειν nempe est *definire, plane declarare.* Act. XVII, 31. Ἐν δυνάμει, pro adverbio δυνατῶς, *potenter*, i. e. *efficaciter*, *nachdrücklich, auf eine überzeugende Art*; nam potens argumentum est efficax argumentum ad faciendam fidem. Κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, est idem quod πνεῦμα ἅγιον, abstracto ἁγιωσύνης posito pro concreto, ut alias est σῶμα τῆς ταπεινώσεως Phil. II, 21. pro σώματι ταπεινῷ, aut υἱὸς τῆς ἀγάπης Col. I, 13. pro ἀγαπητῷ, et in sexcentis aliis. Sed πνεῦμα ἅγιον h. l.

nec est *divina natura* Christi, ut *Heumannus* aliique voluerunt, nec *conditio Christi excelsior*, quod probare voluit Anonymus in *Eichhornii Repertorio für bibl. und morgenl. Litteratur*, P. II, p. 1. sqq. Istas interpretationes nec usui loquendi, nec contextui esse consentaneas egregie demonstravit *Io. Aug. Noesselt* in disput. qua illustratur τὸ πνεῦμα τῆς ἁγιωσύνης Rom. I, 4. Vid. eius exercitationes ad Sacrarum scripturarum interpretationem, Halae, 1803. p. 119. sqq. Ipse per πν. ἁγιωσ. intelligit vim illam divinam, qua Iesus factus est Sanctus, i. e. Filius Dei. Luc. I, 35. IV, 18. 34. Io. X, 36. 1 Tim. III, 16. Ex mea sententia intelligi potest vis et divina potestas, cuius documenta Christus dedit post resurrectionem, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, Apostolis tribuens vim patrandi miracula, et dona ad tradendam et propagandam religionem necessaria. *Chrysostomus*, *Theodoretus*, aliique Veteres per *Spiritum sanctum* intelligunt effusionem spiritus sancti, vel *dona eximia* post resurrectionem Christi per operationes spiritus sancti in Apostolos aliosque discipulos collata; quod eodem recidit. Κατὰ, per, ut 1 Cor. XII, 8. aliisque locis. Quum nimirum Christus ex mortuis in vitam revocatus, et in coelum evectus, Spiritum sanctum largissime super Iudaeos et gentes effudisset, tum manifestatum, ac tanquam de coelo pronuntiatum est, ipsum esse Dei filium, summa potestate praeditum, et a toto humano genere agnoscendum atque colendum. Cf. Act. II, 33. 36.

5. Δι' οὗ—ἀποστολὴν) *Cuius beneficio accepi munus Apostolicum.* Ἓν διὰ δυοῖν, i. e. χάριν ἀποστολῆς, *beneficium muneris Apostolici.* Gal. II, 8. 9 Eph.

III, 2. 7. 8. χάρις, *beneficium.* Ἀποστολή, *munus Apostolicum.* Ἐλάβομεν ad solum Paulum referri potest, de se ipso saepius numero multitudinis scribentem. Aliis χάρις est *gratia divina*, ut sit sensus: *gratia divina atque adeo* (καὶ) *ipsa muneris Apostolici dignitas mihi contigit.* Εἰς ὑπακοὴν — ἔθνεσιν) *Ut suadeam omnibus gentibus obsequium doctrinae eius praestandum*, quasi esset: ὥστε πείθειν ἡμᾶς πᾶσι τοῖς ἔθνεσι τὴν ὑπακοὴν τῆς πίστεως, i. e. ἵνα ὑπακουῶσι τῇ πίστει. Ὑπακοή, *obsequium.* Πίστις, אֱמֶת, *religionis doctrina*, ut Ps. LXXXVI, 11. Gal. I, 23. 1 Tim. IV, 6. Sic caussam affert, cur ad *Romanos* scripserit, quos nondum viderat. Universe enim munus Apostoli ad *Iudaeos* et *gentiles* spectabat. Ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ vulgo referunt ad ὑπακ. πίστ. pro εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Koppe coniungit cum χάριν κ. ἀπ. *sein Apostelamt, die Ehre sein Apostel zu seyn.* Vertenda esse videntur haec verba: *propter nomen ipsius, propter ipsum*, i. e. *in ipsius (Christi) honorem*, ut Christus agnoscatur et colatur inter omnes gentes. Ὑπὲρ, *propter.* τὸ ὄνομα αὐτοῦ, i. e. αὐτὸς, הוּא.

6. Ἐν οἷς—Χριστοῦ) *Quorum in numero vos quoque estis, quippe a Iesu Christo vocati*, per institutionem adducti ad religionem Christianam. Κλητὸς proprie est is, cui destinatum et oblatum est aliquod beneficium, nominatim is, cui destinatum est beneficium religionis christianae. Cf. infra c. VIII, 9.

7. Πᾶσι — κλητοῖς ἁγίοις) *Omnibus Romae Deo dilectis, qui Christo nomen dederunt.* Post Ῥώμῃ delendum est comma. Ἅγιοι dicuntur Christiani, quem-

admodum Iudaei in V. T. עַם קְדוֹשִׁים, *Deo consecrati*, *Deo cari*, inter quos verior cognitio Dei et verior cultus est. χάρις—Χριστοῦ) *Favor Dei patris nostri et Iesu Christi, et prospera omnia vobis* (contingant). χάρις, *favor divinus*, vel tota phrasis χαρ. ὑμῖν ponitur pro: χαίρειν, εὐπράττειν. Εἰρήνη, שָׁלוֹם *prospera omnia*, ut saepe. Verbum πληθυνθείη in eadem formula additur, 1 Petr. I, 2. et 2 Petr. I, 2.

8. Quae nunc sequuntur ad Vs. 17. pertinent ad praefationem, et continent captationem benevolentiae. Laudat Apostolus Romanorum Christianorum in religione constantiam, ac testatur suum erga ipsos studium, eosque videndi desiderium. Πρῶτον μὲν εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου) *Ante omnia, inprimis gratias ago Deo meo*, vel concise dictum pro πρῶτον μὲν θέλω εἰδέναι ὑμᾶς, ὅτι εὐχαρ. τ. Θ. μ. *Ante omnia sciatis velim, me gratias agere* etc. Πρῶτον h. l. non est ordinis particula, respiciens *secundum*, sed intensionis, significans *inprimis*, ut apud Ioseph. Ant. X, 10. 5. Εὐχαριστεῖν τινι, *gratias agere*, hoc sensu apud bonos Scriptores occurrere, *Krebsius* et *Loesnerus* ad h. l. probant. Scriptores Attici χάριν εἰδέναι usurpant. διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ) i. e. *tanquam Iesu Christi discipulus s. legatus.* Similis phrasis extat c. II, 26. ubi διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτης νόμου est is, qui *tanquam Iudaeus*, s. quum scriptam legem habeat, et circumcisus sit, tamen violat illam legem. Ergo non opus est, ut haec verba διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ referamus ad τῷ Θεῷμου, et explicemus *quem per et propter Christum ut Deum mihi propitium veneror.* Ὑπὲρ, i. e. ἕνεκα ὑμῶν. ἡ πίστις ὑμῶν) *Obsequium*

vestrum erga Iesu doctrinam. Nam πιστεύειν τινι, s. εἴς τινα, saepe exprimit *obsequium erga doctorem quemvis, qui divinitus missum se profitetur*, inprimis vero obsequium erga doctrinam Christi. Matth. XXI, 25. 32. Io. II, 11. καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ) *Praedicatur* (laudatur) *in toto mundo*, ubicunque nempe sunt Chrtstiani, in toto orbe Romano. Cf. notata ad Luc. II, 1.

9. Μάρτυς—ποιοῦμαι) *Testem enim habeo Deum, quem toto animo colo, in tradendo Evangelio filii eius, me indesinenter mentionem vestri facere.* Ὃν λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου) *Cui servio* (quem colo) *ex toto animo.* Λατρεύειν τῷ Θεῷ hebr. עָבַר אֶת יְהוָה, *colere, venerari Deum*, amore et obsequio. Exod. IV, 23. Deut. VI, 13. X, 12. et aliis locis. Ἐν τῷ πνεύματί μου, non in speciem, non tantum inter Iudaeos, sed etiam in gentibus, sine studio partium aut commodi. Sic τὸ πνεῦμα ἡμῶν est *animus noster*, Rom. VIII, 16. ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ) *In tradendo Evangelio filii eius.* Εὐαγγέλιον, *praedicatio Evangelii.* Τοῦ υἱοῦ, pro: περὶ τ. υ. Alii ἐν τῷ εὐαγγ. dictum esse volunt pro: κατὰ τὸ εὐαγγ. *secundum doctrinae Iesu Christi praecepta*, vel διὰ τοῦ εὐαγγ. *vi promissorum divinorum, quae continet doctrina Iesu Christi.*

10. Πάντοτε – πρὸς ὑμᾶς) *Ita ut semper in precibus meis orem, ut tandem aliquando mihi contingat felicitas veniendi ad vos.* Verba: πάντοτε ἐπὶ τῶν προσεύχῶν μου a nonnullis iunguntur antecedentibus. Tum vero redundaret πάντοτε, quia ἀδιαλείπτως praecessit. Εὐοδοῦσθαι vi etymologiae notat *fortu-*

natum iter habere, imo et generatim *prosperos habere successus*. Posterior haec notio multo est frequentior, et 3 Io. 2. bis occurrit. Sic saepe apud LXX. interprr. et apocryphos V. T. In testam. 12. Patriarch. ἐάν τις ὑπὲρ ὑμᾶς εὐοδοῦται, μὴ λυπεῖσθε. *Si quis vobis fortunatior est, ne lugeatis.* Et tautologicum fere esset, si per εὐοδοῦσθαι *iter* exprimeretur, quod iam per vocem ἐλθεῖν satis significatur.

11. Ἐπιποθῶ — στηριχθῆναι ὑμᾶς) *Cupio enim vos videre, ut tribuam vobis aliquod beneficium ad animum vestrum pertinens, ut vos confirmemini* (in fide). Χάρισμα πνευματικὸν est quodvis beneficium, quod ad animum hominis (πνεῦμα) pertinet, seu *quod Christiano homini per doctrinam christianam contingit;* nam πνεῦμα interdum etiam sublimiorem doctrinam, christianam nempe, significat

12. Τοῦτο — καὶ ἐμοῦ) *Hoc autem ita interpretor, ut mutuum inter nos gaudium percipiamus, per mutuam scilicet fidem, vestram simul et meam.* συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν) *Ut communis vobiscum gaudii particeps fiam.* Παρακαλεῖσθαι est *gaudere, gaudiis frui,* ut Luc. XVI, 25. Mitigat et mollit, quod prius dixerat, ne suspicarentur, se a Paulo tanquam infirmos contemni. Ego vicissim a vobis fructum, gaudium, et solamen percipiam, ut in amicorum congressibus fieri sclet.

13. Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν) *Sciendum autem est.* Nam habet haec phrasis eandem vim, quam οὐκ ἀγνοητέον, vel οὐ δεῖ δὲ ἀγνοεῖν, apud Philonem. ἵνα

καρπόν τινα σχῶ) *Ut fructum aliquem consequar.* Nam ἔχειν saepe notat, *consequi*, *obtinere.* Dionys. Ant. L. VI. τὰ μέγιστα ἔξοντες ἀγαθὰ, *maxima consecuturi bona.* Posset etiam verti: *Ut fructum aliquem exhibeam.* Quanquam enim oppido rarum est, ut ἔχειν ponatur pro παρέχειν, sat frequens vero ut notet: *obtinere;* contextus tamen (Vs. 14. 15.) huic explicationi favet.

14. Ἕλλησί τε—ὀφειλήτης εἰμὶ) *Graecis aeque ac barbaris, cultis aeque ac incultis debeo* (officium docendi) Βάρβαροι sunt populi omnes, qui non Graeci. Βάρβαρόν ἐστιν ὄνομα τὸ οὐχ ἑλληνικὸν, docente Ammonio. *Plato* Polit. Ἀνθρώπινον γένος οἱ πολλοὶ διανέμουσιν, τὸ μὲν ἑλληνικὸν ὡς ἓν ἀπὸ πάντων ἀφαιροῦντες χωρὶς, σύμπασι δὲ τοῖς ἄλλοις γένεσιν, ἀπείροις οὖσιν— βάρβαρον μιᾷ κλήσει προσείποντες αὐτὸ, διὰ ταύτην τὴν κλῆσιν καὶ γένος ἓν αὐτὸ εἶναι προσδοκῶσιν. Strabo I. οὐκ ἐπαινέσας τοὺς δίχα διαιροῦντας ἅπαν τὸ τῶν ἀνθρώπων πλῆθος, εἴς τε ἕλληνας καὶ βαρβάρους. Per βαρβάρους itaque *Romani* etiam intelliguntur. Nec ulla convicii notio voci βαρβάρου apud Veteres adhaesit, quae recentioribus demum temporibus ei accessit. Nolim tamen operose disputare, utro nomine h. l. comprehendantur ab Apostolo Romani, an Ἕλληνι annumerentur an βαρβάροις? Usus videtur esse hac formula, ad exprimendam universalitatem Ἀνόητος, *amens, demens*, h. l. est *incultus, rudis*; σοφὸς autem *cultus;* nam praecesserat: Graeci et barbari. Constat autem *Graecos* esse cultos, *barbaros* incultos. Hesychius: Ἕλληνες, φρόνιμοι, ἤτοι σοφοὶ. Βάρβαροι οἱ ἀπαίδευτοι. ὀφειλέτης εἰμὶ) *Debeo*, officia nempe muneris Apostolici,

quod mihi mandatum est *Miror*, *Koppium* potius vertere: *Multis enim diversissimisque hominum generibus ipse quam plurimum gaudii et solaminis debeo.* Repugnat enim contextus, Vs. 15. Vulgari interpretationi favet etiam inf. c. XIII, 8.

15. Οὕτω τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον) I. e. τὸ πρόθυμόν μου ἐστὶ *Adeoque paratus sum.* Πρόθυμον substantive adhibetur, ita ut idem quod προθυμία, *promtitudinem*, *voluntatem*, *desiderium* significet. *Euripid.* Iphig. in Taur. etiam uti nostro loco infinit. habet sequentem. Dicit ibi Iphigenia v. 989. τὸ μὲν πρόθυμον πρίν σου δεῦρ' ἐλθεῖν ἔχω, Ἀγρεῖ γενέσθαι, *voluntatem equidem habui, priusquam huc venires, Argos proficisci.* Coniungi possunt verba τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον, et verti: *propositum meum est.* Nam κατὰ c. Accus. saepe ponitur pro Genitivo, ut εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον, pro Ματθαίου. Sic Act. XXVII, 2. τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους, *loca Asiae.* Thucydides L. I. τὰ κατὰ Παυσανίαν — καὶ Θεμιστοκλέα, *facta Pausaniae — et Themistoclis.* Alii post ἐμὲ posito commate vertunt: *Quantum quidem in me est, vehementer cupio etc.*

16. Οὐ γὰρ — Χριστοῦ) *Nam honori mihi duco munus tradendi religionem christianam.* Versiones antiquissimae, ut et codices optimi et Patres in omittenda voce Χριστοῦ consentiunt. οὐκ ἐπαισχύνομαι, per μείωσιν pro: *honori mihi duco* Evangelium praedicare. Iudaei, inquit Apostolus, convitiis me proscindunt, vocantes Apostatam; gentes me vexant; omnes ad mortem ignominiosam me deposcunt. Sed pudorem

et contumelias contemno, ut Dominus meus, Hebr. XII, 2., imo haec honorifica mihi esse existimo. Aperte omnia doceo. Contumeliae me nec terrent, nec ad silentium redigunt. Εὐαγγέλιον h. l. est *annunciatio Evangelii*, *institutio in religione christiana*. δύναμις — πιστεύοντι) *Etenim inest ei vis summa conferendae salutis in omnes, qui crediderint*; vel δύναμις abstr. pro concreto: *insigniter potens vel efficax*, vel etiam pro διδαχὴ θεία δυναμένη σώζειν. Hanc vim et efficaciam ducendi nos ad σωτηρίαν, i. e. ad scientiam, tranquillitatem mentis, et vitae emendationem, atque ad sempiternam felicitatem, habet doctrina per ipsum argumentum suum (Inhalt). Nunquam potentius Deus id egit, ut hominum animos sanaret, iisque salutem aeternam conferret, quam nunc per Evangelium. Sicut vero medicamentum non prodest, nisi haustum, ita nec Evangelium, nisi fides ei habeatur. Quare addit Apostolus: παντὶ τῷ πιστεύοντι. πιστεύειν autem h. l. est *religionem christianam suscipere*, assensum ei praebere, eaque recte uti tanquam duce ad salutem efficacissimo. Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι) Post Alexandri M. expeditionem gentiles omnes a Iudaeis *Graeci* appellari coeperunt, quia Graecos magis noverant Iudaei. Quare *Syrus* h. l. τοὺς Ἕλληνας statim *gentiles* interpretatus est. *Iudaeis πρῶτον* profuit Evangelii doctrina, quia a Iesu ipso, et deinde ab Apostolis primum Iudaeis annunciandum fuit Evangelium. Act. III, 25. 26. XIII, 46. Iudaeis primo loco tradi debebat doctrina Christi. Hoc et sequenti commate 17. continetur primaria thesis, quam in dogmatica huius epistolae parte tractat Apostolus, quae est haec: *religionem christianam esse auxilium efficacissimum*

perducendi quosvis homines qui eam suscipiant, sive sint Iudaei sive Pagani, ad veram felicitatem et aeternam salutem, nec ad eam rem opus esse amplius Iudaismo.

17. Δικαιοσύνη — ζήσεται) *Nam per eam* (religionem christianam, εὐαγγέλιον, Vs. 16.) *manifestatur beneficium divinum, quod tribuitur propter fidem* (fiduciam in Deo repositam) *credentibus* (fiduciam hanc habentibus), *ut in hac etiam re valeat illud, quoc scriptum est: Pius per fiduciam servabitur.* Est in his verbis aetiologia prioris commatis 16. Caussa nempe indicatur, cur religio christiana agnoscenda sit pro efficacissimo adiumento salutis. Δικαιοσύνη ut hebraicum צְדָקָה saepe significat *favorem*, *beneficium.* Ps. CXLIII, 1. Intelligitur illud beneficium quo Deus credentibus peccata remittit gratis, propter Christum, non ob legis Mosaicae observationem. Huius beneficii participes felicitate fruuntur. Unde in eadem re Paulus promiscue utitur verbis δικαιοῦν τὰ ἔθνη et εὐλογεῖν τὰ ἔθνη, Gal. III, 8. 9. 14. Genitivus Θεοῦ indicat eum, a quo proficiscatur et tribuatur illud beneficium. Vide uberiorem vocabulorum δικαιοῦσθαι et δικαιοσύνη explicationem infra c. III, 20 — 22. Ἀποκαλύπτεσθαι *revelari, manifestari* dicitur, quod antea ignotum erat. Ἐν αὐτῷ, sc. εὐαγγελίῳ, *per religionem christianam.* Πίστιν autem, quae ex parte hominis requiritur, esse fiduciam in promissionibus divinis reponendam, patet ex loco Habacuci, qui statim additur, et ex uberiore Apostoli tractatione c. III, 20. sqq. Opponitur persuasioni Iudaeorum, qui se propter sua merita et Iudaismi observationem consequi posse δικαιοσύνην

Θεοῦ, putabant, quae opinio in sequentibus refellitur. Ἐκ πίστεως, *propter fidem*, ut hebr. ל. Ita statim in sequentibus sumitur. Εἰς πίστιν, *credentibus* s. *in credentes*. Sic etiam Gal. III, 25. ἡ πίστις sumitur pro πιστεύοντες, ad similitudinem vocum ἀκροβυστίας et περιτομῆς. *Koppe* verba ἐκ πίστεως εἰς πίστιν refert ad δικαιοσύνη, et εἰς πίστιν pro ἐπὶ πίστει accipiendum supplendumque δοθεῖσα existimat, ut sit popularis loquendi modus, quo solemus appetere ea, in quibus insignem quandam vim inesse significare volumus, ut Rom. VI, 19. 2 Cor. II, 16. Io. I, 10. Sensus: *Nulli alii rei nisi fidei* tribuenda est felicitas a Deo hominibus constituta. Aliis δικαιοσύνη Θεοῦ h. l. est iustitia et aequitas Dei, rectoris et gubernatoris mundi, quae ante promulgationem Evangelii nondum in clara luce posita erat. Iudaeis enim impositum erat onus durum; gentes vero videbantur plane negligi: tantum inter Iudaeos et Gentes discrimen erat, ut non eiusdem regis subditi, nec eiusdem patris filii esse viderentur. Doctrina demum Christi Deum absolvit, quia ex ea intelligitur, Deum esse aequum, iustum et bonum erga omnes. *Origenes*: Iustitia enim Dei in Evangelio revelatur per id, quod a salute nemo excipitur, sive Iudaeus, sive Graecus, sive barbarus veniat. Cf. c. II, 11. III, 4. 21. 22. 26. 29. 30. Sed priorem explicationem praefero. καθὼς γέγραπται, *ut hic etiam valeat, recte applicari possit illud, quod scriptum est.* ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται) *Pius per fidem* (et fiduciam in Deo repositam) *felix erit*, et beatus. Nam ζῆν ex hebraismo saepe notat *felicem esse*. Locus est Habac. II, 4. Quod ibi Propheta de liberatione Iudaeorum Deo confisorum ab invasione Babylonica scri-

psit, id potiori iure de salute aeterna, quam Deus omnibus Christo credentibus collaturus est, dici potest. Ponit ergo Apostolus praestantiam religionis christianae in eo, quod ea nobis viam monstret consequendi favorem Dei et veram felicitatem, et quidem nullo habito respectu ad propria hominis merita, sive legis observationem, qua gloriabantur Iudaei.

18. Incipit ipsa tractatio. Et primo quidem Apostolus describit totius fere generis humani contagionem moralem, seu prolapsionem in vitae morumque depravationem pessimam. Itaque scelerum et flagitiorum accusantur atque convincuntur 1) pagani inde a v. 18. usque ad finem capitis I. 2) Iudaei c. II. quos illis nihil meliores esse docetur c. III, 1—19. 3) utrique c. III, 20. 22. 23. Argumentatur Apostolus *enthymemate rhetorico* illius formae, quae est ex consequentibus, ita: Neque Pagani religione *naturali*, neque Iudaei ea, quam Moses instituerat, ad ineundam vitae rectitudinem et perfruendam salutem, flecti animo potuerunt: *ideo* δικαιοσύνη Θεοῦ, melior illa, et consilio divino, procurandae conferendaeque generi humano salutis accommodatior ratio, perquam optabilis, et quam omnes ingrediantur, dignissima est. Exornat autem ita argumentationem, ut *primo* generaliter, apertum esse moneat, Deum connectere mala cum sui contemtu eorum hominum, qui, quam edoceri potuissent, veritatem, per laevem mentem reprimant atque infirment; *deinde* doceat quoque, dedisse Deum paganis certa adminicula quum *cognitionis*, tum *actionis;* proxime admovisse ipsis et sui cognoscendi pieque reverendi, et rectum a pravo discernendi facultatem atque occa-

sionem, c. I, 19. 20. 22. c. II, 14. 15. 26. 27.; *tandem* vero ostendat, eos nihilo tamen magis ab idololatria et vita turpissima coerceri aut avocari potuisse. Sic nexum egregie constituit *Fried. Sam. Winterberg* in Periculo exeget. II. in cap. VII. ad Rom. pag. 22. sq. *Ἀποκαλύπτεται — κατεχόντων) Declaratur autem indignatio Dei maiestate pleni in quaevis peccata et scelera hominum, qui vim veritatis improbe impediunt. Ὀργὴ Θεοῦ, indignatio divina.* Deus nempe discrimen boni malique sanxit, annexis bono commodis, malo incommodis, ut homines illud discrimen experirentur. Hoc ita esse exemplis et Profanorum et Iudaeorum ostendit Apostolus in sequentibus. *Ἀπ' οὐρανοῦ*, iunge cum *Θεοῦ*. Ps. XIV, 2. Ps. II, 4. 5. *Ἀποκαλύπτεται, manifestatur, declaratur. Ασέβεια*, peccata, quae directe in Deum feruntur. *Ἀδικία*, peccata adversus homines. Aliis sunt synonyma, quibus exprimuntur flagitia omnia, sive illa cultu idolorum, sive aliis vitiis et sceleribus contineantur. *τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων) Qui veritatem improbe impediunt*, i. e. improbis moribus suis impediunt vim religionis, ne se exserere queat. *Die das Gefühl des Wahren boshafter Weise unterdrücken.* Nam omnis sensus honesti et boni malis moribus sensim opprimitur. *Κατέχειν* h. l. est *impedire.* Hesychius, *κατέχειν, κρατεῖν, κωλύειν, συνέχειν. Ἀλήθεια omne verum*, vel potius sensus veri et honesti, sive illud natura, sive revelatione homini innotescat. *Ἐν ἀδικίᾳ*, verte adverbialiter: *improbe, malitiose.* Quomodo malitiose oppresserint sensum veri et honesti gentiles et Iudaei, statim ostendit Apostolus.

Quonam vero modo Deus manifestaverit ὀργὴν, et castigaverit hanc improbitatem id docet v. 24. sqq.

19. Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς) *Siquidem notitia Dei manifeste est inter eos;* i. e. facile possent cognoscere Deum, si vellent. Γνωστὸν τοῦ Θεοῦ idem esse videtur ac γνῶσις Θεοῦ, *cognitio Dei.* Amat Paulus adiectiva neutrius generis loco substantivorum. Sic τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ, Rom. II, 4. Cf. etiam cap. VIII, 3, IX, 22. 1 Cor. I, 25. Alii vertunt: *cognoscibile Dei. Arrian.* Lib. II, c. 20. γινώσκε, ὅτι οὐδέν ἐστι γνωστὸν, ἀλλὰ πάντα ἀτέκμαρτα, *scito, quod nihil sciri* sive cognosci et certo percipi *possit, sed quod omnia sint obscura.* Sic τὸ αἰσθητὸν, *sensibile,* τὸ νοητὸν *intelligibile,* τὸ ὁρατὸν *visibile.* Quid de Deo ex natura cognosci *possit,* Apostolus ipse explicat in sequentibus, v. 20. Ἐν αὐτοῖς sc. ἔθνεσι. Ἐν vel redundat, ut saepe hebr. ב, vel vertendum *inter,* ut 1 Cor. XI, 19. Phil. I, 13. Θεὸς γὰρ αὐτοῖς ἐφανέρωσε) *Deus enim occasionem iis praebuit adipiscendi hanc notitiam.* Φανεροῦν, *manifestare, docere,* ad omnium notitiam perducere.

20. Τὰ γὰρ ἀόρατα — θειότης) Sensus est: *Quae enim* (in se) *conspici non potest aeterna ipsius vis et divinitas, conspicitur tamen inde a mundo condito, ex rebus creatis intellecta.* Manifestum est enim verbis: ἥ τε ἀΐδιος etc. explicari, quaenam sint τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ. Aristoteles de Mundo, VI. πάσῃ ἑνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται ὁ Θεὸς. Cic. Tuscul. I, 29. *Deum non vides, tamen — Deum agnoscis ex operibus eius.* Ἀπὸ κτί-

σεως κόσμου, i. e. ἐξ οὗ ἐκτίσθη ὁ κόσμος. Io. XV, 27. Matth. XIII, 35. τὰ ποιήματα, i. e. ἔργα, universa rerum natura, gubernatio gentium singulorumque hominum etc. Νοούμενα καθοράται, *mente animoque cernuntur.* Δύναμις καὶ θειότης, sunt synonyma עֹז וכבוד, *divina eius maiestas.* Vid. Kopp. in h. l.

21. Etiamsi vero Deus paganis magna et sui documenta et incitamenta ad honestatem proposuerat, ruerunt tamen in deterius. γνόντες τὸν θεὸν) *Quum potuissent cognoscere Deum.* Verbum, quod actionem notat, de facultate s. potestate agendi saepe est intelligendum, e. g. Matth. VII, 16. XII, 31. Deinde etiam Pagani nonnulli cognoverunt quidem existentiam Dei creatoris, sed non coluerunt eum ut Deum, ut statim dicitur. *Chrysippus* apud *Ciceronem* de natura Deorum (Lib. II, c. 6.): *Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certe id, quod illud efficit, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quam Deum?* Ibid. c. 2. *Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, quum coelum suspeximus coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur?* Adde insignem locum Lib. II, c. 37. *Si essent, qui sub terra semper habitavissent* etc. οὐχ ὡς — εὐχαρίστησαν) *Non tanquam Deum pie coluerunt, sive adorarunt.* Δοξάζειν, *colere propter ipsas numinis virtutes*, hebr. כבד Ies. XLIII, 23. Εὐχαριστεῖν, *colere propter beneficia in nos collata;* quare ut hebr. בָּרַךְ ad ipsam *pietatem* universe spectatam transfertur. Ipse Deus κατ' ἐξοχὴν dicitur בָּרוּךְ, ὁ εὐλογητὸς, i. e.

numen adorandum. ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν) *Sed in idololatriam prolapsi sunt, opiniones suas perversas secuti.* Ματαιοῦσθαι conferri potest vel cum hebr. הִתְהַבֵּל *decipi re vana,* vel cum חָסְכִּיל *stulte egit.* Utrumque saepe a Prophetis refertur ad idolatriae vanitatem. Sicut μάταια, hebr. הֶבֶל saepe sunt *idola,* quippe vana, ita etiam ματαιοῦσθαι dicitur de idolorum cultu et cultoribus, e. g. 2 Reg. XVII, 15. Ierem. II, 5. Διαλογισμοί, vocabulum μέσον, h. l. in malam partem dicitur de cogitationibus et opinionibus pravis, et perversis. ἐσκοτίσθη—καρδία) *Crassis* (ignorantiae) *tenebris circumfusa est stupida mens eorum.* Vere dictum Prov. XIX, 3. *Stultitia hominis pervertit viam eius,* i. e. mores corrumpit. Hoc praecipue valet de idololatriae stultitia, quae impietatem et mores pessimos attulit.

22. Φάσκοντες — ἐμωράνθησαν) *Quum sapientes se esse existimarent, fatuos se esse declararunt.* Φάσκειν *haberi velle.* Aristoph. in Ran. Act. III, Scen. 1. sub. init. ὅτι δοῦλος ὢν φάσκες εἶναι δεσπότης, *quod quum servus esses, herum te venditares.*

23. Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν κ. τ. λ.) *Nam commutarunt maiestatem Dei immortalis cum simulacris mortalium hominum etc. Pro Deo immortali coluerunt simulacra hominum* etc. Καί, ut saepe hebr. ו h. l. valet *nam.* Ratio enim redditur, cur pro fatuis habendi sint illi sapientes, v. 21. Ceterum similes his locutiones vide Ps. CVI, 20. Ierem. II, 11. Ἀλλάσσειν, *commutare, vertauschen.* Δόξα Θεοῦ, glo-

riosus Deus. Ἄφθαρτος, *immortalis*, 1 Cor. XV, 12. Ἐν, sicut hebr. ב denotat *cum*. Ὁμοίωμα εἰκόνος idem est ac ὁμοίωμα καὶ εἰκῶν vel genitiv. εἰκόνος pro adiectiv. εἰκόνιον, *simulacrum iconicum*, Sueton. effigies ad vivum factae. *Aegyptii*, *Graeci* et *Romani*, quo magis sapientiam suam iactitabant, eo stultiorem omnis generis idololatriam sectati sunt. E genere τῶν ἑρπετῶν inprimis notandus est cultus *crocodilorum*, apud Aegyptios usitatus, de quo *Philo*, legat. ad Cai. p. 566. Apud Philosophos atque politiores homines, i. e. Romanos, videtur praecipue veritas et virtus inveniri debuisse; at illi ab utraque aberrarunt et turpiter officium erga Deum, erga semet ipsos, et erga alios neglexerunt.

24. Διὸ καὶ — ἀκαθαρσίαν) *Quapropter permisit Deus, ut turpibus cupiditatibus (obsequentes) in vitam impuram prolaberentur.* Παραδιδόναι sicut hebr. נתן, interdum est *permittere*. Vid. not. ad Act. VII, 42. Ostendit nunc Apostolus, quomodo Deus animadverterit in impietatem illorum hominum, declaraverit ὀργήν, v. 18. Erat nempe vulgaris Hebraeorum, ut omnium gentium et hominum subtiliori philosophiae haud adsuetorum opinio, quicquid sit, sive bonum id fuerit sive malum, tribuendum esse Deo. Recte ita statuitur, quatenus natura hominis, quae Deum habet auctorem, ita est comparata, ut ex uno peccato plura consequi soleant; ut unum peccatum plura post se trahat. Ἀκαθαρσία, *vita impura*, saepe cum πορνείᾳ et ἀσελγείᾳ coniungitur, 2 Cor. XII, 21. Gal. V, 19. Eph. IV, 19. Ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις *sive* pro κατὰ τὰς ἐπιθ., ut verba παρέδωκεν εἰς ἀκαθ. iungantur, *sive*, ἐν pro

εἰς, hebr. more, pro: εἰς τὰς ἐπιθυμίας τὰς μάλιστα ἀκαθάρτας. Historia teste scimus, gentes profanas plerasque in innumera scelera esse prolapsas, hisque flagitiis per idololatriam datam esse occasionem. Non negat tamen Apostolus, vitiorum origines ex aliis causis esse repetendas. τοῦ ἀτιμάζεσθαι — ἑαυτοῖς) *Ut ipsi corporibus suis dedecus inferrent.* Ἐν ἑαυτοῖς, per sese, sua sponte, cogente nemine. 1 Cor. VI, 18. Contumelią afficit corpus, qui eo abutitur contra naturam.

25. Οἵτινες — ψεύδει) *Qui Deum verum*, i. e. *cultum Dei veri commutarunt cum mendaciis*, i. e. cum idolis eorumque cultu. Ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ, pro Θεὸς ἀληθινὸς, et ψεῦδος, שֶׁקֶר, ut Ierem. XIII, 25. Ies. XXVIII, 15. et aliis locis, est Deus falsus, eiusque cultus religiosus. καὶ ἐσεβάσθησαν — κτίσαντα) *Et venerati sunt et coluerunt creaturam magis quam creatorem.* Hoc sensu παρὰ aliquoties apud Iosephum, e. g. Ant. VII, 10, 6. de Simone quodam, Herodis servo: οὗτος εἶναι ἄξιος ἐλπίσας παρ' ἐντινοῦν, se *magis* dignum, *quam* alios existimaret. Ant. XVIII, I, 5. XIX, 2. 5. Scilicet loquitur Apostolus de iis Gentilibus, qui non in aeque magna coecitate et εἰδωλομανίᾳ, uti ceteri fere, versarentur, sed una cum idolis suis verum etiam Deum colerent, ita tamen, ut iis cultus plus venerationisque, quam huic praestarent. Σεβάζεσθαι, pro vulgari σέβεσθαι, *religiose colere.* ὅς ἐστιν — αἰῶνας) *Qui est laudandus in aeternum.* Δοξολογία, frequens Hebraeis, sed praecipue usurpari solita, ubi aliquid narratur, quod factum dictumve sit

contra maiestatem Dei. In medio sermone Paulus testatur, quantopere idololatriam aversetur.

26. Διὰ τοῦτο — ἀτιμίας) *Quapropter Deus permisit eos foedis cupiditatibus*, vel amoribus. Πάθος, *affectus* h. l. est nefarius amor venereus, ut sequentia docent. Unde *Pathici* sunt *foedae libidini dediti*. Carm. Priap. *Cui mens est pathicae memor puellae.* Ἀτιμία pro adiectivo ἄτιμον. αἵ τε γὰρ θήλειαι — παρὰ φύσιν) *Foeminae eorum commutarunt usum naturalem* (corporum suorum) *cum eo qui est contra naturam*. Μετήλλαξαν cum particula εἰς eodem sensu, quo id verbum sequente ἐν bis habuimus, quia Hebraei ב ponunt, quod et per εἰς et per ἐν vertitur. Vocem χρῆσις, *usus*, in eodem argumento usurpat Ocellus Lucanus de *univers.* c. 4. ubi utile esse dicit, si sero discat iuvenis, τὴν τῶν ἀφροδισίων χρῆσιν. *Aeschines* in Timarch. τίς οὐκ ἀπαίδευτος εἶναι δόξῃ, τῇ μὲν γυναικὶ κατὰ φύσιν ἁμαρτανούσῃ χαλεπαίνων, τῷ δὲ παρὰ φύσιν ἑαυτὸν ὑβρίσαντι συμβούλῳ χρώμενος; Ovid. Metam. IX, v. 724. *Ardetque in virgine virgo* etc. *Lucianus* Dial. Meretric. V. τοιαύτας γὰρ ἐν Λέσβῳ λέγουσι γυναῖκας, ὑπὸ ἀνδρῶν μὲν οὐκ ἐθελούσας αὐτὸ πάσχειν, γυναιξὶ δὲ αὐτὰς πλησιαζούσας, ὥσπερ ἄνδρας. *Mulieres frictrices* commemorat *Tertullianus* de Pallio.

27. Οἱ ἄρσενες — ἀλλήλους) *Mares, relinquentes naturalem usum sexus foeminini, exarserunt pro sua cupiditate erga se invicem.* Ἐξεκαύθησαν, *exarserunt* aestu foedae libidinis correpti. *Virgil.* Ecl. II. 1. Formosum pastor Corydon *ardebat* Alexin. *Servius:* impatienter diligebat. Ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν,

vehementissima cupiditate agitati. Ὄρεξιν vocat, quod paulo ante ἐπιθυμίας. Non enim amoris nomen meretur talis cupido. Ἄρσενες — ἀπολαμβάνοντες) *ita ut mares cum maribus turpia patrarent, atque sic mercedem dignam erroris sui, in semet ipsis acciperent.* *Heraclides* de Politiis, dicit de Cretensibus: ταῖς δὲ πρὸς τοὺς ἄῤῥενας ἐρωτικαῖς ὁμιλίαις πρῶτοι κεχρῆσθαι, καὶ οὐκ αἰσχρὸν παρ' αὐτοῖς τοῦτο. Quantopere puerorum amoribus insanierint Romani non Imperatores solum, verum etiam cives, docere possunt *Suetonius*, *Tacitus*, *Horatius*, *Iuvenalis* et *Artemidorus*. *Sueton.* Ner. 28. *Puerum Sporum exsectis testibus etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus, cum dote et flameo persolenni celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit. Extatque cuiusdam non inficetus iocus, bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset uxorem.* Τῆς πλάνης αὐτῶν, *sui erroris*, illius erroris de vero Deo. Ista flagitiositas fuit merces debita, consequens (die natürliche Folge), *illius erroris*, ergo Deus non est auctor et effector illius flagitiositatis. Ἐν ἑαυτοῖς, i. e. *in suis corporibus.* Nam dehonestarunt ac debilitarunt sua corpora. Libido Romanos steriles reddidit, ita ut *ius trium liberorum* lege Papia sancitum fuerit.

28. Καὶ καθὼς — ἐπιγνώσει) *Et quemadmodum noluerunt Deum accuratius cognoscere.* Δοκιμάζειν, adiuncto τῷ οὐκ, Graecis eleganter est *nolle.* Iosephus A. II, 7, 4. τὰ μὲν οὖν ὀνόματα δηλῶσαι τούτων οὐκ ἐδοκίμαζον, *nomina illorum nolui recensere.* Potest tamen propter ea quae sequuntur: εἰς ἀδόκιμον

νοῦν, pharasis οὐκ ἐδοκίμασαν verti: *non dignum iudicarunt*, ut in vertendo servetur paronomasia. Vid. *Koppe* ad. h. l. Θεὸν ἐν ἐπιγνώσει ἔχειν idem est quod Θεὸν ἐπιγινώσκειν. Nam verbum ἔχω, cum quadam Praepositione constructum, reddendum est cum suo casu per illud Verbum, ad cuius significationem expressum nomen proxime accedit. Sic v. c. ἔχειν τινὰ ἐν ὀργῇ eleganter dicitur pro ὀργίζεσθαί τινι, *alicui irasci*; ἔχειν ἐν αἰτίαις τινὰ, pro αἰτιᾶσθαί τινα, *accusare aliquem*. παρέδωκεν — νοῦν) *Ita Deus tradidit eos in mentem reprobam*, i. e. permisit, ut ad mentis perversitatem delaberentur. De verbo παρέδωκεν vide supra ad v. 24. *Hesychius:* Ἀδόκιμον, πονηρὸν, ἀπόβλητον, ἄχρηστον. Dicitur proprie de metallis, s. nummis haud probis, νόμισμα ἀδόκιμον. Unde translate ἀδόκιμος *ineptum et perversum* denotat. τὰ μὴ καθήκοντα) *Indigna quaevis facinora*. 2 Macc. VI, 4. Ποιεῖν, quod antecedit, pro: εἰς τὸ ποιεῖν.

29. Πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ — κακίᾳ) *Plenos omnis generis iniustitia, scortatione, nocendi cupiditate, inhonesto lucri studio, malignitate.* Πορνείᾳ, quod editiones post ἀδικίᾳ exhibent, recte omittitur a recentioribus Criticis; deest enim in nonnullis codicibus, et a contextu huius loci est alienum. Recensentur vitia, quibus iniuria infertur aliis, eaque exprimuntur tribus vocibus: ἀδικίᾳ, πονηρίᾳ, κακίᾳ, interiecta voce πλεονεξίας, quae caussam simul omnis ἀδικίας continere solet. Aucta sunt synonyma, ut omnis flagitiorum ambitus exhauriretur: *iniustitia*, *astutia*, *cuiusvis generis malitia*. Πλεονεξίᾳ, *habendi cupiditas*, Habsucht. Κακοήθειᾳ, *malignitas*, *malevolentia*,

q. d. *κακὸν ἐν τῷ ἤθει*, *malum* aliquid in ipsa hominis indole. Innuit studium aliis astu, occulte et sub amicitiae specie nocendi. Praesertim haec *malignitas* studium involvit et habitum dicta et facta aliorum sinistre interpretandi. Ioseph. Ant XVI, 3. 1.

30. *Ψιθυριστὰς*) *Susurrones*, i. e. homines, qui crimina et vitia aliorum vel vera vel ficta in clandestinis colloquiis divulgant, et aliis quasi in aures *insusurrant*. Sic Themistius orat. 21. explorat. de Carione dicit, illum nonnisi eo consilio in domos ingressum esse, *ἵνα λαλήσῃ καὶ ψιθυρίσῃ, καὶ διαβάλλῃ*, *ut loquatur, ut insusurret, ut calumnietur*. *καταλάλους*) *Calumniatores*, qui absentes perstringunt. *Cic.* pro Flacco, 3. *in maledicentissima civitate*. *θεοστυγεῖς, ὑβριστὰς*) *Impios*, vel potius: *Deo infestos, in homines iniurios*. Sic apud Iosephum A. I, 11, 1. Sodomitae describuntur ut tales: *εἴς τε ἀνθρώπους ὑβρισταὶ, καὶ πρὸς τὸ θεῖον ἀσεβεῖς*, *in homines erant contumeliosi, et in numen divinum impii*. *ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας*) *Superbos, gloriosos*, iactatores. *Theophr.* Ch. 34. *ἐστι δὲ ὑπερηφανία καταφρόνησίς τις πλὴν αὐτοῦ τῶν ἄλλων*. *Aristophanes* Equit. 269. *ἀλαζὼν*. Schol. *ὁ μείζονα τῆς ἑαυτοῦ ἀξίας κομπάζων καὶ φρονῶν*. Plautus II, 19. *Alazon* graece huic nomen est Comoediae — Id nos latine gloriosum dicimus. *ἐφευρετὰς κακῶν*) *Scelerum inventores*, i. e. explicante Theodoreto, qui non solum mala vulgo usitata patrant, sed etiam alia excogitant. 2 Macc. VII, 31. Tacitus A. IV, 11. *Seianus facinorum omnium repertor habebatur*. Aen. II, 161. *Scelerumque inventor Ulixes*.

31. Ἀσυνέτους) *Expertes sensus honesti.* Ἀσύνετος proprie est *qui non intelligit, et capit, quae dicuntur*, et hoc quidem loco, ubi de neglectis officiis sermo est, *qui vix intelligit id, quod sensus honesti dictitare solet.* ἀσυνθέτους) *Perfidos*, qui foedera violant. *Hesychius* et *Suidas:* ἀσυνθέτους, μὴ ἐμμένοντας ταῖς συνθήκαις, μὴ συντεθειμένους. ἀστόργους) *Amoris expertes*, etiam erga liberos. Hesychius: ἀστόργους, μὴ ἀγαπῶντάς τινα. Athenaeus XIV. οἱ καλούμενοι ὄρνιθες μελεαγρίδες — ἐστι δὲ ἀστόργον πρὸς τὰ ἔκγονα τὸ ὄρνεον, καὶ ὀλιγωρεῖ τῶν νεωτέρων. Romani liberos, si numerus gravis videretur, aut tolli vetabant, aut iubebant exponi, idque impune; nam et ideo in *lege Pompeia de parricidis* pater, filium enecans, non comprehenditur. *Petronius* 116. In hac urbe nemo liberos tollit, quia quisquis suos haeredes habet, nec ad coenas nec ad spectacula admittitur. ἀσπόνδους) *Implacabiles*, qui non tantum inita foedera frangunt, sed etiam implacabili adversus alios odio fervent. *Hesychius:* ἄσπονδοι, ἄγριοι, ἐχθροὶ, καὶ μὴ μνημονεύοντες φιλίας ἢ διαθέσεως. ἀδιάλλακτοι. *Glossar.* ἀσπόνδους, παραβαίνοντας τὴν μεθ' ὁρκομωσίας ἀσφάλειαν. Foedera temere et nulla de causa rumpunt: et bella aeterna gerunt.

32. Οἵτινες — πράσσουσι) *Qui etsi legem Dei norunt, (scilicet talia facientes poena esse dignos,) non solum ipsi isthaec faciunt, sed etiam probant talia facientes.* Δικαίωμα, *lex*, quicquid per legem est constitutum et sancitum. In versione Alexandrina hebraico חק et חקה respondet Exod. XV, 25. 26. Levit. XXV, 18. H. l. intelligitur lex naturalis, genti-

libus etiam cognita, quae tandem a Deo derivatur. Τοιαῦτα, tum ante enumerata, tum istis similia. ἄξιοι θανάτου) *Digni poena;* digni qui misere pereant. C. II, 9. Gen. II, 17. Ezech. III, 17. sqq. Συνευδοκεῖν τοῖς ἄλλοις proprie est *cum aliis velle, cum aliis delectari aliqua re*, deinde vero socium esse eorum, quae alii faciunt, eaque probare. Cf. Luc. XI, 48. Hactenus descripserat Apostolus mores Ethnicorum, quales isto tempore maxima ex parte erant. Progreditur nunc c. II. ad Iudaeos, et ostendit plerosque eorum non meliores illis fuisse.

CAP. II.

1. Διὸ — κρίνων) *Quapropter tu etiam inexcusabilis es, o homo, qui damnas*, sc. paganos. Perstringit nunc Paulus *Iudaeos*, per apostrophen allocutus unum aliquem eorum, quem coram adesse fingit, et auditis paganorum flagitiosis moribus, comdemnare eos, quum tamen ipse culpa non minore teneatur, et condemnandis paganis semet ipse condemnet, eorundem illorum reus, quae poenis digna censeat. Διὸ, nectitur cum c. I, 32. vel est particula transitiva: pro ἀλλὰ δι' αὐτὸ τοῦτο. ὦ ἄνθρωπε πᾶς ὁ κρίνων) Sc. τὰ ἔθνη. *Homo Iudaee, qui damnas gentiles.* Per *hominem* Paulus intelligit *Iudaeos*, quod non minus diserte com. 17. 27. quam res ipsa docet; apud ipsos enim adversus omnes alios hostile odium erat, teste *Tacito* Hist. V, 5., ex quo profluebat, ut gentes omnes Deo exosas et ab eo tandem perdendas crederent; quod nec Philosophi, nec gentes aliae, nec eorum magistratus fecerunt. ἐν ᾧ γὰρ — κατακρίνεις) *Dum enim iudicium fers de alio, te-*

metipsum condemnas. Ἐν ᾧ, *dum.* Cf. infra c. XIV, 4. 10. Κρίνειν est idem quod κατακρίνειν, *reum poenisque divinis dignum declarare.*

2. Οἴδαμεν — πράσσοντας) *Scimus enim* (nempe nos Iudaei), *iuste puniri a Deo haec talia facientes.* Τὸ κρίμα, מִשְׁפָּט, *poena.* Τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ ἐστι ἐπὶ etc. more hebr. pro κριθήσονται παρὰ Θεοῦ etc. Κατὰ τὴν ἀλήθειαν, i. e. ἀληθινὸν *veritati consentaneum*, ab omni partium studio alienum.

3. Ὅτι σὺ — τοῦ Θεοῦ;) *Te effugere posse poenam divinam*, propterea, quod Iudaeus sis? Vetus est Iudaeorum error, quem etiamnum retinere solent, ut praecipuam populi sui dignitatem comminiscantur, propter quam fieri non possit, ut Israelita aeque ac gentilis homo a Deo damnetur, dummodo scilicet *ritus legis* studiose coluerit. Matth. III, 9. Io. VIII, 33. Gal. IV, 21. etc.

4. Ἢ τοῦ πλούτου — σε ἄγει;) *An tu summam eius clementiam, lenitatem et longanimitatem parvi facis, non considerans, eam te ad mentem saniorem reducere velle?* Ὁ πλοῦτος τῆς χρηστότητος, *ingens, summa benignitas et clementia.* Sic רוֹב חַסְדֶּךָ Ps. V, 8. CVI, 7. et רֹב רַחֲמֶיךָ Ps. LXIX, 17. In iis quae sequuntur ἀνοχὴ est *lenitas divina*, quae Iudaeis in tot tantisque peccatis indulsit, et μακροθυμία est *lentitudo quasi animi*, qua Deus poenas distulit. ἀγνοῶν) *Non considerans;* nam יָדַע hebraeum saepe est attendere. ὅτι τὸ χρηστὸν — ἄγει) *Quod benignitas Dei te ad saniorem mentem reducere vult.* Τὸ

χρηστὸν, adiectivum neutr. pro Substantivo, ut c. I, 19. Μετάνοια sensu latissimo est *immutatio sensuum et vitae.* Iosephus Ant. IV. ἐπειρᾶτο τοὺς νέους ἐπανορθοῦν, καὶ εἰς μετάνοιαν ἄγειν, ὧν ἔπραττον, *ad saniorem mentem reducere.* Tu alios omnes crudeliter damnas, dum Deus omnes benignitatis suae divitias in te effudit, nec tantum peccanti breves inducias concedit, sed longa patientia ad se invitat.

5. Κατὰ δὲ — Θεοῦ) *Tu autem per tuam pertinaciam et mentem insanabilem auges tibi poenam in id tempus, quo iustitiae suae severitatem demonstrabit Deus.* Σκληρότης, proprie *durities*, metaphorice est *pertinacia*, inopia sensus veri et falsi, turpis ac honesti. Κατὰ σκληρότητα, pro σκληρότητι, vel διὰ σκληρότητος. Καρδία ἀμετανόητος, *mens inemendabilis, insanabilis.* Θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν) *Auges tibi poenam*, sc. infligendam. *Philo* II. Alleg. p. 80. D. εἰσὶ ὥσπερ ἀγαθῶν, οὕτω καὶ κακῶν παρὰ τῷ θεῷ θησαυροὶ. Deut. XXXII, 33. 35. Ὀργὴ h. l. *poenam* designat, quam Deus ut iustus iudex infligit. C. III, 5. XII, 19. XIII, 5. Similiter et Profani. Demosthenes adv. *Midian:* τῷ δράσαντι δ' οὐκ ἴσην τὴν ὀργὴν, ἂν δ' ἑκὼν, ἂν τ' ἄκων, ἔταξεν ὁ νόμος, *sonti autem lex non eandem poenam statuit, sive volens, sive invitus fecerit.* ἐν ἡμέρᾳ — Θεοῦ) *Tempore, quo Deus in conspectu omnium iustas exiget poenas.* Καὶ ἀποκαλύψεως, pro: ἐν ᾗ ἀποκαλυφθήσεται ἡ δικαιοκρισία τοῦ Θεοῦ. De poenis post mortem corporis esse sermonem, dubio caret.

6. Ὃς ἀποδώσει — αὐτοῦ) *Qui rependet unicuique*

uti meruit factis suis. Nihil planius: Bonis factis bona, malis factis mala Deus reddet. Hoc interest, quod poena non potest per iustitiam excedere mensuram criminis, praemium autem, si accedat dantis liberalitas, potest esse maius, quam quantum facta per se valeant.

7. Τοῖς μὲν — ζητοῦσι) *Illis quidem, qui perpetuo virtutis studio gloriam et honorem et immortalitatem* (vel sempiternam felicitatem) *appetunt.* Κατ' ὑπομονὴν h. l. est idem quod διὰ ὑπομονὴν, et iungendum cum ἔργου ἀγαθοῦ. Tum vero ὑπομονή, quod proprie exspectationem significat, ponitur hic pro *constantia*, quemadmodum ὑπομένειν est *perseverare*, Matth. X, 22. Ἔργου ἀγαθοῦ, pro ἔργων ἀγαθῶν, quod admodum frequens est, ubi rerum aliquarum universitas significatur. Est igitur ὑπομονὴ ἔργου ἀγαθοῦ, *constans virtutis studium.* Δόξα καὶ τιμὴ κ. ἀφθαρσία, est periphrasis felicitatis aeternae, quae ob honorem favoris divini, quo pii fruentur, et perpetuam durationem erit maxima. ζωὴν αἰώνιον) Sc. ἀποδώσει. *Felicitatem aeternam dabit.* Huius rei nos certos plane fecit Evangelium, vel eo solo nomine faciendum maximi.

8. Τοῖς δὲ — ὀργὴ) *Sed renitentibus, et immorigeris probitati, morigeris autem improbitati, poena gravissima* (imminet). Apostolus hic excidit constructione, quod saepe facere solet; immemor non ἀποδοθήσεται, sed ἀποδώσει praecessisse. Οἱ ἐξ ἐριθείας, sc. ὄντες, sunt *renitentes,* qui repugnant Deo, eiusque institutis atque praeceptis, ex hebr. מָרָה, quod LXX.

haud raro vertunt: ἐρεθίζειν τῷ θεῷ, ἐρεθίζειν τ. θεὸν 1 Sam. XII, 24. 15. Deut. XXI, 20. Quando de qualitate morali sermo est, more hebraico ii dicuntur ex hac qualitate esse, qui eam habent, ei dediti sunt, e. g. Io. XVIII, 37. Ἀλήθεια h. l. est *probitas;* nam opponitur τῇ ἀδικίᾳ, *improbitati.* Θυμὸς καὶ ὀργὴ) *Ira saeva*, i. e. per metonymiam, *poena gravissima*, sc. ἀποδοθήσεται, *imminet.* *Ammonius:* θυμὸς μέν ἐστι προσκαιρὸς, ὀργὴ δὲ πολυχρόνιος μνησικακία.

9. Θλῖψις καὶ στενοχωρία) *Miseria summa.* Inverso ordine Deut. XXVIII, 53. 55. 57. מצור ומצוק, ubi LXX. vertunt: στενοχωρίᾳ καὶ θλίψις. Θλίβειν, *premere*, hinc θλῖψις, *pressio*, metaphorice *oppressio, calamitas, omnis generis miseria*, poena peccati. Στενοχωρία est proprie *angustia loci difficilis permeatu.* Deinde vero ut hebr. צרה, et lat. *angustia* transfertur ad animum, et quemlibet summae miseriae sensum Cf. Ies. XXX. 6. ἐπὶ πᾶσαν—Ἕλληνος) *Homini cuique, qui mala patrarit, inprimis Iudaeo, sed etiam Gentili.* Πᾶσα ψυχὴ ἀνθρώπου, hebraice כל נפש אדם idem est quod v. 10. πᾶς simpliciter, *unusquisque.* Κατεργάζεσθαι τὸ κακὸν, *vitiis deditum esse, sceleste vivere.* Ἰουδαίου τε πρῶτον) Sicut Iudaeum in privilegiis praeposuerat Apostolus, I, 16. sic et eundem praeponit in poenis: id enim exigit ratio, ut qui plus accipit, eo plus crucietur, si beneficio non responderit. Luc. XII, 47.

10. Δόξα—Ἕλληνι) *Felicitas vero omnigena cuivis qui virtuti studet* (destinata est), *Iudaeo praecipue, tum vero etiam Ethnico.* Δόξα καὶ τιμὴ, *ho-*

nor summus, vid. comm. 7. Εἰρήνη) *Felicitas*, omnia bona. שלום. Ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθὸν, *virtuti studere, honeste vivere.* Ἰουδαίῳ τε πρῶτον) Quod tamen non ita capi vult Apostolus, ut vulgo intelligi solebat, quasi *Iudaei omnes* propter genus ab Abrahamo ductum, dummodo ritus lege praeceptos diligenter coluerint, felicitatis aeternae participes futuri sint; sed quod Iudaei, quibus revelata erat voluntas Dei, facile superare poterant gentiles in virtutis et honesti studio. Quare addit, quae v. 11. sequuntur.

11. Οὐ γὰρ — Θεῷ) *Etenim Deus ab omni partium studio est alienus.* Cf. not. ad Act. X, 34. 35. Personam respicere dicitur, qui in iudicio aliud respicit, quam quod in iudicium venit, e. g. externam quandam dignitatem, amicitiam etc. Hebraica phrasis, quam Hellenistae imitati sunt, est נשא פנים. Deus cum iudicat, non originem respicit, non natales, aut externam hominis conditionem, sed vitam.

12. Ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον) *Quicunque enim legem* (a Deo revelatam) *non habentes vitiose vixerunt.* Poterant obiicere Iudaei: Paganos nec virtuti studere, nec salutem consequi posse, utpote qui non haberent legem scriptam. Quibus respondet Apostolus v. 14. omnino etiam Paganos habere notitiam recti et boni. Ἁμαρτάνειν hic ut saepe alias de habitu est intelligendum; *vitiis indulgere, scelestam vitam agere.* Ἀνόμως hic valet בְּאֵין תּוֹרָה, *qui non habet legem*, eam nempe, quae a Deo voce, aut scripto publicata est. Id culpam non tollit quidem, sed minuit. Luc. XII, 43. 48. ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται) *Etiam absque lege*

peribunt, i. e. quamvis legem scriptam non habuerint, tamen peribunt, ut, qui per legem et iuxta eandem damnantur Iudaei. Luc. XII, 43. 48. Minorem poenam sentient. Sed peribunt tamen condemnati secundum aliam normam quam quae in religione revelata continetur. Qualis vero illa norma sit, statim declarat Apostolus. καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον) *Quicunque legem* (a Deo revelatam) *habentes, vitiose vixerunt*, Iudaei. Ita ב saepe ponitur Hebraeis. Ideo, quod hic et III, 19. dicitur ἐν νόμῳ, infra v. 14. explicatur ἔθνη νόμον ἔχοντα. διὰ νόμου κριθήσονται) *Per illam legem iudicabuntur.* Διὰ νόμου, secundum normam illius legis. Gravibus suppliciis addicentur, lege eos convincente, quam non observarunt etiam in potissimis et facillimis observatu. Moses eos accusabit, Io. V, 45. Sequitur longa parenthesis (comm. 13. 14. 15.); nam cohaeret hoc comma cum v. 16.

13. Οὐ γὰρ — δικαιωθήσονται) *Non enim ii, qui legem* (tantum) *sciunt, Deo probantur*, s. probi a Deo reputantur, *sed qui eam observant.* De significatione verbi δικαιοῦν infra plura dicemus. Hoc loco significat *probum declarare.* Refellitur hic pestilens Rabbinorum sententia docens, omnem, qui Iudaismum profitetur, quomodocunque vixerit, partem habiturum in futuro seculo. Ceterum ἀκροαταὶ τοῦ νόμου sunt non solum *auditores*, sed et *lectores* legis, ut apud Ioseph. Ant. V, 1. 26. *legum divinarum periti.* Ob librorum manuscriptorum raritatem, plerique audiendo sibi familiares reddere debebant libros sacros.

14. Ostendit Apostolus, iuste puniri gentiles, qui,

legem revelatam non habentes, flagitiose vivunt. Ratio est, quia facultatem habent rectum a pravo discernendi. Ὅταν γὰρ — εἰσι νόμος) Sensus est: *Quum enim ethnici, legem scriptam* (quam positivam vulgo nominant,) *non habentes, a natura informati legis postulata faciant: sequitur ut ratio recta ipsa eos edoceat, quid iustum iniustumve sit.* Φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ) *Natura duce faciunt ea, quae praecipit lex* (sc. Iudaeis). Quum φύσις hic opponatur νόμῳ, non significat ingenium prava educatione corruptum, sed usum rectum rationis, cuius facultas homini agnata est. Sic τὸ δίκαιον φύσει, et τὸ δίκαιον θέσει distinguit Aristoteles, ac Iurisperiti ius naturale ac civile. οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες) Repetitum maioris evidentiae caussa, ex eo, quod praecesserat. Et neutri nomini additur masculinum, constructione ea, quae dicitur κατὰ τὸ σημαινόμενον. ἑαυτοῖς εἰσι νόμος) i. e. sibi id praestant, vel sibi ipsi imperant, quod lex Iudaeis. Est hic πλοκή, simul et ὀξύμωρον. Est et μεταλήψις, quia caussa nominatur pro effectu, quamvis ex alia caussa procedente.

15. Οἵτινες — ἀπολογουμένων) *Quippe qui declarant, legis praecepta inscripta esse animis eorum, confirmante hoc etiam conscientia, et cogitatis eorum mutuo se accusantibus et defendentibus.* Τὸ ἔργον τοῦ νόμου est cognitio liciti st illiciti, vel ipsa lex, quae opera postulat. Hanc *legem*, vel cognitionem recti *animis inscriptam esse*, significat, tam firmam atque constantem inesse gentilibus legis naturae cognitionem, ut non possint eandem ex animis suis evellere et supprimere. Opponit hoc modo Aposto-

lus legem hanc animis inscriptam, legi divinae revelatae, quae tabulis inscripta erat. Similis mos est profanorum, ut veri rectique scientiam animis insculptam, opponant legibus civilibus. Plutarchus ad princip. indoct. *Quis ergo imperabit principi? ὁ νόμος, ὁ πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων* (*ὡς φησὶ Πίνδαρος*) *οὐκ ἐν βιβλίοις ἔξω γεγραμμένος* (sic enim legendum pro *γεγραμμένοις*), *οὐδέ τισι ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ἐν ἑαυτῷ λόγος, viva in ipsius corde ratio.* *Ἐνδείκνυνται, declarant* (legis praecepta inscripta esse animis eorum,) vita et factis, item publica civitatum disciplina, legibus latis, introductis multis institutis, honestatem iuvantibus. *Συμμαρτυρούσης — συνειδήσεως*) *Confirmante hoc ipsorum conscientia*, vel, si resolvas Genitivos consequentiae: *συμμαρτυρεῖ γὰρ τοῦτο αὐτοῖς ἡ συνείδησις αὐτῶν.* *Συνείδησις*, interior sensus recti pravique, moralis sensus. Igitur gentiles nosse officia, id declarant *extrinsecus* factis, institutis, legibus; *intrinsecus* vero idem illud confirmat sensus honesti et pravi. De vi conscientiae *Polybius* (Exc.) inquit: *οὐδεὶς γὰρ οὕτως οὔτε μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς, οὔτε κατηγορὸς δεινὸς, ὡς ἡ σύνεσις ἐγκατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς.* *Iuvenalis* XIII, 192: *Cur tamen hos tu evasisse putas, quos diri conscia facti mens habet attonitos? — Nocte dieque suum gestant in pectore testem.* *καὶ μεταξὺ — ἀπολογουμένων*) *Koppius* commate post *μεταξύ* posito, hoc ipsum *μεταξὺ* adverbialiter accipit, pro *μετέπειτα*, *postea aliquando*, et iungit cum *ἐν τῇ ἡμέρᾳ* (v. 16.), ut parenthesis evitetur; sed duriuscule. Nam *μεταξὺ* nimis remotum est a verbis (v. 16.) *ἐν ἡμέρᾳ*, et vis conscientiae iam in hac vita se exserit in homine. Probanda igitur vi-

detur esse vulgaris constructio, ut sensus sit: *Quo fit, ut ipsi seipsos alternantibus cogitationibus vel accusent*, si quid male gestum est, *vel excusent*, si bene sibi conscii sunt. Ipsa conscientia inquit Apostolus, edocet gentiles de officiis. Nam conscientia actionum bonarum dulcis est et iucunda; malarum acerba et molesta. Unde patet, vitiositatem esse contra naturam; virtutem exercere esse naturae et rationi convenienter vivere.

16. Ἐν ἡμέρᾳ — Χριστοῦ) *Tum, quum Deus iudicabit cogitata hominum, quemadmodum hoc in Evangelio meo docetur, per Iesum Christum.* Τὰ κρυπτὰ, *latentia peccata*, et ipsos hominum interiores sensus. Διὰ Ἰησ. Χρ. iunge cum κρινεῖ. Deus iudicabit per Iesum Christum. Κατὰ τὸ εὐαγγ. μου, *sicuti ego doceo.* Τὸ εὐαγγέλιον, *doctrina, institutio.*

17. Acriter nunc Paulus castigat Iudaeos, vana rerum inanium et externarum specie tumidos atque inflatos; increpat arrogantiam et superbiloquentiam eorum, qui de accurata legis cognitione, Deique veri veneratione nimis gloriabundi, enormia tamen scelera committere nulli vereantur. Ἴδε — ἐν Θεῷ) *Vide modo, tu nomen Iudaei tibi tribuis, et acquiescis lege, et gloriaris de Deo.* Pro ἴδε legendum esse videtur εἰ δὲ, quae lectio et testimoniis Codd., Verss. et Patrum nonnullorum nititur. Si haec lectio praefertur, apodosis, quae tamen non exprimitur, sed permittitur arbitrio lectorum est v. 21. et suppleri posset sic: Quum tu talis sis, cogita, quanto graviores poenae tibi sint metuendae, etc. In versione expressi vulga-

rem lectionem, ut nexus sit facilior. Ἰουδαῖος, origine sua nomen patronymicum, quod significat hominem e tribu Iuda oriundum, interdum usurpatur ita, ut aliquid dignitatis et religionis simul exprimat. Semper nomen Iudaeum crepabant, et iam eam ob caussam se omnibus aliis hominibus meliores et nobiliores esse existimabant, quod essent de gente Iudaei. Ostendit Apostolus, etiam Iudaeis, si deliquerint, poenas divinas, easque multo graviores, quam ipsis gentilibus, esse metuendas. καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ) *Inniteris, solaris te lege.* Hebr. נִשְׁעָן a LXX modo ἐπαναπαύεσθαι, ut Ezech. XXIX, 7. 2 Reg. V, 18. modo πεποιθέναι vertitur, 2 Chron. XVI, 7. 8. Sensus est: Multum praesidii in eo ponis, quod legem habeas a Deo datam. καὶ καυχᾶσαι ἐν Θεῷ) *Gloriaris, quod unum verum Deum cognoscas;* Deum putas Iudaeorum tantum Deum esse. Cf. C. III, 29.

18. Καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα) Sc. τοῦ Θεοῦ, *voluntatem Dei*, i. e. quod Deo placet. καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα) i. e. τὰ κρείττονα, *probas meliora.* Scis, quaenam praecepta sint maxima et prima. Versio Vulgata: *Utiliora: Glossar.* N. T. τὰ διαφέροντα, τὰ κρείττονα. Κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου, *institutus e lege.*

19. Πέποιθας — σκότει) *Persuasum tibi habes, te esse ducem coecorum, lumen ignorantium.* Una eademque res hoc et sequenti commate saepe ac variis verbis exprimitur. τυφλὸς, et ὁ ἐν σκότει ὤν, *coecus esse, et in tenebris versari* dicitur is, qui non cognoscit verum. Φῶς, *doctor*, ut Io. I, 4. 5. 7. 8. 9. Confidenter existimas, te esse, a quo omnes gentes do-

ceri possent. Iudaeis adscribuntur, ex ipsorum iudicio, tituli magnificentissimi, gentibus vilissima nomina.

20. Παιδευτὴν ἀφρόνων) *Praeceptorem stolidorum*, i. e. eorum, qui disciplinam nondum experti sunt, vel מוֹרֵה נְבָבִים, quo titulo librum inscripsit *Maimonides*. Ἄφρονες etiam *scelesti* esse possunt; tum παιδευτὴς esset, *qui corrigat et ad meliorem mentem reducat*. νηπίων) Νήπιος h. l. est *rudis*, *indoctus*. ἔχοντα — νόμῳ) *Qui rectam doctrinae formam libris sacris traditam habeat*. Phil. III, 5. *Hesychius* et *Suidas*: Μόρφωσιν, σχηματισμὸν, εἰκόνα, Abriss. Ἡ γνῶσις, *cognitio quaevis*, saepe autem *subtilior quaedam et sublimior a vulgo hominum recondita sapientia*.

21. Ὁ οὖν — διδάσκεις) Est πλοκή. Nam *docere* secundo loco significat *semet ad faciendum excitare*. Dicebant et non faciebant. Matth. XXIII, 3. Interrogative haec omnia pleraeque editiones efferunt, simpliciter autem, et sine interrogatione *Erasmus* et *Lutherus*. Utrinque sensus est idem. Efficacior tamen est reprehensio, si interrogative pronuncietur. ὁ κηρύσσων — κλέπτεις) Κηρύσσειν est *palam aliquid docere*, ut Matth. III, 1. IV, 17. Recens erat Romae memoria furti a quatuor Iudaeis commissi, qui praetextu institutionis legum Mosaicarum, Fulviae proselytae dona, templo Hierosolymitano consecrata, in suos usus converterunt.

22. Μοιχεύεις) Talmudici libri ostendunt, plurimos Rabbinos huic et affinibus vitiis deditos fuisse, *Anibam*, *Meirum*, *Chaninam*, *Eleazarum*. Hi fruc-

tus fuerunt fiduciae in solis caeremoniis collocatae. τὰ εἴδωλα) Εἴδωλον Graecis est simulacrum viribus et corpore destitutum; figura umbratica. Animas defunctorum, quas Latini umbras, Graeci appellant εἴδωλα, et εἰδωλοποιεῖν vanam cogitationis figuram animo concipere. Sed eam vocem usurpant Iudaei Hellenistae, cum de Diis gentium agunt, quia imagines tantum eorum existunt. ἱεροσυλεῖς) Syrus: *Sanctuarium spolias.* Hoc faciebant sacerdotes, non offerendo ex proventibus ea, quae lex Dei ipsis praecipiebat, aut certe non qualia oportebat. Malach. I, 8. 12. 13. 14. III, 10. Aliud genus sacrilegii commemorat *Iosephus*, Antiqq. XVIII, 5, 3. XVII, 6. §. 2—4. De B. Iud. I, 33. §. 2—4. Praeferenda tamen videtur *Clerici* sententia, qui ἱεροσυλεῖν interpratatur: *idolorum templa spoliare.*

23. Ὃς ἐν — ἀτιμάζεις) *Nonne tu, qui de lege gloriaris, hanc legem violando, Deum contumelia afficis?* Ἀτιμάζειν ὄνομα τοῦ Θεοῦ vel Θεὸν est: *efficere ut homines alii contumeliose iudicent de Deo.* Vere haec Apostolus dixit. Nam gentiles sibi persuadebant, Deum Iudaeis melius nihil praecepisse, quam quod ab iis patrari viderent; quod quum parum bonum esse intelligerent, Deum ipsum, eiusque legem contemnendum putabant. Tali igitur modo, religionem, volente ac gubernante Deo institutam, paganorum ludibriis et contumeliis exponebant.

24. Τὸ γὰρ ὄνομα — γέγραπται) *Nam Dei gloriae propter vos detrahitur inter gentes, sicut scriptum est,* sc. Ies. LII, 5. Ezech. XXXVI, 20. 23. etc. Nam iam olim talia exempla extiterant.

25. Περιτομὴ — γέγονεν) *Prodest quidem circumcisio* (professio Iudaismi), *si legem observes; si vero legem violes, perinde est, ac si circumcisus non esses* (ac si non esses Iudaeus). Occurrit Apostolus falsae Iudaeorum persuasioni, qua putabant, se vel propter solam circumcisionem, vel propter professionem religionis suae Deo esse gratos et acceptos. Περιτομὴ, pro ὁ Ἰουδαϊσμὸς, quia Iudaei circumcisione potissimum gloribantur. Ex iis, quae praecessere comm. 14., apparet, per *legem* hic intelligi quidem universam legem Mosaicam, inprimis tamen illa praecepta, quae perpetuam ac naturalem in se honestatem continent. Ἀκροβυστία γέγονεν, pro: ἀντὶ ἀκροβυστίας, *perinde est, ac si circumcisus non esses;* inter te et gentilem nullum discrimen intercedit. Παραβάτης, nempe in gravioribus illis, quorum exempla iam posuerat.

26. Ἐὰν οὖν — λογισθήσεται) *Quodsi igitur vice versa gentilis praecepta legis secutus fuerit, nonne eodem loco habendus erit cum Iudaeo?* Ἀκροβυστία priori loco per metonymiam denotat *gentilem*, ἀκροβυστὸν. Τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου, quae suapte natura honesta sunt, *praecepta legis.*

27. Καὶ κρινεῖ — νόμου;) *Et* (nonne) *natione gentilis, legem observans, iudicabit* (condemnabit) *te, qui, quum habeas legem scriptam et circumcisionem, violator es legis?* Post καὶ repete ex comm. 26. οὐχί. *Nonne potius?* Ἐκ φύσεως cum plerisque interpretibus refero ad ἀκροβυστία, ut intelligatur *Gentilis genere;* nam ἀκροβυστία et h. l est praeputiatus, non circumcisus. Aliam explicationem vid. apud *Koppe.*

Natus Ethnicus opponitur nato Iudaeo. Κρινεῖ, pro *κατακρινεῖ, damnabit te; sententiam dicet contra te*; i. e. comparatione sui tuam culpam evincet, ut Ninivitae, Matth. XII, 41. Διὰ, *cum*, ut infra IV, 11. XIV, 20. Γράμμα in talibus formulis, ut ספר, denotat *membranam*, s. *codicem* vel *librum*, *scripturam*, nominatim legem Iudaicam scriptam.

28. Οὐ γὰρ — Ἰουδαῖός ἐστιν) i. e. *οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖος, ὄντως Ἰουδαῖός ἐστιν. Non qui* (tantum) *externe Iudaeus est, hoc nomine est dignus.* Τὸ φανερὸν h. l. complectitur res illas externas omnes, quibus *Iudaei* ab *exteris* secreti erant, quasque Pharisaei vulgo maxime iactabant, e. c. natales, habitus, lingua. οὐδὲ — περιτομή) i. e. *οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ, ἐν σαρκὶ γινομένη περιτομή, ὄντως περιτομή ἐστιν. Nec circumcisio in corpore peracta est ea, quam Deus praecipue aut necessario probat.* Ἐν σαρκὶ exponit illud *ἐν φανερῷ*, i. e. quae, si inquisitio fiat, in carne adspici potest.

29. Ἀλλ' — τοῦ Θεοῦ) *Sed internus Iudaeus* (est veri nominis Iudaeus); *et circumcisio animi, quae fit in animo, non ex lege* (est veri nominis circumcisio). *Quam non homines* (soli) *probant, sed ipse Deus.* Ὁ *ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, occultus*, i. e. *internus, interior Iudaeus* (i. e. animus eius probus); supplendum est: veri nominis Iudaeus est. *Circumcisio animi*, sc. est veri nominis circumcisio. πνεῦμα h. l. est *animus*, nam refertur ad v. 28. ubi erat *ἐν σαρκὶ. Animum circumcidere* est animum purgare a vitiosis cupiditatibus, et pravis affectibus. Deut. X, 16.

οὐ γράμματι, *non ex lege scripta*, non legalis. Οὗ — Θεοῦ) *qui non* (tam) *ab hominibus*, (quam potius) *a Deo laudatur*. *Laudari* duplici sensu h. l. dicitur; *proprie:* laudatur ab hominibus; *improprie:* praemiis ornatur a Deo.

CAP. III.

Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου) *Quodnam igitur est emolumentum, quo Iudaeus* (prae gentibus) *fruitur?* Pergit Apostolus in reprehensione Iudaeorum, atque ad obiectiones, quas ei opponere poterant, respondet. Τὸ περισσὸν non vertendum est *praerogativa*, quasi quaeratur an Iudaei meliores in ulla re fuerint gentibus, sed idem est cum eo quod statim sequitur ὠφέλεια. Sic Eccles. VI, 11. τί περισσὸν ἀνθρώπῳ; *quid prodest homini?* ἢ τίς — περιτομῆς;) *Aut quodnam commodum circumcisis?* In voce περιτομῆς est synecdoche partis, ut supra c. II, 25. Intelligitur nempe externa professio religionis Iudaicae. Obiectio interrogative proponitur. Si ita se res habet, ut Deus sine ortus discrimine munditiem cordis solam approbet, quid ergo praecipuum habet populus ille, quem Deus toties suum peculiariter populum vocat? Quid prodest esse professione Iudaeum? Arcte cohaerent commata octo priora huius capitis cum c. II. extremo; nec hic novi capitis initium erat constituendum.

2. Πολὺ, κατὰ πάντα τρόπον) Πολὺ proprie respondet isti περισσὸν, at κατὰ σύλληψιν etiam membro secundo interrogationis. *Multis omnino commodis*

fruuntur Iudaei, quamquam in se non meliores sunt ceteris. Πρῶτον — τοῦ Θεοῦ) *Et hoc quidem praecipuum est commodum, quod divina oracula ipsis concredita sunt.* Πρῶτον, ut supra I, 8. excellentissimum quoddam commodum designat, quasi dicat, hoc est praecipuum περισσὸν ludaeorum. Ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ) *Oracula divina concredita sunt iis.* Ex Graecismo perquam eleganti, pro: τοῖς Ἰουδαίοις τὰ λόγια ἐπιστεύθη. Tale illud Matth. XI, 5. πτωχοὶ εὐαγγελίζονται. Saepe nimirum in hac loquendi formula Accusativus iungitur Passivo, atque adeo vox λόγια eodem casu hic est sumenda. Simili phrasi Ioseph. Ant. II, 9, 5. de Mariamne, Mosis matre: πιστεύεται τὴν τροφὴν τοῦ παιδίου πρὸς τὸ πᾶν, *mulieri omnis educatio infantis committitur.* Sic apud eundem Ant. X, 10, 3. XII, 10, 2. Τὰ λόγια autem sunt *oracula quaevis divina*, promissa divina, et hoc quidem loco plerique interpretes intelligunt *libros sacros*, in quibus oracula, et praesertim vaticinia de adventu Messiae et vocatione gentium continentur, quae illorum animos praeparare debebant. *Koppe* intelligit sola promissa divina, ob. v. 3. Omnino ad haec inprimis respicitur ab Apostolo; sed ex usu linguae sunt λόγια τοῦ Θεοῦ in universum omnis generis oracula divina, sive sint promissa, sive vaticinia, sive praecepta et leges. Vid. *Bielii* Lexic. edit. Mutzenbech. sub voce λόγιον. Ista autem λόγια in libris sacris V. T. contineri, satis constat. Hoc permultum prodest Iudaeis, quod Deus iis voluntatem suam revelavit.

3. Τί γὰρ — καταργήσει;) *Quid enim* (inde sequitur), *si quidam non habuerunt fidem* (oraculis divi-

nis), *num istorum perfidia fidelitatem Dei* (in servandis promissis) *sustulerit?* Ἀπιστεῖν *non credere*, *non habere fidem.* Fateor, inquit Apostolus, non digni erant Iudaei hoc beneficio; nam maior eorum pars semper fuit et nunc est perfida, denegans Deo fidem et obsequium. Sed hoc non impedivit, quo minus Deus staret promissis. Misit Messiam e gente Israelitica oriundum, et nunc etiam Iudaei fruuntur hoc commodo, ut ex vaticiniis V. T. facilius discere possint quam Pagani, qualis sit Messias, et qualis vera religio. Cf. etiam Matth. XV, 24. Act. XIII, 46. et infra c. IX. huius epistolae. Πίστις Θεοῦ, veritas, seu fidelitas Dei in servandis promissis, אֱמוּנָה Exod. XXXIV, 6.

4. Μὴ γένοιτο) *Absit*, ut hoc credamus. γινέσθω — ψεύστης) *Fidem datam servabit Deus, etiamsi vel omnes homines fidem fallant.* Γινέσθω h. l. dicitur pro ἔσται, vel: πιστευτέον δὲ εἶναι αὐτὸν ἀληθῆ, vel: *maneat hoc.* Posterior sententia desumta est e Ps. CXVI, 12. Ἀληθὴς pro eo, qui sit bonae fidei; ψεύστης pro eo, qui sit malae; *perfidus*, *fidem in promissis non servans.* ὅπως — λόγοις σου) *Ut iustus appareas in dictis tuis.* Ps. LI, 6. Δικαιωθῇς, hic est pro hebraeo תִּצְדַּק in Kal. Λόγοι h. l. sunt *promissa*; nam de veracitate Dei sermo est. Καθὼς γέγραπται. Scilicet, et in hac re verum est illud, quod Ps. LI, 6. dicitur. καὶ νικήσῃς — σε) *Et caussam vincas, si iudiceris*, i. e. si homines de te iudicare velint. Νικᾶν Graecis eleganter dicitur, *qui in iudicio caussam vincit, superiorque discedit.* Haec interpretatio LXX. Seniorum, quam presse hic Paulus secutus est, a ver-

bis hebraicis recedit, sensu eodem manente. Κρίνεσθαι h. l. passivum est; non enim dicitur vincere iudex, qui sententiam fert, sed accusatus, cuius causa diiudicatur. Deum stare promissis, inquit Paulus, et semper recte agere, in hac etiam caussa, de qua disputamus, valet. Praestat quod Abrahamo et posteris eius promisit (Gen. XXII, 18.), quamvis posteri eius hoc beneficio non sint digni. Ex qua re veracitas et benignitas Dei quam maxime elucet.

5. Εἰ δὲ — συνίστησι) *Quodsi vero improbitas nostra benignitatem Dei illustrat.* Ἀδικία, i. e. ἀπιστία v. 3. 4. Δικαιοσύνην *Chrysostomus* et *Theodoretus* ad h. l. recte interpretantur *divinam erga homines benignitatem. Hesych.* συνιστάειν, *Φανερoῦν, βεβαιοῦν, παρατιθέναι.* Est hic μίμησις, nam ipsa verba Iudaeorum, qui Romae erant, repetit Paulus. Sensus est: Si igitur, ut tu ipse dicis, Deus stat promissis, non obstante infidelitate et improbitate nostra (v. 3. 4.), et quod magis est, benignitas eius nostra improbitate fit illustrior, non potest nos punire. μὴ ἄδικος — τὴν ὀργήν) *Nonne iniustus esset Deus infligens poenas?* Solenne est ἐπιφέρειν de poenis. Iosephus Ant. VI. Deum vocat τοῖς πονηροῖς ἀξίαν ἐπιφέροντα τὴν ποινήν, *sceleratis promeritas infligentem poenas.* Mirabilis est integrae huius locutionis notio apud Thucydidem, VIII, 83. *Horum omnium Astyochum esse auctorem,* ἐπιφέροντα ὀργὰς Τισσαφέρνει διὰ ἴδια κέρδη, *qui privati emolumenti caussa iniurias Tissapherni condonet.* κατὰ ἄνθρωπον) Loquor, ut solent homines, qui insito quasi vitio culpam omnem a se amoliri, et in alium coniicere conantur.

6. Μὴ γένοιτο) *Absit ut hoc statuamus.* Absit, ut ex eo quod improbitate nostra benignitas Dei illustretur, eliciamus tam impium consectarium, Deum non iuste infligere poenas malis. ἐπεὶ — κόσμον) *Alioquin* (si ita esset ut tu dicis v. 5.) *quomodo Deus iudicare humanum genus posset?* Ὁ κόσμος, עוֹלָם, *universum genus humanum.* Gen. XVIII, 25. vel etiam Pagani. Si obiectio haec (v. 5. proposita) valeret, Deus nullum hominem punire posset, nec Iudaeum nec Ethnicum. Iuste autem puniri paganos a Deo, ipsi Iudaei concedebant. Ergo per instantiam respondet, et Iudaeos ipsorum gladio iugulat Paulus.

7. Εἰ γὰρ — κρίνομαι;) *Si enim veri Dei gloria per meam indololatriam illustrior fit, cur adhuc ego etiam tanquam idolorum cultor puniar?* Sic vertendum esse puto. Ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ, *verus Deus*, c. I, 25. ψεῦσμα, idem quod ψεῦδος (eodem loco,) *Idolum*, quod colitur, vel etiam idolorum cultus. Ἐπερίσσευσεν εἰς δόξαν, i. e. περισσοτέρως ἔνδοξος ἐγένετο. Ἁμαρτωλὸς, *idolorum cultor.* Gal. II, 15. Κρίνεσθαι, *puniri*, ut saepe. Paulus in persona pagani hominis loquitur. Si tu Iudaeus, (inquit,) impunitatem speras, ego Paganus eadem ratione impunitatem sperare possum. Nam per idololatriam occasio datur vero Deo ostendendi se solum esse verum Deum, gentium autem Deos nihil esse. Alii priora huius commatis verba vertunt: *Si enim benignitas Dei mea improbitate illustrior redditur.* Ἀλήθειαν esse dicunt δικαιοσύνην, v 5., et ψεῦδος, *omnem improbitatem*, ἀδικίαν, v. 5. ut Apocal. XXI, 27. Sed nostra interpre

tatio et usui loquendi et seriei orationis convenientior esse videtur.

8. Καὶ μὴ — τὰ ἀγαθά;) *Et cur non (ut sane quidam nobis obtrectantes dicere nos affirmant,) mala faciamus, ut inde bona eveniant?* Si verum esset, inquit Paulus, id quod vos statuere videmini, non puniri a Deo homines eos, qui peccatis suis occasionem dant illustrandae benignitatis et potentiae divinae, sequeretur licere mala facere, si bona inde eveniant. *καὶ μὴ*, est oratio elliptica, quasi dicat: *καὶ τί μὴ λέγομεν*; vel ut alii volunt, *μὴ ὅτι* pro *ὅτι μή*, *cur?* Nam *ὅτι* pro *cur* habuimus etiam Marc. IX, 11. Verba: *καθὰς βλασφημούμεθα — λέγειν* per parenthesin legenda sunt. Videmus ex hoc loco, Iudaeos per calumniam dixisse, Apostolos facere mala, ut inde bona eveniant. Hoc obscurum est. Videtur autem innui hoc: Apostoli paganos a superstitione gentili traducebant ad veri Dei cultum. Hoc bonum esse Iudaei concedebant. Sed iidem Apostoli *nomine Iesu Nazareni* docebant et doctrinam Iesu religione Iudaica praestantiorem esse affirmabant. Hoc ita interpretati sunt fortassis Iudaei, quasi malis mediis uterentur Apostoli ad consequendum bonum finem. Iam negat quidem Paulus se aliosque Apostolos mala facere, ut bona inde eveniant, sed non adeo improbandum fore, inquit, si ita faciant, si obiectio v. 5. valeret. Addit vero: *ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστι*) *Quorum poena est iusta*, qui digni sunt, quos Deus perdat. *Hesychius: ἔνδικον, δίκαιον, ἄξιον.* Non tanti facit hoc dictum Iudaeorum Apostolus, ut operose solvat, satis habens id detestari, et calumniam dicere, et quidem poena dignissimam. Iam

ad institutum revertitur Paulus et ostendit, Iudaeos nihil meliores esse gentilibus. c. II, 25. sqq.

9. Τί οὖν; προεχόμεθα;) Τί οὖν, sc. ἐστι, quod additur Act. XXI, 22. Προεχόμεθα; *numquid prae gentibus habemus?* nos Iudaei. Nihil meliores ceteris gentibus sunt Iudaei. Iungi etiam possunt verba τί οὖν προεχόμεθα; eodem sensu. *Theodoretus:* τί οὖν κατέχομεν περισσὸν; *Cod. Claromont.* a prima manu, *Boerner.* et *Covelli secundus*, nec non *Ruffinus:* τί οὖν προκατέχομεν περισσὸν; Quae lectionis vulgatae magis explicatio quam varietas dicenda est: indeque patet, quomodo veteres istud προεχόμεθα exposuerint, sc. textui convenienter sic, ut e persona Iudaeorum dicta sint. οὐ πάντως) i. e. οὐδαμῶς, nullo modo. Nec haec pugnant cum v. 1. Ibi enim de commodis et utilitatibus externis sermo fuerat, hic autem loquitur Apostolus de praestantia ex interna quadam dignitate repetenda, de morali praestantia. προῃτιασάμεθα γὰρ) *Evicimus enim*, supra c. I. II. Ἰουδαίους — εἶναι) i. e. non minus Iudaeos quam gentes, quum Christus advenit, flagitiosissimae fuisse vitae. Nam ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι h. l. ut ex sequentibus apparet, significat, gravibus vitiis addictos esse, unde porro sequitur, illud πάντας hic intelligendum non plane de singulis, sed de plerisque. Aristoteles Poëticorum c. 20. τὸ γὰρ πάντες ἀντὶ τοῦ πολλοὶ κατὰ μεταφορὰν εἴρηται. Erant enim inter Iudaeos quidam boni, quales *Zacharias*, *Simeon*, *Hanna;* et inter gentes, quales duo centuriones, alter in Evangelio, alter in Actis memoratus; sed hi nihil nisi gutta in mari. Non esse sermonem de labe naturali, sed de vitiositate hominum adultorum, vix est, ut moneamus.

10. Καθὼς γέγραπται) Utitur hic Paulus diversis sententiis, tum ex *Psalmis*, tum ex *Iesaia*, nec utique verba semper adnumerans, sed sensum, qualem memoria suggerebat, bene exprimens. Tempora, inquit, sunt talia, qualia olim a Davide et aliis descripta sunt. Sic et Christus prophetarum verba usurpat, de aliis temporibus dicta, sed suis non minus convenientia, ut Matth. XIII, 14. Io. XII, 40. ὅτι οὐκ — εἷς) *Non est probus, ne unus quidam.* Ps. XIV, 1. LIII, 1. Δίκαιος, *probus*, *rechtschaffen.* Describitur hoc et sequentibus locis non naturalis quaedam hominum ad peccandum proclivitas, sed ea morum perversitas, quae isto potissimum reipublicae Iudaicae tempore inter Iudaeos regnabat.

11. Οὐκ ἔστιν — Θεὸν) *Nemo est qui sapiat, et Deum studiose colat.* Ps XIV, 2. 4. משכיל, *intelligens* h. l. dicitur, qui intellectu recte utitur, sicut impius eodem Psalmo vocatur insipiens.

12. Πάντες ἐξέκλιναν) *Omnes declinarunt* (a recto tramite), i. e. aberrarunt a cultu veri Dei, et via virtutis. ἅμα ἠχρειώθησαν) *Omnes vitiis laborant.* Ps. XIV, 3. יחדו נאלחו, *una putridi facti sunt*, i. e. *inutiles et perversi.* Quae enim putrida sunt, esui sunt inidonea; sic illi nulli bono usui. Οὐκ ἔστι — ἑνὸς) *Non est, qui recte agat, ne, unus quidem.* χρηστότητα, i. e. ἀγαθὸν, טוב in Ps. l. c. ἕως ἑνός, hebr. more, pro οὐδὲ εἷς, עד אחד, pro אחד, Exod. XIV, 28.

13. Τάφος — αὐτῶν) Ps. V, 10. *Guttur eorum* est (veluti) *sepulcrum patens*, omnia in mortem rapiens

et absorbens. Designantur calumniatores, qui loquuntur eas res, quibus perniciem struant aliis. *Hesychius:* Φάρυγξ, λάρυγξ, βρόχος, στόμα. *Guttur*, s. *os*, i. e. vox ab ore procedens. Sepulcrum apertum est, quod expectat mortuum. ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν) Ps. V, 10. *Verbis fallunt.* Hebr. חלק proprie de *butyro* Ps. LV, 22. *oleoque* Prov. V, 2. usitatum, tropice *ad blanditias laeves et adulatorias* transfertur, ut Prov. VII, 21. A δόλιος fit δολιόω, *Etymol.* Καὶ ὤφειλεν εἶναι ἐδολίεσον, ἐδολίουν, ὥσπερ ἐποίεσον, ἐποίουν, ἀλλ' οἱ Βοιωτοὶ ἐπὶ τῶν μὴ ἐχόντων τὴν μετοχὴν εἰς σ. ὀξύτονον, ποιοῦσι τὸ τρίτον τῷ πρώτῳ ἰσοσύλλαβον, οἷον ἐμάθομεν, ἐμάθοσαν, εἴδομεν, εἴδοσαν etc. ἰὸς — αὐτῶν) *Venenum viperarum sub labiis eorum est.* Ps. CXL, 4. Sensus est: Ita est perniciosa impiorum et letifera oratio, ut veneno viperae oblita labra videantur; afflatur enim exitium et mors, mendaciis, maledictis, calumniis, obtrectationibus et vociferatione illorum. Pessimum autem venenum est aspidum, quod ἀνίατον esse tradit *Aristoteles* de Historia Animalium XIII, 29. *Aelian.* H. A. II, 24.

14. Ὧν — γέμει) *Quorum verba diris dicteriisque plena sunt.* Ps. X, 7. Ἀρὰ exprimit hebraicum אלה, i. e. *diras.* Πικρία hebr. מרמות *mordacitatem exprimit* et *dicteria acerba.* Plin. Epist. VI, 8. *ne in bilem et amaritudinem vertat iniuria.* IV, 11. *Cui sententiae tantum bilis, tantum amaritudinis est.*

15. Ὀξεῖς — αἷμα) Ies. LIX, 7. Ὀξεῖς, *acuti*, i. e. ταχινοὶ *celeres;* acuta enim facile penetrant, unde et

de periculorum momentis hac voce utuntur, quum vocant morbos aliquos ὀξεῖς, contra hebetes et obtusi appellantur, qui tardi sunt. Ellipsis est, pro: Ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ὥστε δραμεῖν πρὸς τὸ ἐκχέαι αἷμα. Ex. peditus et festinatus cursus eorum est ad profundendum sanguinem, i. e. iugulandum innocentes. Est enim impietas semper crudelis et sanguinaria.

16. Σύντριμμα — αὐτῶν) ex Ies. LIX, 8. *Clades et pernicies est in eorum ratione agendi.* Σύντριμμα, proprie *contritio, contusio,* metaphorice est *aerumna,* hebr. שֹׁד, devastatio. Sensus: *Nihil agunt isti homines, quam ut aliis miserias et aerumnas creent.* Ὁδοί, *vitae instituta,* דרכים.

17. Καὶ — ἔγνωσαν) *Viam, quae ad felicitatem ducit, nec sciunt, nec curant.* Hebraeis nescire aliquis dicitur, quod non curat. Ierem. IV, 22.

18. Οὐκ ἔστι — αὐτῶν) ex Ps. XXXVI, 2. *Reverentiam Deo debitam nunquam sibi ob oculos ponunt.*

19. Οἴδαμεν — λαλεῖ) *Iam vero scimus, quaecunque libri sacri dicunt, haec dicere iis, qui illos habent.* Νόμου vox, ut hebr. תורה omnis doctrina Iudaeis nota, in *libris sacris* V. T. contenta, ipsi libri sacri Iudaeorum. In locis igitur adductis *Iudaei* reprehenduntur. ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ) *Sic igitur omnibus silentium imponitur.* Ἵνα h. l. non τελικῶς, sed ἐκβατικῶς explicandum esse, *Theodoretus* docuit. *Plutarch.* de util. ex inim. p. 88. C. ἐμφράττει τὸ στόμα, ἄχει, σιωπᾷν ποιεῖ. Hoc ideo attulit Paulus, ut nihil

habeant Iudaei, quo se tueantur, quum haec omnia iis conveniant, quae veteribus Hebraeis Deus exprobravit, neque id negare possint. καὶ ὑπόδικος — τῷ Θεῷ) *Et omne genus humanum coram Deo reum esse cognoscitur.* Ὑπόδικος est *is, qui potest accusari, meruitque delicti poenam*, qui iam est ὑπὸ τὴν δίκην, sub poena, *sons.* τῷ Θεῷ, respectu Dei, iudice Deo. Πᾶς ὁ κόσμος, *omne genus humanum.* Hoc urget Paulus adversus Iudaeos, qui tales peccati descriptiones (v. 10—18.) plane concedebant, sed ab se magnam partem amolientes, ad paganas nationes transferebant, externosque ἁμαρτωλοὺς, se vero δικαίους iudicabant.

20. Διότι — ἐνώπιον αὐτοῦ) *Proinde propter obsequium legi praestitum nemo Deo iudice insons censebitur.* Οὐ πᾶσα σάρξ, *nemo hominum*, ne Iudaeus quidem; de Iudaeis enim in antecedentibus sermo fuerat. Hebraeis *omnis non* valet *nullus.* Vid. Exod. XII, 16. Τὰ ἔργα τοῦ νόμου, *actiones legi congruae.* Ὁ νόμος nunc strictiori sensu est *lex de agendo*, et ἔργα νόμου sunt *facta, quae praescribuntur lege.* Nominatim autem *lex Mosaica* hic intelligitur; nam Paulus cum Iudaeis disputat, et horum legi vim detrahere vult. Δικαιοῦν, הצדיק est *reum declarare insontem, absolvere reum*, Ex. XXIII, 7. Deut. XXV, 1. Prov. XVII, 15. Hanc significationem postulat contextus, nam v. 19. dictum fuerat: omnes homines esse sontes; hinc concluditur, neminem δικαιοῦσθαι, *insontem declarari*, ἐνώπιον Θεοῦ, iudice Deo. Interdum vero δικαιοῦσθαι et δικαιοῦν in V. et N. T. ita late dicuntur, ut *omnem omnino Numinis favorem*, quo et poenae homini remittuntur, et beneficia, omnis-

que felicitas conferuntur, simul complectatur, Ies. XLV, 25. et in hac epistola passim. Hinc Gal. III, 8. 9. δικαιοῦσθαι, et εὐλογεῖσθαι (*felicitatem adipisci*) permutantur, quae εὐλογία ibidem v. 14. describitur. Sensus igitur est, neminem hominum probari Deo et felicem reddi respectu ad observatam legem Dei Iudaeis cognitam, ut ad caussam et fundamentum, quasi satisfecerit universae legi in moralibus. Disputat Paulus contra Iudaeos, eosque dedocere vult, ne se solos, exclusis paganis, censeant δικαιοῦσθαι propter legis observationem, ne δικαιοσύνην vel felicitatem promissam expectarent tanquam praemium obsequii legi divinae praestiti. Ergo horum securitatem et fastum compescere vult. Nunc etiam caussam affert, cur nemo expers culpae censeri possit, si ad ἔργα νόμου respicere velit: διὰ γὰρ – ἁμαρτίας) *Lege enim peccatum agnoscitur. Agnoscere peccatum* est non tantum agnoscere aberrationem a norma, sed etiam concludere id, quod inde sequitur, turpem et noxiam esse discessionem a norma; non modo agnoscere, legem esse violatam, sed et culpam poenamque violando contractam. Unde concludit Apostolus, quemlibet intuenda lege huc duci, ut venia sibi opus esse sentiat, et fateri cogatur, caussam veniae et felicitatis non quaerendam esse in manca legis observatione, sed potius relinqui caussam culpae. Non repugnat hoc illis, quae dicta sunt supra cap. II, 7. Nostro enim loco Paulus disputat adversus eos, qui favorem Dei et felicitatem aeternam tanquam mercedem propter observationem legis sibi debitam expectabant. Horum fastum compescere vult Paulus, ostendens omnes, optimos etiam homines laborare imperfectione morali, et egere venia.

21. Hactenus descripserat Apostolus totius generis humani depravationem, atque ostenderat, neque paganos religione naturali, neque Iudaeos lege Mosaica emendari potuisse. Vid. notata ad c. I, 18. Redit iam ad argumentum, quod c. I, 17. leviter tantum attigerat, nempe religione christiana monstrari viam ad veram felicitatem, favoremque Dei consequendum, et uberius docet v. 21 — 30. huius capitis, a sola fide promissis divinis gratiosis praestita, omnibus hominibus Iudaeis ac Gentibus repetendam esse spem immunitatis a poenis et salutis aeternae. *νυνὶ δὲ — προφητῶν*) *Nunc autem nullo respectu ad legem via ad consequendam peccatorum veniam et felicitatem, monstratur, promissa in lege et Prophetis.* Ἡ *δικαιοσύνη τοῦ Θεοῦ*, *favor, beneficium Dei, felicitas, quam Deus largitur*, v. 20., inprimis autem absolutio a peccatis, quae fit a Deo, quae est fundamentum huius felicitatis. *χωρὶς νόμου*, nullo respectu ad legem Dei Iudaeis notam. Monstratur nunc, inquit Paulus, via ad veram felicitatem, et peccatorum veniam consequendam, quam adipisci potest unusquisque hominum, sive nota ei fuerit lex divina in libris sacris Iudaeorum contenta, sive non fuerit. Hoc dicit contra Iudaeos, qui propter observationem legis Mosaicce se Deo gratos esse putabant. Μαρτυρεῖν, laudare, docere, vel hebr. עוּד praedicere, promittere. Misericordiam et benignitatem Dei omnino laudant Moses et Prophetae, e. g. Ex. XXXIV, 6. 7. Ps. CIII, 8.

22. Δικαιοσύνη — διαστολή) *Ad felicitatem* (inquam), *quae contingit propter fidem in Iesum Christum omnibus omnino credentibus; nullum enim hic est*

discrimen, inter Iudaeos et paganos. Uberius explicatur, qua ratione Deus nunc a peccatorum poenis liberare et praemiis afficere velit homines, sive Iudaei sint, sive gentiles. διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ) i. e. διὰ πίστεως εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν, *propter fiduciam in Iesu Messia collocandam.* Phrasis πιστεύειν τινὶ, vel εἴς τινα, interdum in generaliori significatu accipienda est, ut denotet *obsequium erga doctorem quemvis, qui divinitus missum se profitetur*, Matth. XXI, 25. 32. Io. II, 11. et cum de Iesu est sermo, *esse*, vel *fieri eiusdem sectatorem et discipulum.* Io. VI, 69. 1 Cor. III, 5. Deinde vero in Epistolis, locis inprimis iis, quibus meritis hominum et in specie diligenti observationi legis Mosaicae denegatur vis conciliandi nobis divinum favorem, denotat: *Iesum Messiam felicitatis suae auctorem agnoscere, credere, sibi propter Chrisium remitti peccata, et beneficia propter eundem promissa contingere.* Hunc angustiorem vocabuli πίστις significatum h. l. inprimis esse respiciendum, apparet e v. 25. ubi haec fides definitur, ut sit πίστις ἐν τῷ αἵματι Χριστοῦ. εἰς πάντας — πιστεύοντας) Suppl. εὐχομένη, γενομένη. Sensus est: Huius divini favoris propter fiduciam in Iesu Messia collocandam participes fiunt credentes, et quidem omnes omnino credentes, ita ut nihil aliud respiciatur. Εἰς et ἐπὶ exprimunt Hebareorum ל et על, nec est in his particulis argutandum. Vehementiore orationis modo utitur Apostolus, propter Iudaeos, qui opinabantur, sibi solis aditum ad felicitatem regni Messiae patere. Formula ἐπὶ πάντας in codicibus latinis, nec non in perpaucis graecis libris deest, non omittenda, propter emphasin. οὐ γάρ ἐστι διαστολὴ) *Nullum est discrimen*, sc. inter Iu-

daeos et gentiles. Omnibus, qui haec beneficia consequi volunt, necessaria est fides, et pia in Messia fiducia. Nullus in hac re locus est meritis, vel propriis, vel maiorum, ut Iudaei volunt.

23. Πάντες γὰρ ἥμαρτον) Non mirum est, Deum hac in re Iudaeos a gentibus non discernere, quum omnes gravissimis peccatis tenerentur. καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ) *Et carent approbatione Dei.* Non probantur Deo ut pii. Ἡ δόξα τοῦ Θεοῦ, honor quo Deus homines dignos habet, vel etiam approbatio divina. Sic etiam explicari potest locus Io. XII, 43. ubi ἡ δόξα τῶν ἀνθρώπων et ἡ δόξα τοῦ Θεοῦ sibi invicem opponuntur. Sensus est: *Neminem coram Deo gloriari posse de suis meritis*, quod tamen faciebant Iudaei, qui sua, et maiorum suorum, Abrahami, Isaaci, Iacobi etc. iactitabant, et se meliores gentibus esse existimabant. *Morus* intelligit *felicitatem a Deo ortam vel donatam*, ut cap. V, 2. ubi nostra spes τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ est spes felicitatis, quam Deus largitur, spes salutis aeternae. Alii τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ de *divina imagine* h. l. explicant, *Chrysostomus* de felicitate aeterna; *Theodoretus* de benignitate et misericordia Dei erga homines.

24. Δικαιούμενοι δωρεὰν) *Dum consequuntur immunitatem a poenis et beneficia divina gratis*, non ceu debitam mercedem observatae legis Mosaicae, sive etiam naturae. τῇ αὐτοῦ χάριτι) *Ipsius favore et gratia.* Felicitatem a Deo promissam. Paulus inquit, et nominatim veniam peccati esse simpliciter habendam pro beneficio omnibus sine discrimine peccatoribus

sponte oblato; non habendam esse pro praemio, quod certis certarum rerum observationibus praegressis acquiri demum et conciliari debeat. *διὰ τῆς — Ἰησοῦ*) *Propter redemtionem, quae per Iesum Christum praestita est.* Ἀπολύτρωσις in genere est redemtio, liberatio a quovis malo vel periculo, interdum autem, ut hic, liberatio a poenis peccatorum, eorumque imperio. Cf. annot. ad Matth. XX, 28. Comprehendit haec Christi ἀπολύτρωσις, quicquid is docuit, fecit et passus est, eo consilio, ut homines malis liberati, praecipue peccato, malorum fonte immunes, veram felicitatem adipiscerentur.

25. *Ὃν προέθετο — ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ*) *Quem Deus proposuit expiatorem, per fiduciam in eius morte collocandam, ut declararet benignitatem suam, eo quod remittuntur peccata olim commissa, pro lenitate sua.* Ἱλαστήριον, sc. θῦμα, vel ἱερεῖον, *pro dono propitiatorio* usurpat Dio Chrysostomus, Orat. XI. ἱλαστήριον Ἀχαιοὶ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Ἰλιάδι, *propitiatorium hoc donum dederunt Achivi Minervae Iliensi.* De *victima propitiatoria* usurpat Iosephus de *Macc.* §. 17. de honesta morte pro religione Maccabaeorum: *διὰ τοῦ αἵματος τῶν εὐσεβῶν ἐκείνων, καὶ τοῦ ἱλαστηρίου τοῦ θανάτου αὐτῶν* (mortis propitiatione) *ἡ θεία πρόνοια τὸν Ἰσραὴλ προκακωθέντα διέσωσε.* Aliis ἱλαστήριον, subintellecto ἐπίθεμα est *operculum arcae foederis*, כפרת Exod. XXV, 17. aliisque locis. Ioseph. Ant. III, 6, 5. Supra hoc *operculum aureum arcae foederis* duo Cherubini aurei eminebant, unde Deus oracula edebat Exod. XXV, 23. Num. VII, 89. ubi nubes, symbolum gratiosae Dei praesentiae, appa-

rebat; ubi etiam Pontifex quotannis semel die expiationis suffitum faciebat, et sanguinem bovis et hirci adspergebat, qui ritus pertinebat ad expiandum. Levit. XVI, 13. sqq. Volunt igitur Iesum h. l comparari *cum operculo arcae foederis*. Sed tertium comparationis vix reperiri poterit. Nam summus quidem Sacerdos adfudit sanguinem arcae foederis ad expiandum; num vero Christi sanguis dici potest adfusus esse ipsi Christo, quasi ipse similis esset arcae aut operculo foederis? Igitur ἱλαστήριον vertendum esse puto: *expiatorem*, eum qui habeat vim expiandi. Nam vocabula a verbis derivata, quae desinunt in ήριον, indicare solent id, quod habet vim aliquid efficiendi, ut σωτήριον, quod habet vim servandi, καυτήριον, quod habet vim urendi etc. *Expiator* est, qui conciliat invicem inimicos. Ita vero Christus appellatur, quia morte sua effecit, ut homines scirent, Deum velle ignoscere resipiscentibus et credentibus, et vicissim homines, quorum animi alienati erant a Deo, cum eo in gratiam redirent. Deus eum προέθετο, omnium conspectui exposuit, i. e. effecit, ut omnes scire possent, eum esse expiatorem, partim *facto*, dum Christus pertulit mortem in omnium conspectu; partim *institutione*, dum curavit, ut homines edocerentur, mortem eius esse salutarem. Αἷμα, *sanguis*, mors cum sanguinis effusione coniuncta; et quia Christus praecipue sua morte nobis gratiam Dei promeruit, hinc αἷμα frequenter pro toto illius merito adhibetur. In mortem Christi credit, qui confidit, eam mortem sibi esse salutarem, quae ob illam mortem promittuntur, ea etiam accipi, ita ut non amplius sit opus sacrificiis, expiationibus et satisfactionibus aliis. Huius rei consilia et effectus

exprimuntur sic: εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ) *Ut declararet benignitatem suam.* Sic Gen. XIX, 19. LXX. hebr. חסדך vertunt δικαιοσύνην σου. Cf. 2 Pet. I, 1. et in Prophetis saepissime. *Benignitatam* Dei intelligi, docet contextus; nam remissio peccatorum et receptio in gratiam est beneficium, ex bonitate Dei profluens. Πάρεσις *remissio*, condonatio peccatorum. Discrimen inter πάρεσιν et ἄφεσιν, quod nonnulli statuunt, ex scriptoribus bonis probari nequit. De iis, qui in litibus *Cocceianis* de hac re disputarunt vid. *Wolfius* in Curis ad h. l. Τὰ προγεγονότα ἁμαρτήματα non sunt peccata tempore V. T. ante manifestationem Messiae commissa, ut nonnulli existimant, sed peccata commissa a credentibus antequam per religionem christianam emendarentur, et fide remissionem peccatorum adipiscerentur. Ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, i. e. αὐτοῦ, more hebraeo, nomen pro relativo: *pro lenitate sua.* Cf. c. II, 4. Sensus est: Nunc Deus benignitatem et bonitatem suam in eo ostendit, quod credentibus remittit peccata olim ab ipsis commissa, pro sua lenitate.

26. Πρὸς ἔνδειξιν — καιρῷ) Repetit quod dixerat, ut saepe solet, ubi quid altius vult infigere animis. Ἐν τῷ νῦν καιρῷ, hoc ipso tempore, quo nos Apostoli vobis hanc benignam Dei voluntatem significamus. εἰς τὸ εἶναι — Ἰησοῦ) *Ut appareat, eum esse benignum, et absolvere quemlibet credentem in Iesum.* Cf. v. 25. Ὁ ὢν ἐκ πίστεως, *credens.* Constructio est similis ei, quae est supra II, 8. ἐξ ἐριθείας. Ergo praestantia religionis christianae praecipue in eo cernitur, quod per eam monstratur via perveniendi ad eam felicitatem, quae est in venia peccatorum, vacuitate a metu

poenarum, animi tranquillitate et spe felicitatis aeternae. Talem felicitatem lex Mosaica non docuit. Non enim promittendo animum peccatoris tranquillavit, sed poenas minando terruit, v. 20.

27. Ex iam dictis concludit Apostolus, non habere Iudaeum amplius, quo glorietur, et se meliorem gentilibus esse existimet. Ποῦ οὖν ἡ καύχησις;) *Quaenam igitur caussa gloriandi superest* Iudaeo? Quid habet Iudaeus amplius, quo glorietur, et se meliorem esse paganis existimet? Respicitur ad c. II, 17. *Theodoretus*: καύχησιν δὲ καλεῖ τὸ ὑψηλὸν τῶν Ἰουδαίων φρόνημα. Nam ii propriae virtutis praestantiam iactare solebant. ἐξεκλείσθη) *Non amplius locum habet* (gloriatio Iudaei). Theodoretus: οὐκ εἶπε, κατελύθη, ἀλλ' ἐξεκλείσθη ἀντὶ τοῦ, οὐκ ἔτι χώραν ἔχει. Nimirum, ademta est tibi, Iudaee, gloriatio tua, posteaquam divina voluntas omnes orbis nationes aequat in negotio Evangelii. Defertur et gentibus salus. διὰ ποίου νόμου; τῶν ἔργων; οὐχί) *Per quam doctrinam* (ademta est gloriatio)? num per eam, quae opera praescribit, qualia nimirum exigit lex Mosis? Minime vero. Nam antea evicerat Apostolus, omnes homines propter peccata esse poenis obnoxios. Igitur nec Iudaei de sua virtute gloriari poterant. ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως) *Sed per doctrinam, quae fidem praecipit.* תּוֹרָה h. l. *doctrinam* significat, et Paulus hoc vocabulo eo libentius utitur, quia voci הַתּוֹרָה Iudaei erant adsueti. Haec igitur doctrina fidei omnes homines aequat, eosque beneficia divina expectare iubet

28. Λογιζόμεθα — νόμου) *Censemus enim, fide*

hominem absolvi, nullo respectu habito ad facta lege Mosaica praescripta. Pro οὖν legunt γὰρ nonnulli codices antiqui, quibuscum et Versiones quaedam et Patres consentiunt. *Censemus enim.* Respiciunt haec verba ad v. 27. διὰ νόμου πίστεως. Cf. v. 22. Sensus est, quemvis hominem adipisci veniam peccatorum et gratiam divinam, dummodo Christo fidem habeat; nec opus esse ut gentiles circumcidantur, et legem Mosaicam observent; non suspensum esse hoc beneficium ex lege Mosaica et oeconomia uni genti propria; non excludi paganos, neque praecludi ulli homini, qui peccavit, aditum et spem; sed legem et oeconomiam hanc potius cessare, et introduci aliam conditionem, πίστιν, quae apud omnes nationes locum habeat. Νόμον h. l. esse legem Mosaicam patet ex iis, quae statim v. 29. sequuntur.

29. Ἢ Ἰουδαίων — καὶ ἐθνῶν) *Utrum enim Deus solis Iudaeis favet? an et reliquis gentibus? sane et reliquis.* Vocabulum Θεὸς, semel positum, sed in explicatione bis sumendum. *An Deus ille verus, huius mundi et humani generis opifex, vult tantum Deus, i. e. sospitator atque εὐεργέτης esse Iudaeorum?* Sic Iudaei existimabant. Quia enim Deus ab insignibus beneficiis, quae patriarchis polliticus erat, Deus Abrahami, Isaaci et Iacobi dici voluit Exod. III. 6. Pharisaei id ita interpretari solebant, ut gentiles a divina benignitate fere prorsus excluderent. Docet ergo Apostolus, Deum universo generi humano per Christum bene cupere.

30. Ἐπείπερ — διὰ τῆς πίστεως) *Siquidem unus*

idemque Deus est, qui absolvet et Iudaeos propter fidem, et gentiles propter fidem. Ἐκ, *propter.* Fut. pro praes. et praeterito. Frequentissimum id, ubi notantur actus continui. Διὰ τῆς πίστεως, *propter fidem*, non differt a phrasi ἐκ πίστεως. Deus, omnium hominum Pater et εὐεργέτης, omnibus bene cupit, omnibus unam eandemque rationem veniae et salutis per Christum eiusque religionem patefecit.

31. Νόμον — ἱστῶμεν) *An igitur doctrinam veteris Testamenti tollimus per doctrinam de fide? Minime, sed doctrinam veterem confirmamus.* Ostendit Paulus ab hoc comm. 31. usque ad c. IV, 25. doctrinam Apostolicam de fide non repugnare doctrinae V. T. sed potius cum ea optime consentire. Νόμος h. l. non potest referri ad legem ritualem Mosaicam; hanc enim abrogatam esse Apostolus saepenumero dixit; nec etiam leges de moribus regendis inlelligi possunt, quum non possit reddi ratio perspicua modi, quo lex ista per doctrinam de fide sit confirmata. Intelligitur ergo doctrina quae in sacris libris V. T. continetur. Nempe haec ipsa scripta V. T. necessitatem fidei commendaverant; quamobrem Paulus clare dixerat v. 21. δικαιοσύνην Θεοῦ, quae non proficiscatur ab observatione legis, esse μαρτυρουμένην ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν. Hanc rem statim amplificat Paulus universa disputatione c. IV. quae e V. T. scriptis demonstrat, Abrahamum *fide sua* placuisse Deo, et hactenus δίκαιον declaratum fuisse. Πίστις h. l. est *doctrina de fide.* Καταργεῖν proprie est *inutilem reddere;* per μετάληψιν autem *dicere, rem aliquam esse inutilem; falsam declarare doctrinam aliquam; contra eam dis-*

putare. Νόμον ἱστῶμεν, Scripturis suum honorem vindicamus, earumque auctoritatem sequimur. ἵστημι, *sisto, colloco, stare facio,* i. e. *stabilio, confirmo.* Connectendus igitur hic versus cum capite sequenti, in quo prolixius ad obiectionem hoc commate propositam, respondetur.

CAP. IV.

1. Dixerat Apostolus c. III, 28. hominem δικαιοῦσθαι a) πίστει, b) χωρὶς ἔργων νόμου, nec hanc doctrinam pugnare cum doctrina in libris sacris V. T. tradita, v. 31. Hoc nunc confirmat et probat, et quidem πίστει hominem δικαιοῦσθαι, v. 1 — 9., et χωρὶς ἔργων νόμου v. 10. usque ad finem capitis. Τί οὖν — κατὰ σάρκα;) *Quid e. g. Abrahamum dicemus consecutum esse externis rebus?* οὖν, particula transeundi, h. l. verti potest: *exempli caussa.* Κατὰ σάρκα referri debet ad εὑρηκέναι, et est pro διὰ τῆς ἐν σαρκὶ περιτομῆς, vel ut Theodoretus explicat: ἐν ἔργοις. *Significantur res externae, quibus Iudaei gloriari solebant,* e. g. circumcisio, oblatio decimarum, sacrificia etc. Post ἐροῦμεν non est ponenda interrogationis nota. Εὑρίσκειν, מצא, *consequi, habere,* Gen. VI, 8. XVIII, 3. Sic Strabo L. XVI. de filiis Herodis dicit: θεραπείᾳ πολλῇ μόλις εὕροντο κάθοδον, *multis obsequiis potestatem redeundi vix impetrarunt.* Interrogationis vis est, ut neget. *Nulla laus vel felicitas contigit Abrahamo ex circumcisione.* Alii κατὰ σάρκα referunt ad πατέρα, ut sensus sit: *Quid igitur dicimus, nos Abrahamum nactos esse patrem?* Sed hanc explicationem Gram-

maticae leges vix ferunt. Deest enim ἡμᾶς post εὑρηκέναι, et redundat tum ἡμῶν post πατέρα, tum articulus ante πατέρα. Doctrinam de fide non esse contrariam Iudaeorum libris sacris, primum ostendit Paulus exemplo Abrahami, quem, *quum nondum circumcisus esset*, propter fidem Deo gratum fuisse diserte docent Iudaeorum libri sacri.

2. Εἰ γὰρ — Θεὸν) *Profecto si Abrahamus propter bene facta laudem probi hominis consecutus est, habuit quo gloriaretur* (nempe apud homines), *sed non respectu Dei*; i. e. propter externa opera pietatis non consecutus est favorem divinum, sed (ut docet v. 3.) propter fidem Deo habitam. Respondet Apostolus ad quaestionem comm. 1. prolatam. Τὸ γὰρ non semper rationem praecedentis propositionis reddit, sed habet etiam alias significationes, e. g. *sane*, *profecto*, ut Io. IX, 30. Ἐδικαιώθη h. l. idem est, quod δίκαιος ἦν, vel, ἐγένετο, ut supra III, 4. Alia est *Semleri* interpretatio, qua interpunctione paullulum mutata, servataque verbi δικαιοῦσθαι significatione apud Paulum solemni, locus sic constituitur: εἰ γὰρ — καύχημα. ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν. *Si enim Abrahamus suo ipsius merito nactus esset favorem divinum, haberet unde gloriaretur. Minime vero hoc: per Deum immortalem!*

3. Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει;) Gen XV, 6. postquam narrata fuit Dei promissio facta Abrahamo de sobole, re ipsi insperata. ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ) *Fidem habuit Abrahamus Deo*, qui innumeram sobolem ei promiserat. In verbo ἐπίστευσε est nervus

probandi. καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην) *Et* (hoc) *fuit ipsi laudi*, vel: *et hoc ei imputatum est pro pietate*, i. e. Deus hoc ita in bonam partem accepit, ut Abrahamum praemiis afficiendum existimaret: haec enim significatio phraseos, λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην. Hebraei veteres semper cogitando coniungebant facta egregia et praemia; hinc צְדָקָה nunc est factum egregium; nunc id, quod praemio est dignum. Nihil Deo magis placet, quam pia in eum fiducia, quae est plurimarum virtutum altrix et mater. Supple: Exinde consequitur, Abrahamum non operibus suis consecutum esse favorem divinum. Accepit hoc praemium non tanquam mercedem sibi debitam, sed tanquam beneficium gratuitum. Magnam vim habuit hoc Abrahami exemplum ad convincendos Iudaeos, et quidem ex ipsius eorum Scriptis sacris. Conveniunt πίστις Abrahami et Christianorum in eo, quod utraque nititur Dei benignitate et in promissis servandis fide. Quomodo autem utraque differat patet ex v. 24. 25.

4. Τῷ δὲ — ὀφείλημα) *Iam vero mercenario merces non tribuitur tanquam beneficium, sed ex debito confertur.* Ὁ ἐργαζόμενος in vita communi est *manu sua quaestum faciens, operarius, mercenarius.* Tales mercenarii quasi erant Iudaei sine fine gloriantes: Nos legem Mosaicam observamus; ergo non possumus a Deo puniri; digni sumus praemiis. Est igitur hoc illustrandi caussa, e media vitae humanae experientia depromtum. Nunc haec illustratio applicatur ad rem praesentem.

5. Τῷ δὲ μὴ — δικαιοσύνην) *Ei contra, qui non*

ob facta mercedem sibi deberi statuit, fiduciam autem reponit in eo, qui impios etiam absolvit, fiducia eius pro pie facto imputatur. Μὴ ἐργαζόμενος. Talis fuerat Abrahamus, qui aliquamdiu astrorum cultor fuerat; proinde non potuerat statuere, sibi ob facta mercedem deberi. Δικαιοῦν, *absolvere.* Τὸν ἀσεβῆ, non intellige eum, qui iam adhuc impius sit, sed qui aliquando fuerit, nunc autem resipiscit. Ei λογίζεται ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην, *ei fiducia sua pro pie facto imputatur;* is praemio afficitur propter hanc fiduciam, ut Abrahamus (v. 3.), probatur Deo ut pius, et nanciscitur id beneficium, quod Deus ei promisit.

6. Καθάπερ — ἔργων) *Quemadmodum Davides etiam eum hominem felicem praedicat, cui Deus peccata remittit sine suo merito.* Ps. XXXII. quem Davidis esse, docet inscriptio. λέγειν τὸν μακαρισμὸν, i. e. μακαρίζειν. Μακαρισμὸς etiam *Aristoteli* et *Ammonio* est gratulatio et praedicatio felicitatis alienae. Δικαιοσύνην λογίζεσθαι τινὶ est nova loquendi formula, quae posita esse videtur pro δικαιοῦν τινα, *absolvere aliquem;* nam in Psalmo de remissione peccatorum sermo est. Χωρὶς ἔργων. Nam in Psalmo describitur homo, qui peccavit, non facit, quae facere debuit.

7. Μακάριοι — αἱ ἁμαρτίαι) *Felices ii* (inquit,), *quorum scelera condonata, quorum peccata deleta sunt,* proprie *tecta,* i. e. omnino remissa, et oblivioni quasi tradita. Indicatur totalis ἀμνηστεία ἁμαρτιῶν, Hebr. VIII, 12. X, 17. Sic apud *Ciceronem* pro *Coelio,* c. 18. *vitia multis virtutibus obtecta* commemorantur.

8. Ὧι — ἁμαρτίαν) λογίζεσθαί τινι ἁμαρτίαν, imputare alicui peccatum, *einem eine Sünde denken*, nimirum ut poenas det aliquando. Qui autem beatum et felicem sese putat, quod Deus ei peccata remiserit, is confitetur, se non posse gloriari suis meritis. Ex his igitur Davidis verbis aperte constat, eum demum hominem vere esse beatum, qui firma fiducia a Deo expectat promissa beneficia, etsi non exacte fecit, quae debuit.

9. Ὁ μακαρισμὸς — δικαιοσύνην) *Haec autem felicitatis praedicatio utrum circumcisis* (tantum), *an vero etiam non circumcisis* (convenit)? *Abrahamum quidem fiduciae suae caussa Deo probatum fuisse diximus.* Ἐπὶ τὴν περιτομὴν) *An circumcisis?* supple *tantum*, quod hic recte ad sensum addidit Latinus; figura, qualis supra III, 30. ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν;) *An vero etiam non circumcisis?* Hebraeum עַל, quod ἐπὶ vertitur, saepe subiectum significat, cui aliquid convenit, ut apparet Gen. XXVII, 12. et alibi. Subauditur verbum γίνεται. Non directe respondit Apostolus ad hanc quaestionem, sed illustrat rem Abrahami exemplo, ex quo luculentissime apparet, hanc descriptionem viri beati etiam non circumcisis convenire. Λέγομεν γὰρ, *imo vero, ut redeam ad ea, quae modo dixi.* Atqui Abrahamus tum, quum hac fiducia praeditus esset, fuit incircumcisus, et lege Iudaica haud initiatus; quod argumento est, δικαίωσιν etiam ad gentiles pertinere, nulloque modo propter observatam legem Iudaicam statui.

10. Πῶς οὖν ἐλογίσθη;) *Quomodo igitur* (quonam

tempore) *ei haec imputatio contigit*? Ἐν — ἀκροβυστίᾳ) *An tum, quum iam circumcisus esset, an tum, quum nondum circumcisus esset*? Egregie caedit Iudaeos, ut dici solet, in suis ipsorum castris. Abrahamus XIV. ut minimum ante annis, dicitur credidisse Deo, priusquam fuit circumcisus. Nam Gen. XV, 6. iam dicitur Abrahamus δικαιωθῆναι διὰ τῆς πίστεως, circumcisionis autem suscipiendae praeceptum capite demum XVII, 23. accepisse legitur.

11. Καὶ σημεῖον — τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ) *Et circumcisionem externam accepit tanquam sigillum, se nondum circumcisum, propter piam fiduciam in gratia apud Deum fuisse. Circumcisio* a Iudaeis saepe vocatur *signum*, e. g. *Ialkut Rubeni* f. 176. *Og fuit circumcisus, et Moses timuit propter signum foederis eius.* Δικαιοσύνη τῆς πίστεως vi contextus est divina in Abrahamum benevolentia, qua propter piam eius fiduciam eum erat complexus. Huius divinae benevolentiae *sigillum* fuit circumcicio. Deus enim promisit Abrahamo stirpem in multas gentes exituram, addidit se daturum posteritati ipsius terram Cananaeam, ac praeterea, se futurum Deum, i. e. εὐεργέτην, tum ipsi, tum posteris eius; et in testimonium datae huius promissionis voluit, notam illam corporibus imponi. Gen. XVII. Itaque circumcisione *confirmatum* est tantum, Abrahamum apud Deum esse in favore, cuius favoris divini autem iam antea fuerat particeps. Εἰς τὸ εἶναι — δικαιοσύνην) *Adeo ut sit exemplar omnium eorum, qui credunt non circumcisi, (ut et his tribuatur* (hoc) *beneficium*). Εἰς τὸ εἶναι, *adeo ut sit*, ut appareat eum esse etc. Πατὴρ h. l.

tropice est *exemplar;* hanc enim metaphoram postulat v. 12. et loquendi usus. Cf. Io. VIII, 39. Abrahamus est exemplar non circumcisorum pariter ac circumcisorum (gentilium et Iudaeorum), duplici respectu: 1) Agere debent sic, ut ille egit: ille ἐπίστευσε, hi etiam debent πιστεύειν. 2) Ut ille accepit, quod credidit se accepturum esse; sic hi etiam accipient, quod credunt se accepturos esse.

12. Καὶ πατέρα — Ἀβραάμ) *Et* (ut esset) *exemplar circumcisorum* (Iudaeorum), *et quidem eorum, qui non tantum sunt circumcisi, sed etiam imitantur patris nostri Abrahami fidem, quam habuit nondum circumcisus.* Repetendum ex superiore loco: εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν, et ad proxime praecedentia referendum. *Iudaei* etiam μὴ πιστεύοντες, sensu vulgari Abrahami soboles dici poterant. Quia vero pro dignis Abrahami filiis haberi non poterant, ideo addit quae statim sequuntur. τοῖς οὐκ — ἡμῶν Ἀβραάμ) *eorum nempe, qui non tantum circumcisi sunt, sed etiam vestigia fidei* (et fiduciae) *premunt, quam Abrahamus nondum circumcisus Deo probaverat.* Τοῖς ἐκ περιτομῆς, pro: τῶν, ut אֵת cum ל apud Hebraeos construi solet, e. g. 2 Sam. VII, 14. Οἱ ἐκ περιτομῆς, *circumcisi.* II, 26. 30. Στοιχεῖν τοῖς ἴχνεσι, ἴχνεσι βαίνειν, εἰς ἴχνος ἰέναι, κατ' ἴχνος ἀκολουθεῖν sunt locutiones metaphoricae, pro *imitari*, etiam apud elegantiores Graecos. Ut pro vero Abrahami filio habearis, non sufficit ut sis circumcisus, sed praecipue exemplum fidei eius imitari debes. Alias huius loci explicationes vid. ap. *Koppium.*

13. Οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ) Supple: ἐγένετο. *Neque vero sub conditione legem aliquam observandi promissio illa facta est Abrahamo.* Alio argumento sententiam confirmat Apostolus. Ostendit nempe ex historia Gen. XII. promissum esse Abrahamo ingens quoddam beneficium non sub conditione legem aliquam, positivam nempe, observandi, sed tantum sub πίστεως conditione. Οὐ διὰ νόμου, *non cum lege aliqua*, i e. non cum ea conditione ut legem quandam observaret. Νόμος sine articulo, indicat certam quandam legem, quaecunque demum sit. Hoc nempe vult Apostolus, nonnisi ex peculiari quodam Dei favore, nulla legis alicuius, vel ritualis vel politicae observandae conditione adiecta, promissam esse Abrahamo et posteris eius terram. Οὐ γὰρ, *neque vero.* Ostenderat Apostolus, *circumcisionem* non profuisse Abrahamo ad consequendam felicitatem; nunc vero ostendit, nec ob legis cuiusdam observationem hanc ei felicitatem contigisse. ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ) Σπέρμα, זרע, *posteritas.* Si non ipsi Abrahamo sub conditione observandi legem data est promissio; (de qua statim plura) ergo nec posteritati eius; nam eadem est promissio. τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου) *Fore, ut terram possideat.* Τὸ est pleonasmus Atticus. Κόσμος formula Iudaica hic nihil aliud esse videtur, quam γῆ, ארץ, Gen. XII, 7. et in specie terra Canaan; nam Palaestina apud Hebraeos κατ' ἐξοχὴν ארץ dicta est. Facile tamen phrasis הארץ הזאת l. cit. et aliis Geneseos locis de orbe terrarum universo intelligi potuit a Iudaeis, praesertim quum Prophetae saepius populo Israelitico imperium in omnem terrarum orbem promiserint, e. c. Ies. LIV, 3. Κλη-

ρονόμος, non est haeres, sed *possessor*, s. *dominus*, et proprie quidem, *qui portionem terrae Cananaeorum sorte accepit;* a νέμω *distribuo*, et κλῆρος, *calculus*, quo Hebraei, ut videtur, usi sunt in sortibus dandis, v. Ios. XI, 23. XIV, 2. Videtur autem h. l. *possessione mundi* intelligi omnis generis felicitas Abrahami posteris promissa. Cf. comm. 16. ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίστεως) *Sed per favorem, in quo propter fidem apud Deum erat.* Mechilta in Exod. XIV, 31. *non haereditate possedit Abrahamus pater noster mundum hunc et futurum, nisi per fidem.* Possis etiam vertere: *Propter probitatem, quam per fidem* (fiduciam erga Deum) *demonstravit.*

14. Εἰ γὰρ οἱ ἐκ νόμου, κληρονόμοι) *Si enim ii* (tantum) *qui legem observant, consequi possent felicitatem* — Abrahami nempe posteris promissam. Οἱ ἐκ νόμου sc. ὑπάρχοντες, s. ὄντες, sicuti οἱ πάλαι, *antiqui;* οἱ πάνυ, *praestantes.* Κληρονόμοι, sc. γένωνται. κεκένωται ἡ πίστις) *Fides*, fiducia, *vi sua careret*, fidei Abrahami et posterorum eius nihil tribui posset. Κενόω, *tollo*, 1 Cor. IX, 15. 2 Cor. IX, 3. καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία) *Et promissum praestaret nullum usum*, inutile esset. Sensus est: Si Abrahamus et posteri eius propter observatam legem accepissent bona promissa, non amplius fidei ex parte hominum, et *gratiae* ex parte Dei suus honor et sua vis constare potuisset, sed merito quodammodo fuisset locus.

15. Ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται) *Quin potius lex* (qualis est mosaica,) *poenam parit*, tantum abest, ut per eam praemia contingant. Hanc τοῦ γὰρ signifi-

cationem contextus requirere videtur. Novam sc. rationem affert Apostolus, cur propter legis observationem felicitas a Deo exspectari haud possit. Leges nempe occasionem dant delictis et poenis. Κατεργάζεται, *parit*, ut Rom. V, 3. 2 Cor. IV, 17. De voce ὀργὴ bene *Theodoretus:* ὀργὴν γὰρ τὴν τιμωρίαν ἐκάλεσεν. γὰρ — παράβασις) *Ubi contra lex nulla urgetur, ibi transgressio non habet locum*, proinde *nec culpa statuitur.* Hanc particulae γὰρ significationem in animo habuerunt, qui pro γὰρ legerunt δὲ. Valuit quidem ante Mosen lex naturae, sed ea caruit multis praeceptis et interdictis, quae in lege Mosis erant, et graviores poenas inferebant. In tota hac disputatione de lege morali aeterna et immutabili vix sermo esse potest. Nam sine huius observatione salus nulla contingere homini potest. Loquitur potius Apostolus de lege quadam arbitraria, certis tantum temporibus accommodata, qualis erat lex Mosis.

16. Διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως) Nempe ἡ ἐπαγγελία ἐγένετο, vel etiam: κληρονόμοι γινόμεθα, *felicitatem consequimur.* Concludit Apostolus, quum nec in circumcisione nec in legibus Mosaicis observandis caussa felicitatis Abrahamo promissae, quaerenda sit, *soli fidei* eam esse tribuendam. ἵνα κατὰ χάριν) Sc. γένηται. *Ut pro beneficio agnoscatur.* Inde nimirum apparet, promissum esse ingens, quippe procedens ex summa Dei benevolentia. Εἰς τὸ εἶναι — Ἀβραάμ) *Ut felicitas promissa contingere possit omnibus Abrahami posteris, non tantum legem* (Mosaicam) *observantibus, sed etiam fidem Abrahami habentibus.* Παντὶ τῷ σπέρματι posteritati proprie et tropice sic dictae.

Altera ratio, cur Deus fidem et piam fiduciam respexerit, ut paria sperare possent ii, quibus a Deo lex non erat data. Ἡ ἐπαγγελία, vel *promissio*, vel *felicitas ipsa promissa.* Τὸ σπέρμα τὸ ἐκ τοῦ νόμου sunt *posteri circumcisi*, quos v. 12. περιτομὴν vocarat i. e. *Iudaei, qui propter circumcisionem posteri Abrahami habebantur.* Τὸ ἐκ πίστεως σπέρμα, i. e. τὸ σπέρμα Αβ. τὸ πίστιν ἔχον. ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν) Caput et pater omnium, qui unquam vere in Deum crediderunt et credunt, ante et post Christi tempora. Ergo beneficia Abrahamo a Deo promissa, non tantum ad Iudaeos, sed etiam ad Ethnicos, qui Christo nomen dant, pari iure pertinent.

17. Καθὼς — ὡς ὄντα) (*Sicut scriptum est: multarum nationum auctorem te constitui;*) *iudice Deo, cui fidem habuit, qui mortuis vitam restituit et efficit ea quae non sunt, ac si iam essent.* Verba καθὼς — τέθεικά σε, legenda sunt in parenthesi. Desumta sunt ex Gen. XVII, 5. Τέθεικά σε, נתתיך, *constitui te.* Locus ille apud Mosen sine dubio habet sensum nonnisi historicum, ideoque proprium; et revera multae gentes ab Abrahamo eiusque familia traxerunt originem. Gen. XXV. Paulus vero cum sensu hoc historico alium coniungit allegoricum: nam in his verbis hoc simul intelligi vult: Abrahamum multis nationibus fore exemplar, ut agant sic, uti ille egit, et accipiant similiter aliquid, uti ille aliquid accepit. Κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ) Haec proxime construenda sunt cum verbis comm. 16. ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν, (qui est caput et pater omnium nostrorum) *coram Deo* (iudicio Dei, vel, ut alii malunt: *vi atque*

potestate divina), *cui pia fiducia addictus fuit.* Constr. κατέναντι Θεοῦ, οὗ ἐπίστευσε, et hoc pro: κατέναντι Θεοῦ ἐκείνου, ᾧ ἐπίστευσε. Ζωοποιεῖν τοὺς νεκροὺς est exemplum omnipotentiae divinae. Alii existimant νέκρους per translationem hic dici *homines decrepitos*, *et per naturam inutiles ad gignendum;* nam Abraham fuit senex et decrepitus, quum ei promissio de copiosa sobole fieret. Sed v. 19 est applicatio eorum, quae hic de omnipotentia divina dicuntur. Καλεῖν τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα, est *efficere ea, quae non sunt, ac si iam essent.* Philo de creat. Princip. p. 728. B. τὰ γὰρ μὴ ὄντα ἐκάλεσεν εἰς τὸ εἶναι, *namque quae non essent, fecit ut essent.* Sensus igitur est: Abrahamus credidit in omnipotentem.

18. Ὃς παρ' —ἐπίστευσεν) *Qui, quum nulla sperandi materia esse videretur, confidenter speravit.* Παρ' ἐλπίδα Vulgatus vertit: *contra spem*, i. e. quum nihil sperandum esse videretur, nempe secundum naturae leges. Ἐπ' ἐλπίδι, *cum spe, confidenter*, לִפְנֵי, ut Ps. XVI, 9. IV, 9. Abrahamus, quamvis senex, nihilominus confidenter speravit, fore, ut quae Deus ipsi pollicitus esset, eveniant. Gen. XV, 5. XVII, 10. 11. Hoc erat *singulare* et *inauditum* in Abrahami fide. εἰς τὸ—ἐθνῶν) Εἰς τὸ γενέσθαι, i. e. καὶ οὕτως ἐγένετο, *ita ut* (praemii loco) *fieret pater multarum gentium.* Vel, quod praefero, iungi possunt haec verba τῷ ἐπίστευσεν: εἰς τὸ (ὥστε) γενήσεσθαι αὐτὸν (vel potius αὐτὸν) *credidit se fore patrem gentium multarum.* οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου) *Talis erit posteritas tua.* Nempe *ut stellarum immensa multitudo*, quod ex loco Gen. XV, 5. hic subauditur.

19. Καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει) *Haud infirmus*, i. e. firmissimus *fiducia.* οὐ κατενόησε — νενεκρωμένον) *Non consideravit corpus suum emortuum*, i. e. *effoetum* et *ad generandum inhabile.* Κατενόησε hic significat actum permanentem, ut aliquoties hebraeum נבט. *Non mansit respiciens*, vel considerans; nam consideravit hoc quidem, ut videmus Gen. XVII, 17. sed hanc cogitationem expulit animo, fretus Deo promittente. ἑκατονταέτης που ὑπάρχον) Abrahamus tunc 99 annos erat natus, ideoque hic additur που, *fere, circiter.* Sic Plutarch. in vitis, *vita Andoc: aetate maior fuit Lysia, ἔτεσι που εἴκοσι, viginti circiter annis.* καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάρρας) *Uterum non ultra conceptui aptum Sarae*, utpote anus nonagenaria.

20. Εἰς δὲ — τῇ ἀπιστίᾳ) *Nempe qua promissionem divinam non haesitavit diffidentia.* Διακρίνεσθαι, *haesitare.* Vulgatus: *non haesitavit diffidentia. Theodoretus: οὐ γὰρ ἀπεῖδεν εἰς τὴν ἀσθένειαν τῆς φύσεως, ἀλλὰ τῷ ταύτης ἀναμφιβόλως ἐπίστευσε ποιητῇ.* ἀλλ' ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει) *Sed firmavit sese fide.* Nam Passivum hic valet, quod hebraeum *Hithpael*, pro quo et ipsi Hebraei saepe ponunt *Kal* aut *Niphal.* Sic Ps. LII, 9. est in Kal. יעז graece in Passivo ἐνεδυναμώθη, utrumque pro *firmavit sese.* δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ) *Dei reverentia ductus.* Sic Ios. VII, 19. Dare gloriam Deo dicitur, qui aut facit, aut ut hic Abrahamus, cogitat, quod Deo honorificum est.

21. Καὶ πληροφορηθεὶς) *Et plane persuasum habens.* Πληροφορεῖσθαι est, *persuasum sibi ha-*

bere. Nam graece πλήρης φορὰ est *plena mensura*, πληροφορεῖν, *plenam mensuram afferre*, ut nihil desit; relate ad animum: *plenam mensuram argumentorum afferre alteri.* Ergo in Passivo πληροφορεῦμαι, est: *affertur mihi plena mensura, copia argumentorum*, i. e. *persuasissimum mihi habeo.* ὅτι ὃ — ποιῆσαι) Nempe Deus, quod nomen praecessit. Promissa pro rebus certis habentur, si nec de voluntate, nec de potentia promittentis dubitatur.

22. Διὸ — δικαιοσύνην) Sc. ἡ πίστις. *Qua propter fiducia eius pro pie facto ei imputata est.* Redit Apostolus ad propositum. Cf. v. 3.

23. Οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐτὸν μόνον) *Non tantum in ipsius laudem.* ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ) Sc. ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην.

24. Ἀλλὰ καὶ δι' ἡμᾶς;) Eo simul consilio scripta est historia δικαιώτεως Abrahami, ut eius exemplo posteri omnes piae fiduciae necessitatem atque dignitatem apud Deum intelligerent. οἷς μέλλει λογίζεσθαι) Supple iterum: ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην. τοῖς πιστεύουσιν — ἐκ νεκρῶν) Argumentum, quo utitur Apostolus ad probandam fiduciae in Deo positae dignitatem, desumtum est a simili. Abrahamus Deo probatus fuit ideo, quod fidem habuit promissis divinis; sic et nos favore divino et beneficiis divinis fruemur, si Dei promissionibus credimus. Si Abrahamus, qui promissioni divinae de numerosa sobole fidem habuit, Deo probatus fuit, nos multo magis Deo erimus grati et accepti, qui certissime expectemus beneficia, quae nobis propter

Christum promisit. Addit Apostolus: τοῖς πιστεύουσιν — ἐκ νεκρῶν, *qui fiduciam collocamus in eum, qui suscitavit Iesum, Dominum nostrum ex mortuis*, i. e. in Deum omnipotentem. Nam suscitatio Iesu ex mortuis fuit insigne potentiae divinae opus. Ex hac igitur resuscitatione Iesu firmiter concludere possumus, Deum id, quod nobis per Christum promisit, praestare posse et velle. Promisit autem nobis mortalibus vitae immortalitatem, eamque in coelis agendam, proinde vere ac perfecte beatam, et etiamsi interea moriamur, ex morte resuscitationem. Huic igitur promissioni divinae, si fidem habeamus, haec fiducia nobis imputatur εἰς δικαιοσύνην, probamur Deo, eiusque favore fruimur.

25. Ὃς παρεδόθη — δικαίωσιν ἡμῶν) *Qui* (morti) *traditus est propter delicta nostra, et in vitam rediit propter nostram felicitatem.* Παρεδόθη, sc. εἰς θάνατον. Deus nempe sapientissimo consilio permisit, ut Iesus in manus hostium traderetur qui eum truculenta morte afficerent. Traditus autem est Iesus morti διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, *insons*, propter nostra delicta, ut nempe ea expiaret, atque nos, resipiscentes a metu futurae miseriae post mortem liberaret. Cf. supra c. III, 25. Sed suscitatus est etiam Iesus, et in coelum evectus διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, ut perpetua et perfecta potiremur felicitate. Nam δικαίωσις nihil aliud esse videtur, nisi δικαιοσύνη τοῦ Θεοῦ, de qua supra cap. III, 21., nisi quod δικαίωσις magis active *condonationem* huius beneficii denotet. Reditus Iesu in vitam omnino hanc habet vim, ut in fiducia illa, de qua v. 24. dictum erat, confirmemur. Fiducia nempe no-

stra est in Deum omnipotentem et veracissimum, fore, ut nobis post mortem aeternam vitam et felicitatem largiatur. In hac fiducia maxime nos confirmare potest, quod istius rei exemplum et experimentum Deus dederit in Iesu, quem *Dominum nostrum* fecit, et per quem nobis immortalitatis et aeternae felicitatis spem fecit certissimam.

CAP. V.

Extollit Paulus magnitudinem beneficii, quod confertur in eos, qui promissiones Dei per Christum firma fide et fiducia amplectuntur, v. 1 — 11. deinde vero pulcherrima collatione Adami et Christi ostendit, hoc beneficium pertinere ad omnes omnino homines, et religionem christianam non tantum Iudaeis sed et omnibus aliis gentibus ex Dei consilio esse debere efficacissimum salutis remedium.

1. Δικαιωθέντες — Χριστοῦ) *Postquam igitur peccatorum veniam adepti sumus per fidem, nihil nobis metuimus a Deo, per dominum nostrum Iesum Christum* (cui sc. hoc debemus). De significatione verbi δικαιοῦσθαι vid. supra c. III, 20. *Pacem habemus cum Deo*, i. e. vacui sumus a metu poenarum divinarum; quocum enim pacem habemus, is non amplius nocet; qui non amplius nocet, ab eo nihil amplius metuimus nobis. Alii legunt ἔχομεν, ut sensus sit: *teneamus*, i. e. *fruamur hac restitua nobis gratia divina.*

2. Δι' οὗ καὶ — χάριν ταύτην) *Per quem etiam*

potestatem accipimus fide fruendi huius beneficii, vel divini favoris, ἐσχήκαμεν pro ἐλάβομεν. Προσαγωγὴ est *potestas accedendi ad aliquem.* Hesychius: προσαγωγή, προσέλευσις. Apud Graecos προσάγειν dicuntur, *qui copiam faciunt accedendi ad principes,* et προσαγωγεῖς sunt, *qui legatos ad reges ducunt.* Potestatem autem fruendi huius beneficii accepimus per Christum et eius religionem, quae nobis etiam innotuit. χάριν, intellige Dei favorem eum, quo credentibus propter Christum veniam dat, illisque et animi tranquillitatem, et vitae aeternae beneficia confert. ἐν ᾗ ἑστήκαμεν) Ἐν ᾗ, refer ad χάριν non ad πίστιν, ut vult Grotius. *Quo Dei favore perfruimur. Stare,* i. e. *permanere* in gratia. καὶ καυχώμεθα—Θεοῦ) *Et gaudemus spe felicitatis illius, quam a Deo accepturi sumus,* secundum promissa Christi. Δόξα, *felicitas cum honore coniuncta.* Καυχάσθαι h. l. est *gaudere.* Sic עלז vertitur et per καυχᾶσθαι, et per καταυχᾶσθαι, ut et עלץ et רנן, quae eiusdem sunt significatus. Potest tamen retineri vulgaris significatio verbi, ut eleganter opponatur ineptis Iudaeorum gloriationibus, c. II, 17. 23. III, 27.

3. Οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καὶ) Formula connectendi Paulo solemnis, comm. 11. c. VIII, 23. IX, 10. 2 Cor. VIII, 19. Indicat illa, adiectum iri aliquid a priori diversum idque vel cum gradatione quadam, vel sine illa. In nostro loco gradatio adest, et vertere potes: *Quinimo, quod maius est, gaudemus etiam de calamitatibus.* Similiter Philo de *vita Mosis* Hebraeos asserit quum affligerentur Aegyptii, non nisi calamitatum alienarum fuisse spectatores, καὶ οὐ μόνον ἀλλὰ καὶ μαθημά-

τῶν τὸ κάλλιστον καὶ ὠφελιμώτατον, ἀναδιδασκομένους εὐσέβειαν, *imo quod maius est, etiam tales, qui doctrina pulcherrima et utilissima pietatis eruditi essent.* Occurrit Paulus tacitae obiectioni. Poterat nempe aliquis dicere, vos gloriamini spe felicitatis a Deo promissae; interim affligimini, vexamini, dedecore et contumeliis afficimini. Respondet Apostolus: istas afflictiones non amplius habent rationem poenae apud eos, qui Deum sibi habent amicum. Ducimus nobis istas calamitates maximo honori, quia eas Dei caussa perferimus; nihil enim de felicitate nostra decerpunt, sed eam potius vel maxime augent. Θλίψεων nomine autem h. l. praecipue intelligenda sunt, quae nobis tanquam Christianis, seu ideo quia Christiani sumus, dura et acerba eveniunt. Potest tamen referri ad alias etiam res adversas, quae nobis sine culpa nostra accidunt. Nunc enumerat Apostolus varias rerum adversarum utilitates. εἰδότες — κατεργάζεται) *Scientes, quod calamitas patientiam malorum parit;* nempe in credentibus. *Patientiam*, intellige eam, per quam Dei caussa mala quaevis libenter toleramus. Alii intelligunt *constantiam in tuenda ea re, propter quam patimur.*

4. Δοκιμήν) *Explorationem*, nempe sui ipsius; nam patiendo discit homo suas vires. Alii intelligunt *probitatem spectatam et constantem*, *Bewaehrung*. 2 Cor. II, 9. Magis magisque confirmamur in professione religionis christianae et verae virtutis studio. ἐλπίδα) Nam qui scit, se durissima pati Dei caussa, eius spes magis magisque accenditur, tum ex Dei bonitate, cui non convenit, talem patientiam non mune-

rare, tum ex promisso Christi, Matth. V, 12. Io. XVI, 20.

5. Ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει) *Spes* (haec) *non pudefacit*, i. e. non fallit. Locutio sumta ex Ps. XXII, 6. Est Metonymia, quia plerumque pudere eos solet, qui vanis pollicitationibus fidem habuere. Intelligenda autem h. l. est *spes*, in Dei promissis fundata. ὅτι ἡ ἀγάπη — καρδίαις ἡμῶν) *Nam Dei erga nos amor abunde effusus est in mentes nostras*, i. e. abundanter testatus est animis nostris. Ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ h. l. non est noster erga Deum amor, sed *amor Dei erga nos*. Cf. v. 8. *Effundendi* vocabulo inest notio *magnitudinis*, *amplitudinis*, Act. II, 17. 18. Additur vero ἐν ταῖς καρδίαις, ut significetur *sensus* favoris divini animis Christianorum instillati. Cum antecedentibus ita cohaerent haec verba: *Ista spes eo laetior est, quo certius nobis de magnitudine divini amoris constat.* διὰ πνεύματος — ἡμῖν) *Per doctrinam christianam, qua imbuti sumus*, et sensus bonos per eam in animis nostris excitatos. Nempe edocti sumus per doctrinam Christi, nos a Deo amari, et res adversas de felicitate nostra vera nihil detrahere. Τὸ πνεῦμα saepe esse doctrinam christianam, ostendit *Noesselt* in disput. sup. loco Pauli Apostoli ad Rom. VIII, 26. 27. (Opusc. Fascic. II. p. 90. spp.) De donis miraculosis h. l. non est sermo, quia Romani iis non videntur tum temporis praediti fuisse, vid. I, 11.

6. Ἔτι γὰρ — ἀπέθανε) *Nam Christus, quum adhuc essemus impii, tempore statuto pro nobis peccatoribus mortuus est.* Docet Paulus, qua ratione

Christianis abunde testatus sit amor divinus per doctrinam christianam, v. 5. Deus nempe summum suum erga nos amorem demonstravit, quum adhuc miseri peccatores essemus, per mortem Christi expiatoriam, v. 6 — 8. sane erga nos *veniam adeptos*, v. 9., *non severi iudicis*, v. 10., sed *Dei benigni personam induet*, v. 11. Constr. ἔτι ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, *quum essemus adhuc impii.* Ἀσθενεῖς, homines *infirmi.* h. l. sunt ἀσεβεῖς, v. 8. ἁμαρτωλοί. Tum, quum Deo contraria ageremus, is tamen nobis hoc beneficium exhibuit; unde magnitudo eius apparet. Κατὰ καιρὸν hic omnino cum ἀπέθανε construendum est, et indicat: *stato tempore.* Sic *Lucianus* var. hist. L. 1. sub. init. Athletas dicit non solum exercitationis curam gerere, ἀλλὰ καὶ τῆς κατὰ καιρὸν γινομένης ἀνέσεως. *verum et suo tempore factae remissionis.*

7. Μόλις — ἀποθανεῖται) *Iam vero pro viro bono vix aliquis moritur.* Magnitudinem caritatis divinae erga nos laudat Apostolus, eamque ratione admodum populari illustrat. Inter homines inauditum est, ut quis moriatur *pro viro bono*, Christus autem mortuus est pro nobis peccatoribus. Μόλις, i. e. βραδέως, ut Thomas explicat; *nicht leicht.* Δικαίου in genere masculino, non neutro. Est autem δίκαιος *vir bonus, virtute praeditus.* ὑπὲρ γὰρ — ἀποθανεῖν) *Pro viro benefico* (qui magnis nos ornavit beneficiis) *forsitan quis animum induxerit oppetere mortem.* Τάχα, *forsitan.* Theodoretus per ἴσως exponit. Τολμᾷ *ausit*, i. e. *animum induxerit*, ut in illo: *sapere aude.* Distinguitur *bonus a benefico viro.* Nam potest aliquis bonus esse, quamvis non sit noster εὐεργέτης. *Cic.* de

offic. VI, 15. *Si vir bonus est is, qui prodest quibus potest, nocet nemini; recte iustum virum, bonum non facile reperies.* Est συγχώρησις in verbis Apostoli. Aliquos, inquit, in gentibus aut Iudaeis invenias, qui pro viro bono se periculis obiiciant, ut Ionathan pro Davide, ut Damon et Pythias, apud Valer. Max. IV, 7.

8. Συνίστησι) *Conspicuum reddit, demonstrat.* Theodoretus: δηλοῖ ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν) Quum non iusti, non boni (v. 7.) sed impii essemus. Exinde patet magnitudo amoris Christi erga nos. Repetit paullum immutatis verbis sensu eodem, quod dixerat, ut egregium et memoriae infigendum.

9 Πολλῷ οὖν μᾶλλον) Hic iam sequitur illatio maioris, i. e. magis credibilis rei. δικαιωθέντες — αὐτοῦ) *Nunc, ab omni culpa liberati per eius mortem. Αἷμα, cruenta mors*, ut supra. σωθησόμεθα — ὀργῆς) *Eripiemur per eandem* (mortem Christi) *ab exitio*, quod impios manet. Theodoretus: ὀργὴν γὰρ καλεῖ τὴν μέλλουσαν κόλασιν. Firmissime persuasi sumus, nihil nobis metuendum esse a Deo, et afflictiones etiam nobis in bonum cedere, v. 3.

10. Εἰ γὰρ — ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ) *Si enim, quum eramus adversarii, amicitia cum Deo nobis est parata per mortem filii eius, multo magis, postquam parta est amicitia, liberi erimus malo, quum ille in praesenti vivat.* Ἐχθροὶ ὄντες, qui erant adversarii, i. e. Deo renitebantur, ei contraria agebant, peccatores. Nam ex usu loquendi S. Scripturae ἐχθροὶ

τοῦ Θεοῦ sunt ii, qui non obediunt Deo. Quum igitur tales essemus, tamen κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ. Καταλάσσειν τινὰ τινὶ est *conciliare alicui amicitiam cum aliquo*, inter ambos efficere amicitiam. Quodsi igitur parata est nobis amicitia *cum Deo*, nos nihil ab eo metuimus; amamur a Deo, et nos redamamus eum. Ille condonat nobis peccata, nosque in aeternum felices reddet; nos vero grati sumus pro tanto beneficio, veneramur eum, colimus sanctitate vitae. Iam argumentatur Apostolus: Si Christus nobis potuit prodesse moriendo, quanto magis proderit vivendo? *Prodesse*, *liberare* nos (σωθησόμεθα) et felices reddere.

11. Οὐ μόνον δὲ) Sc. σωθησόμεθα ἀπὸ τῆς ὀργῆς, v. 9. 10. ἀλλὰ — Θεῷ) *Sed gaudemus etiam de Deo* nobis propitio, atque confidimus, nos insuper bona et aeterna, et maxima consecuturos. Καυχώμενοι, subaudito ἐσμὲν, quoad sensum idem denotat quod καυχώμεθα. Sic Participium Benoni apud Hebraeos usurpatur. ἐν τῷ Θεῷ, *de Deo*, quod nempe Deus ipse sit noster, quod nobis faveat, et curam nostri paternam habeat. Διὰ τοῦ κυρίου — ἐλάβομεν) Idque totum *per Dominum nostrum Iesum Christum* nobis contigit, utpote *per quem Deo reconciliati*, atque in amicitiam cum eo restituti *sumus*, favore eius fruimur.

12. Ostendit iam Paulus v. 12—21. beneficium, de quo hactenus disputaverat, pertinere non ad Iudaeos tantum, sed ad omnes omnino homines, et hanc felicitatem nos debere soli Iesu Christo, lege, circumcisione, omnisque meritis nostris exclusis. Illustrat rem totam *populari quadam ratione*, instituens compara-

tionem Christi cum *Adamo*, qui *quodammodo Solus* auctor peccati et poenarum haberi potest. Quemadmodum nempe peccatum ab *uno* ad omnes transiit; sic quoque redemtio per *unum* omnibus contigit. Cavere nobis debemus, ne nimis extendamus Christi et Adami similitudinem, quae profecto est *quaedam*, sed levissima. Sic etiam Christus comparatur *Melchisedecho* Hebr. VII, 3. 21. *Mosi* IX, 6. iterumque *Adamo* 1 Cor. XV, 45. Διὰ τοῦτο — ἥμαρτον) *Quapropter, sicut per unum hominem peccatum invasit genus humanum: ita etiam per peccatum mors* (miseria) *pervasit omnes homines, eo quod omnes peccarunt.* Putant plerique interpretes in hoc comm. esse protasin, cuius apodosis sit v. 18. *Koppio* haec formula est formula transeundi brevior, ἀνταπόδοτος, quali in vita communi saepe uti solemus Nostrum: *Also, gerade so wie,* ut cogitatione supplenda sint haec: ἐλάβομεν καταλλαγὴν δι' αὐτοῦ, ὥσπερ κ. τ. λ. Sed referri potest ὡς ad καὶ, ut Matth. VI, 10. Potest etiam (quae est *Mori* sententia) in fine commatis applicatio suppleri: *Sic liberatio a malo per unum introducta est.* Ἡ ἁμαρτία non est peccatum orginale, quod in scholis dicitur. Nam sermo est de Adamo, qui primus peccavit, et respicitur ad c. I. et II. ubi Paulus evicerat, Iudaeos et gentiles esse ὑφ' ἁμαρτίαν. Ibi vero sermo est de peccatis actualibus. Peccatum εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, invasit genus humanum, i. e. coepit esse inter homines. Similes formulae sunt: Luxus invasit terram, provinciam aliquam; i. e. coepit esse in illa terra. Hanc ἁμαρτίαν, seu peccandi consuetudinem et licentiam introductam esse dicit, δι' ἑνὸς ἀνθρώπου, per unum hominem, Adamum, qui primus pecca-

vit, et omnium peccantium agmen ducit. Adamus nempe fuit labilis (natura ita comparatus, ut cupiditas facile praeponderare posset), et revera lapsus est. Omnes eius posteri sunt eiusdem naturae, infirmi, laborant imperfectione morali. Mon mirum igitur, omnes variis modis peccasse, et adhuc peccare. Ioan. III, 6. Quomodo autem per Adamum peccatum invaserit genus humanum, an per neglectam educationem, vel mala exempla, hoc non explicatur ab Apostolo. Καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος) Sc. εἰσῆλθε. Variae suut vocabuli ὁ θάνατος significationes in sacris litteris. Significat nempe *mortem naturalem*, *capitale supplicium*, *miseriam omnem e peccato oriundam*, et in hoc et in futuro aevo. Hoc posteriore sensu sumitur saepissime inprimis in Epistolis Paullinis, e. c. Rom. VI, 21—23. VII, 13. Quo sensu autem accipiatur in singulis locis, id diiudicandum est ex rei natura et totius sermonis serie. Iam nostro loco latiori sensu, de quavis *poena* peccati, et de miseria e peccatis oriunda esse sermonem, vix dubitari potest. Nam supra c. I, 32. dixerat, eos qui vitiis dediti essent, ἀξίους τοῦ θανάτου εἶναι, *poena* dignos esse, et infra v. 15. τῷ θανάτῳ opponuntur singula beneficia, Christi merito in genus humanum collata. Utitur autem Paulus voce ὁ θάνατος pro noxa peccati et vitiositatis ob Gen. II, 17. Sensus igitur huius loci est: *Et per* (vel propter) *peccatum omnis generis miseria humanum genus* (τὸν κόσμον) *invasit.* Omnis enim miseriae humanae caussam et originem esse peccata, ipsa quotidiana experientia docet. καὶ οὕτως—ἥμαρτον) *Et sic noxa ad omnes homines pervenit, quia omnes peccatores deprehenduntur.* Nempe tam late poena pa-

tere debet, quam eius caussa, ἡ ἁμαρτία. Iam vero Apostolus supra demonstraverat, omnes, et Paganos et Iudaeos ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, c. III, 9. et πάντες ἥμαρτον, c. III, 23. Unde sequitur, universum humanum genus εἶναι ὑπόδικον τῷ Θεῷ, c. III, 19. Ἐφ' ᾧ, particula caussalis, tantumdem valet ac διότι, *quia*, *eo quod*, *quandoquidem*, ut 2 Cor. V, 4. Phil. IV, 10. Multa loca collegit *Wetstenius* ad h. l. *Thomas Magister*: ἐφ' ᾧ, ἀντὶ τοῦ διότι. *Varinus*: ἐφ' ᾧ ἀντὶ τοῦ διότι λέγουσιν Ἀττικοί. Vulgata habet: *in quo*. Unde mirabiles ortae sunt disputationes, quasi mens Apostoli fuisset: nos omnes in uno Adamo peccavisse, illiusque culpam nostram factam esse. Sed in latinitate minus eleganter *in quo* (neutr. gen.) saepe sumitur pro *eo quod*, *quia*, unde ipsa vulgata versio ἐφ' ᾧ nunc reddit *in quo*, Phil. III, 12. nunc *sicut*, Phil. IV, 10. Multa egregie de hoc loco monuit *Iacobus Vernetus* (in Selectis opusc. Genev. 1784. p. 268. sqq.) caute tamen legendus. Ἥμαρτον, *peccare solent*, ut in aliis plerisque locis huius epistolae. Ceterum bene monuit *Erasmus* ad v. 19. non de *infantibus*, sed de *adultis*, ut in tota epistola, ita et hoc loco Paulum loqui. Cf. supra cap. II, 12. III, 23. Summa totius sequentis disputationis, satis obscurae, est haec: Sicut omnes Adami posteri, non tantum Iudaei, sed etiam gentiles peccant, et miseri fiunt, ita omnes, non tantum Iudaei, sed etiam gentiles per unum Christum consequi possunt remissionem peccatorum, et felicitatem. Haec est doctrina, a qua probe distinguenda est argumentandi ratio, qua Paulus utitur. Disputat nempe cum Iudaeis ex concessis. Nam Iudaei erant in ea opinione, peccatum Adami fuisse caussam omnis huma-

nae correptionis moralis, omnisque miseriae. Vid. *Christoph. Fr. Ammonii* comment. *de vestigiis Theologiae Iudaicae in epistola Pauli ad Romanos* (in novis opusculis theologicis. Goett. 1803. 8. p. 63. sqq.) Recte, ut mihi quidem videtur, statuit *Ammon* (p. 74.), Paulum Pharisaeorum allegorematibus et interpretamentis midraschicis initiatum, in sua ad Romanos epistola multas attulisse doctrinas rabbinicas, quibus dogmata christiana involveret, et sublimiora Messianismi, quum allegorici, tum moralis placita animis Iudaeorum insinuaret.

13. Ἄχρι — κόσμῳ) *Nam* (ab Adamo) *usque ad* (Mosis) *legem peccatum fuit in genere humano.* Haec verba usque ad comma 15. parenthesi includenda videntur. Dixerat nempe Paulus v. 12. *omnes omnino homines fuisse et esse peccatores;* quod etiam Iudaei de Paganis concedebant, quos κατ' ἐξοχὴν ἁμαρτωλοὺς vocare solebant. Hanc propositionem hoc principio niti nunc docet, quod aliqua extiterit et extet lex etiam Gentilibus data, ante Mosaicam, quae Iudaeis unice lex vocabatur. Cf. supra c. II, 14. 15. Ἁμαρτία — νόμου) *Peccatum autem non imputatur nisi ex lege existente*, nisi adsit lex, a qua sit discessum. Ergo, inquit, lex aliqua extabat ante et praeter legem Mosaicam, lex universalis naturae, qua condemnantur quicunque peccant, quoquo modo peccent.

14. Ἀλλ' ἐβασίλευσεν — μέλλοντες) *Atqui regnavit mors* (noxa e peccatis oriunda) *ab Adamo usque ad Mosen, in eos etiam, qui non peccarunt sicuti Adamus, qui typus est futuri.* Supple: Ergo etiam

peccatum regnavit ab Adamo usque ad Mosen. Omnes homines, non tantum ii, qui post legem Mosis datam, sed etiam qui ante eam vixerunt, peccatores fuerunt. Regnavit autem ὁ θάνατος, noxa e vitiositate oriunda (v. 12.). καὶ ἐπὶ — Ἀδάμ) *Etiam in eos, qui non peccarant sicut Adamus.* Ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι, pleonastice, sicut διὰ ταχέων pro ταχέως, ἐς κάλλος, pro καλῶς, sic etiam hic, pro: ὁμοίως τῇ παραβάσει τοῦ Ἀδάμ Quaerunt interpretes, in quanam re quaerenda sit haec Adami posterorumque eius dissimilitudo, utrum in eo, quod Adamus *per se libere* et *aperte*, posteri contra tantum in *ipso* et *tacite;* an vero, quod ille contra *disertam legem*, hi vel plane non *contra leges disertas*, vel saltem contra *alias* deliquerint? Mihi videtur in eo esse dissimilitudo, quod Adamus peccavit contra legem positivam, *expressam*, posteri autem contra *legem naturae.* ὅς ἐστι — μέλλοντος) *Qui typus* (imago) *est futuri* Adami, sc. Christi. Τύπος inter alia significat imaginem, effigiem. Iudaei quorum loquendi morem Paulus hic imitatur, Messiam appellare solebant futurum Adamum. Similitudo inter Adamum et Christum est haec, quod ab illo uno invectum malum se extendit ad omnes omnino homines, non ad Iudaeos tantum, sed etiam ad alias gentes omnes; ab hoc uno autem, Christo, beneficium remissionis peccatorum et felicitatis aeternae se pariter non ad Iudaeos tantum, sed ad gentes omnes ex consilio Dei diffundere debet. Is est cardo, quo tota similitudo vertitur. Ratio autem, cur Paulus loquatur de peccato et noxa *usque ad Mosen regnante*, in promtu est. Sufficiebat nempe pro consilio suo, ostendere contra Iudaeos, quod etiam ante Mosaicam legem ali-

qua lex extiterit τὴν ἁμαρτίαν condemnans. Eodem consilio supra c. IV. itidem contra Iudaeos probaverat, ut quis placeat Deo non requiri observationem legis Mosaicae aut circumcisionem, siquidem Abrahamus Deo placuit dudum ante legem illam datam, etiam antequam circumcideretur.

15. Ἀλλ' οὐχ—χάρισμα) Plerique vertunt: *Neque tamen par est ratio peccati* (Adamitici) *et beneficii divini*, quod propter Christum omnibus hominibus contingit. Diversi sunt effectus peccati, et beneficentiae divinae. In verbis: οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, subintelligunt: τοῦ Ἀδὰμ ἦν. Sed recte monuit Hombergkius in parerg. sacr. p. 219. οὐχ posse interrogative sumi, et verti: *Nonne vero par est ratio peccati et beneficii divini?* i. e. Nonne beneficium divinum aeque erit universale et ad omnes homines pertinens, ut peccatum fuit universale? Sic facilior est sensus et nexus cum v. 12. Vid. *Eckermanni theol. Beyträge*, Tom. I. fascic. 3. pag. 89. f. εἰ γὰρ—ἀπέθανον) *Si enim unius transgressione omnes mortui sunt*, i. e. noxam et poenas sibi consciverunt. Ἀποθνήσκειν sumitur eodem sensu, quo infra c. VII, 20. et in hoc nostro capite ὁ θάνατος. Quod omnes homines unius Adami peccato noxam sibi conscivisse dicuntur, id non intelligendum esse de influxu quodam physico ac necessario, tota orationis series, et res ipsa manifeste docet. Ὁ θάνατος et noxa ab Adamo pervenit ad omnes homines moraliter tantum, et per liberae voluntatis contagium, quatenus Adami instar culpa sua sunt inobedientes, sicuti ille inobediens erat, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, v. 12. Οἱ πολλοί, cum articulo: *multitudo*, *totum*

genus humanum. Est Hebraismus in hac dictione; nam etiam רבים *omnes* denotat, et πολλοὶ redditur in *Theodotionis* versione Dan. XII, 2. πολλῷ μᾶλλον — ἐπερίσσευσε) *Multo magis Dei beneficium per benevolentiam unius hominis, Iesu Christi, in multos* (omnes) *largissime confertur.* Ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ, Hendiad., *divinum beneficium gratiosum, vel beneficium, quod sine hominum meritis confertur.* In illo τοῦ ἑνὸς solo quaerenda est Christi cum Adamo similitudo. Aequum nempe est, Deoque dignum, ut beneficium non minus late, imo latius pateat quam noxa. Si igitur *ex uno homine* transgrediente, ad universam hominum multitudinem, quae Adami instar peccavit, noxa manavit, multo magis ex consilio Dei ad eandem hominum universitatem, seu tam ad gentiles quam ad Iudaeos extendere se debet beneficium quod *per unum Christum* offertur. Ceterum per quinque versus quinquies idem fere repetitur, variatis quidem verbis, at re semper eadem manente.

16. Καὶ οὐχ — τὸ δώρημα) *Et nonne sic se habebit beneficium, ut illa noxa, per unum, qui peccavit, veniens?* Οὐχ cum *Homberghio* et *Eckermanno* iterum interrogative capiendum esse existimo. Porro est ellipsis duplex. Nam et post δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος subauditur nomen θάνατος, ex verbo ἀπέθανον, quod praecesserat, et post τὸ δώρημα subauditur ἔχει. Plena constructio esset: οὐκ ἔχει τὸ δώρημα, ὡς ἔχει ὁ θάνατος δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος ἐλθών. Secunda vice idem dixit Apostolus, quod v. 15. dixerat. Τὸ μὲν γὰρ — δικαίωμα) *Nunc autem sententia iudicis propter unum* (peccatum) *in omnes lata est; ergo etiam be-*

neficium eo pertinet, ut omnes absolvantur. Τὸ κρίμα מִשְׁפָּט, sententia iudicialis: מוֹת תָּמוּת, θανάτῳ ἀποθανεῖσθε, Gen. II, 17. Ἐξ ἑνός, sc. παραπτώματος. Εἰς κατάκριμα, sc. ἐγένετο. Quod nempe Adamus expertus est (noxam peccati), id omnes eius posteri experiuntur, quanquam non omnes eodem modo. Hoc est documentum, illam sententiam in omnes latam esse. Χάρισμα, *beneficium*, quod Christo debemus. Ἐκ πολλῶν — δικαίωμα,) sc. γίνεται, *a multis peccatis absolvit.* Δικαίωμα, absolutio a peccatorum poenis, cuius oppositum est κατάκριμα. Vid. *Eckermann.* l. c. p. 91. sqq.

17. Εἰ γὰρ — διὰ τοῦ ἑνός) *Si enim unius delicto mors grassata est per unum* (hominem). Βασιλεύειν metaphorice significat: *vim suam exercere in aliquem.* Διὰ τοῦ ἑνός, sc. ἀνθρώπου. πολλῷ μᾶλλον — Χριστοῦ) *Nunc ii, qui adepti sunt hoc maximum beneficium et gratuitam absolutionem a poenis peccatorum, per unum Iesum Christum ad multo maiorem felicitatem et honorem evehi possunt.* Περισσεία τῆς χάριτος, i. e. χάρις περισσεύουσα, *eximium, maximum beneficium;* quemadmodum ἡ δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης est δικαιοσύνη δεδωρημένη, immunitas a poenis ex gratia concessa. Βασιλεύειν nunc est felicitate frui, et quidem felicitate cum magno honore coniuncta. Tertia vice idem dicit Apostolus, sic tamen, ut maius aliquid quam ante inferat. Omnes, inquit, ab Adamo orti homines miseri facti sunt; sed per Christum, alterum Adamum, omnes remissionem peccatorum et felicitatem summam consequi *possunt.* Malum ex peccato est magnum, sed multo maius est beneficium

18. Ὡς δι' ἑνὸς — κατάκριμα) Sc. ὁ θάνατος διῆλθεν ex comm. 12. vel κρῖμα ἦλθεν ex comm. 16. *Quemadmodum per unius* (hominis) *delictum accidit, ut omnes homines damnarentur*, sc. ad mortem et poenas. οὕτω καὶ — ζωῆς) Post verba: οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος, supple: τὸ χάρισμα ἐγένετο. *Ita etiam per unius* (Iesu Christi) *innocentiam in omnes homines hoc beneficium conferri potest, ut veniam et vitam aeternam accipiant.* Δικαίωμα opponitur τῷ παραπτώματι, ideoque est *innocentia Christi.* Δικαίωσις vero, opposita τῷ κατακρίματι θανάτου, condemnationi ad poenam, est non tantum absolutio a poenis, sed et cum ea coniuncta felicitas. Quarta vice idem aliis verbis expressum est.

19. Ὥσπερ γὰρ — κατεστάθησαν οἱ πολλοί) *Quemadmodum nempe unius hominis inobedientia peccatores constituti sunt multi* (i. e. omnes). Paulus hic eadem fere quinta vice dicit, sed paullo aliis verbis, ut quum transgressionem Adami iam vocat παρακοήν, *inobedientiam.* Per hanc παρακοὴν *peccatores constituti sunt multi*, i. e. *omnes*, ut supra v. 15. et 18. Omnes nempe post Adamum peccarunt, et rei facti sunt poenae vi legis, quae uni quidem Adamo data erat cum comminatione, sed ad hominum universitatem pertinebat. Cf. Rom. III, 9. οὕτω καὶ — οἱ πολλοί) *Sic etiam per unius obedientiam omnes a poenis liberabuntur et felices reddentur*, si nempe velint, et accipiant oblatum beneficium. *Obedientia Christi*, opposita inobedientiae Adami, qui sensu et facto Deo renisus et praescripto contraria molitus fuerat, refertur ad eius mortem, a qua constanter repetitur nostra

iustificatio. Sed intelligitur praeter mortem animus is, qui, quod certo consilio ab eo postulatum fuerat, ut moreretur, id lubenter ac promte suscepit et subiit. Cf. Phil. II, 8. Δίκαιοι, insontes, immunes a poenis. καταστα θήσονται opponitur τῷ ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν. Nullum ergo, quod hanc rem attinet, est discrimen inter Iudaeos et Gentiles. Per Adami delictum *omnes homines*, non soli Iudaei, addicti sunt morti et poenis; per Christi perfectissimam innocentiam *omnes*, non soli Iudaei, ab his poenis liberari et felices reddi possunt. Quid vero lex? dicere poterat Iudaeus. Si ita se res habet, ut Christus caussa vitae sicut mortis Adamus, quid ergo egit lex Mosis? Respondet Paulus comm. seqq.

20. Νόμος δὲ παρεισῆλθεν) i. e. προσετέθη, ut Gal. III, 19. *Lex vero quaedam insuper accessit*, post Adami peccatum et mortem. Legem Mosaicam intelligi, per se patet. ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα) i. e. ut atrocitas peccati eo magis appareret. Hebraeis saepissime *esse* dicitur quod *apparet*. Sic περισσεύειν est *abundantius apparere*, supra III, 7. Potest vero ἵνα etiam ἐκβατικῶς sumi, ut sensus sit: *eo eventu, ut numerus peccatorum multiplicaretur*. Πλεονάζω, *plus habeo, copiosus sum, multiplicor*. Per legem Mosis auctus est numerus peccatorum. Haec enim lex multa prohibuit in se licita; praecepit multos ritus. Has leges saepe transgressi sunt Iudaei, et poenas sibi consciverunt. Igitur vana erat eorum gloriatio suis operibus confisa. οὗ δὲ — χάρις) *Postquam autem insigniter auctum erat peccatum, multo magis benignitas divina se exseruit*. Οὗ, sc. χρόνου, *quo tempore*,

postquam. Ἐπλεόνασεν et ὑπερεπερίσσευσεν, non de *praesenti*, sed *praeterito* tempore accipienda. Non satis habuit Apostolus dicere ἐπερίσσευσεν, sed praepositionem augentem addidit, ut intelligeretur, nullo modo ἁμαρτίαν et χάριν comparari invicem posse.

21. Ἵνα ὥσπερ — κυρίου ἡμῶν) *Ut, quemadmodum peccatum vim suam exseruit per mortem* (perniciem), *ita etiam gratia vim suam exserat, per veniam peccatorum ad felicitatem* (quae contigit) *per Iesum Christum, Dominum nostrum.* Βασιλεύειν, cf. v. 17. Ἐν θανάτῳ, *per mortem, noxam.* Sicuti omnes homines sunt peccatores, ita etiam omnes noxam peccati senserunt. Cf. v. 17. Ἡ χάρις, *beneficium* per Christum promissum. Hoc aeque universale debet esse ex consilio Dei ac peccatum cum sua noxa. Διὰ δικαιοσύνης, per absolutionem a peccatis, quae est fructus praecipuus huius χάριτος. Huius autem iterum fructus est ζωὴ αἰώνιος, *felicitas aeterna.* Est igitur in hoc commate epilogus simul et compendium totius sermonis, cuius scopus est is, ut Paulus ostendat, sicut ab uno late serpserit malum, ita ab uno late spargi bonum. Non confert utriusque propagationis *modum et rationem*, sed tantum unitatem *auctoris*, et rei *amplitudinem*, licet diversa fuerit propagationis tum caussa, tum ratio. Christus nempe haud paullo aliter nobis prodest, quam obfuit Adamus; fecit enim multa, multaque passus est ex voluntate et consilio nos salvandi, quum Adamus ne cogitaverit quidem de perdendis posteris. Quod enim omnes eius posteri nascuntur infirmi, moralitatis inscii, tali praediti natura, in qua cupiditas facile praeponderet, id

non pendebat ab Adami libera voluntate, sed ab ordinatione divina. Itaque est quidem quaedam similitudo Adami et Christi, sed magna etiam dissimilitudo.

CAP. VI.

Sequitur tractationis dogmaticae altera pars, qua respondetur ad varias obiectiones, quae doctrinae superiori opponi poterant, et fortassis etiam solebant. Et hoc quidem c. VI. prolixe demonstrat Paulus, hac doctrina hominibus non dari occasionem et licentiam peccandi; esse potius illius hanc vim, ut ad mentis et vitae emendationem monstret viam, atque ad eam incitet hominesque permoveat.

1. Τί οὖν — πλεονάσῃ;) *Sed obiiciat aliquis, perseverandum igitur esse in peccato, ut beneficii illius* (c. V. 21.) *magnitudo magis appareat.* Τί οὖν ἐροῦμεν; *quid ergo dicemus?* Haec formula plerumque apud Apostolum obiectionem exprimit. *Obiiciat quis.* Cavet nempe Apostolus, ne quis ex dictis c. V, 20. impiam hanc sententiam eliciat, sine periculi metu indulgere posse hominem christianum peccatis.

2. Μὴ γένοιτο) Adversantis est, ut supra III, 4. 6. 31. *Nullo modo.* Absurdam et impiam esse sententiam istam Apostolus affirmat, et nunc copiosius declarat, quantopere homo christianus per ipsam religionis christianae professionem ad vitam piam et honestam sit obstrictus. οἵτινες — ἐν αὐτῇ;) *Quomodo enim nos, qui peccato miseri facti sumus, eidem amplius dediti simus?* Verba οἵτινες ἀπε-

ἀπέθανομεν τῇ ἁμαρτίᾳ grammatice duplici modo explicari possunt: 1) *Nos qui valediximus peccato.* Nam mortui dicimur respectu alicuius rei vel personae, quacum nihil nobis est negotii. *Plauti* Clitell. III, 1. 16. *Nihil mecum tibi, mortuus tibi sum.* Persa I, 1. 20. *Mihi quidem tu iam mortuus eras, quia te nón visitavi.* 2) *Nos qui propter peccatum mortui sumus.* Hoc sensu de Christo dicitur infra v. 10. τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν. Nec abhorret haec explicatio a loquendi modo apud Graecos et Hebraeos. *Eurip.* Andromach. τέθνηκα τῇ σῇ θυγατρὶ, *quodsi moriar propter filiam tuam.* Haec interpretatio omnino praeferenda esse videtur, quia et usui loquendi huius epistolae, et seriei orationis est convenientissima. Est autem ἀποθνήσκειν h. l. *miserum esse, noxam peccati sentire.* Cf. quae supra c. V, 12. de vocabuli θάνατος significatione monuimus; inprimis vero comma 23. huius cap. et c. VII, 10. Haec peccati miseria in eo est, quod homo intelligentia atque ratione gaudens, cupiditatibus pravis brutorum instar mancipatus est, quae est turpissima servitus (infra v. 12. sqq.); quod iudice Deo culpam sustinet (supra c. I, 29—32. III, 9—19.); quod non potest omni metu vacuus vivere, (c. III, 19. 23.); quod futuram etiam post hanc vitam peccatorum miseriam timere debet (c. VI, 23.). Hanc peccati miseriam, inquit Apostolus, ex parte iam experti sumus. Nemo autem miser esse vult. Ergo non potest fieri, ut amplius peccato nos mancipemus. πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ) *Qui fieri possit, ut eidem adhuc dediti simus*, eoque delectemur? *In re aliqua vivere* est, totum ei esse deditum. Aelian. Var. Hist. III, 13. ὅτι φιλοινότατον ἔθνος τὸ τῶν Ταπύρων, τοσοῦτον, ὥστε ζῆν αὐ-

τοὺς ἐν οἴνῳ, καὶ τὸ πλεῖστον τοῦ βίου ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν ὁμιλίᾳ καταναλίσκειν. *Adeo dedita vino est gens Tapyrorum, ut in vino vivat, et plurimum vitae tempus in id insumat. Philostratus V.* Apollon. ἐν πότοις ἔζη. Πῶς hic non τὸ πάντως ἀδύνατον, sed rei indignitatem ostendit.

3. Ἢ ἀγνοεῖτε — ἐβαπτίσθημεν;) *Aut ignoratis, nos, quotquot in Christum Iesum baptizati sumus, in mortem eius baptizatos esse?* Alio argumento confirmat Apostolus, indignum esse Christianis perseverare in peccatis, dum monet, quemlibet Christianum baptismate suscepto se obstrinxisse ad novam sentiendi et vivendi rationem. Baptizatur in aliquam personam, qui illi obstringitur, et ideo nominatim obstringitur, ut illius personae doctrinam de religione teneat: obstringitur etiam officiis, quae illius personae sectatoribus propria sunt. Cf. 1 Cor. X, 2. I, 13. In illis doctrinis, quibus baptismate obstringimur, est etiam haec: *Christum mortuum esse pro peccatis nostris*, et quod in toto hoc loco notandum, misera morte periisse, supplicio affectum esse. Quare Apostolus dicit: εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ (Χριστοῦ) ἐβαπτίσθημεν, *publice professi sumus, nos credere, Christum mortuum esse*, sc. pro peccatis nostris. Videtur autem simul inesse hoc: baptizati sumus εἰς τὸ ἀποθανεῖν σὺν αὐτῷ, *suscepto baptismate professi sumus, moriendum esse nobis, sicuti ipse mortuus est.* Similitudinem hanc magis *verbis*, quam *re* contineri, facile patet. Christus in cruce est mortuus. Christianus moritur, dum veterem illam malam vivendi rationem abiicit.

4. Συνετάφημεν — θάνατον) i. e. ἐτάφημεν ὥσπερ αὐτὸς. *Sepulti sumus sicut ipse, baptismate, quo quasi mortui sumus, suscepto.* Cf. Col. II, 12. *Immersio* in aqua baptismatis, ex eademque egressus erat symbolum vitae pristinae abrogandae, novaeque contra instituendae. Hinc baptizatos partim *mortuos* atque *sepultos*, partim in vitam novam denuo *resuscitatos* dici solenne erat. Recte monent docti, propter hunc baptismatis sensum mysticum *immersionis* ritum retineri debuisse in ecclesia christiana. ἵνα περιπατήσωμεν) *Unde sequitur, sicut Christus Iesus resurrexit ex mortuis vi et potestate patris, ita nobis nova ratione esse vivendum.* ἵνα h. l. est ἐπβατικὸν. Διὰ τ. δ. τοῦ πατρὸς, *vi et potestate patris*, s. secundum alios *sua ipsius a patre accepta maiestate divina.* Δόξα hebr. כבוד et עז Ies. XII, 2. XLV, 24. Ps. LXVIII, 35. ἐν καινότητι ζωῆς i. e. ἐν ζωῇ καινῇ. In baptismate, vel suscipienda religione christiana, promisimus novam sentiendi et vivendi rationem, simul etiam promisimus, nos similes fore Christo, eiusque exemplum per omnia esse imitaturos. Iam vero Christus post reditum in vitam desiit vivere inter homines pristino more, et in coelum susceptus est. Ergo oportet etiam nos novam inire vitae rationem, coelestem vivere vitam. Ex parte tantum comparari Christianos cum Christo per se apparet. Similitudo enim tantum in eo est, quod Christus post reditum in vitam non amplius vixit ut Iudaeus inter Iudaeos, sed coelestem vitam vivit. Ita etiam, qui eius religionem suscipiunt desinunt esse Iudaei et Ethnici; imitantur Christum in coelis viventem, deposito pristino sentiendi et vivendi more. Cf. v. 6. Christum innocentem vitam in his terris egisse,

et hac parte dissimilem fuisse hominibus, non negat Apostolus, sed ut omnibus notum omittit.

5. Εἰ γὰρ σύμφυτοι — θανάτου αὐτοῦ) *Si enim* (Christo) *similes facti sumus respectu mortis eius.* Dicuntur σύμφυτα de his, *quae uno eodemque loco sata sunt*, quae alias dicuntur ἔμφυτα, *insita.* Iam quoniam ea, quae vel eodem loco consita vel insita sunt, vere possunt dici inter se coniuncta et adunata, fit ut σύμφυτος *unamquamque rei denotet cum aliena coniunctionem*, quo sensu alias ponitur συμφυής, veluti apud *Aelianum* Hist. Anim. V, 21. ubi animal ait, συμφυῆ σκιὰν ἀποδείκνυται τοῦ ἰδίου σώματος, *similem cum corpore umbram facit.* Ioseph. Ant. XV, 11, 4. σύμφυτος σφραγίς *simillimum sigillum. Plato* Timaeo c. 28. αἴσθησιν ἀναγκαῖον εἶη μίαν πᾶσιν ἐκεῖ βιαίων παθημάτων ξύμφυτον γίγνεσθαι, quae Cicero vertit: *necesse erat sensum existere unum communemque omnium, vehementiore motu excitato.* Σύμφυτοι τῷ ὁμοιώματι igitur sunt *coniuncti similitudine*, i. e. *similes.* Similes autem reddimur Christo respectu mortis eius, dum desinimus vivere more pristino, non amplius studemus terrenis rebus, quasi in his esset summa nostra felicitas. ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα) Plena oratio esset: ἀλλὰ καὶ σύμφυτοι τῷ ὁμοιώματι τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα, *profecto etiam respectu resurrectionis similes ei fieri debemus.* Ἐσόμεθα, *esse debemus*, ut τί ποιήσομεν, Luc. III, 14. Ἀλλὰ, *profecto*, *utique*, hebr. אכן. Fit hoc, dum ad honorem et gloriam Dei novam vitam agimus, et magis illis coelestibus, quam terrenis et caducis huius vitae bonis studemus. Cf. Col. III, 1. 2.

Non enim eam, quae proprie dicitur, e mortuis resurrectionem, sed potius ipsam illam καινότητα τῆς ζωῆς v. 4. intelligendam esse, contextus ipse, inprimis vero v. 11. perspicue docet.

6. Τοῦτο γινώσκοντες) *Et hoc cogitemus; infigamus animo.* Sic γινώσκειν et voces similes interdum sumuntur. ὅτι — συνεσταυρώθη Sensus est: *Veteri illi et vitiosae sentiendi rationi vim esse inferendam.* Factum esse dicit, quod fieri debet. Pergit ex cruce, morte, et resurrectione Christi multas sumere similitudines, et eis aptare allegorica loquendi genera, quod ipsum דרש dicitur Hebraeis. Ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος hic et Eph. IV, 22. est mens, *animus vitiosus* (vetus) *qualis olim erat, quum nondum facti essent Christiani* (*der alte Sinn und die alte Denkungsart*). Est nempe ἄνθρωπος pro νοῦς *mens*, quae Paulo dicitur *homo* in homine. Vocatur etiam ὁ ἔσω ἄνθρωπος Eph. III, 16. Plato de rep. IX. τοῦ ἔξω ἀνθρώπου ὁ ἔντος ἄνθρωπος ἔσται ἐγκρατέστατος. Ialkut Rub. f. 10. 3. *Caro est vestis interioris hominis, spiritus est homo interior, cuius vestis corpus est.* Adiungit Paulus prosopopoeiam, qua delectatur plurimum. Tribuit enim rei inanimatae, i. e. accidenti id, quod est animatorum. Veterem illam sentiendi consuetudinem dicit, ad similitudinem Christi cruci esse affigendam; sicut sruci affixus non sine gravi dolore moritur, ita illa vitiosa natura non sine dolore vi sua privatur. ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας) *Ut ipsum peccatum* (cupiditas male agendi) *vim suam amittat*, et quasi occidatur. Τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας non *corpus* est, sed σάρξ, sive vitium animi a peccato

profectum. Similis huic phrasis Col. I, 22. *ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. Oecumenius: τὸ σῶμα ἁμαρτίας, παραφραστικῶς αὕτη ἡ ἁμαρτία. Καταργεῖν, occidere, vim et efficaciam alicuius rei tollere, abolere. τοῦ μηκέτι — ἁμαρτίᾳ)* Τοῦ pro *ἕνεκα τοῦ*, ut saepe alibi. *Ne posthac peccato, s. vitiosae consuetudini serviamus*, ut ante servivimus. Nam domino mortuo non amplius debemus obsequium, in qua prosopopoeia Apostolus pergit v. 12. seqq.

7. *Ὁ γὰρ — ἁμαρτίας) Qui enim mortuus est, liber est a peccato*, sive amplius non peccat. Quum igitur Christiani cum Christo quasi mortui sint, non amplius peccato serviunt. Praeferenda tamen videtur *Koppii* sententia, ita explicantis locum: *Mortuum enim esse, et non amplius indulgere peccatis, sunt unum idemque.* Addita nempe haec esse videntur, ut formulam *ἀποθανεῖν improprie* accipiendam esse, appareat. *Ὁ ἀποθανὼν* sc. *τῇ ἁμαρτίᾳ*, quod ex verbis sequentibus: *ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας* est repetendum. *Δικαιοῦσθαι ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας*, i. e. *δίκαιον* s. *ἐλεύθερον εἶναι ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, μηκέτι ἁμαρτάνειν.* Cf. Act. XIII, 38. 39.

8. *Εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριστῷ) Quum igitur mortui simus sicut Christus. Εἰ, quum. Δὲ, igitur*, ut hic Syrus habet. Vide dicta ad v. 5. *πιστεύομεν — αὐτῷ) Credimus, vivendum etiam esse nobis ita u ipse vivit*, nempe sancte et in aeternum, vita coelest et felicissima. Verbum *συζήσομεν vitam sanctam et aeternam* simul complectitur.

9. *Εἰδότες — κυριεύει) Christus enim, ut scitis,*

post reditum in vitam non amplius moritur; mors in eum non amplius habet vim aut potestatem. Sic nec nos decet redire ad morem pristinum, vel iterare peccata, quibus nobis mortem, miseriam conscivimus. Debemus perpetuo vivere nova illa ratione, cui nos baptismate obstrinximus.

10. Ὃ γὰρ ἀπέθανε) *Quantum enim attinet, quod mortuus est Christus.* Ὃ pro καθ' ὅ. Κατὰ autem saepe est: *quantum attinet, quod attinet ad;* ut Act. XXV, 14. Rom. IX, 5. τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ) *Propter peccatum mortuus est semel*, et quidem misera morte. Τῇ ἁμαρτίᾳ, i. e. ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας, *ad expianda peccata.* Res ipsa docet, aliter *homines* ἀποθνήσκειν τῇ ἁμαρτίᾳ, aliter *Christum.* Amat Paulus Parellelismum, in quo interpretando multa cautione opus est. ὃ δὲ — Θεῷ) *Quantum vero ad eius vitam attinet, vivit eam Deo*, i. e. sic, ut omnia ad honorem Dei referat, qui maiestate atque dignitate sempiterna eum exornavit. Etiam nunc in statu suo excelsiori se accommodat voluntati Dei. Curat nempe, ut doctrina propagetur, largitur hominibus salutem etc. Cf. Phil. II, 11. Sic et nos, postquam meliores esse coepimus, indesinenter pie vivere debemus, omnemque vitam nostram componere ad voluntatem divinam. Dionys. Halic. III, 17. ἀλλ' εὐσεβὲς μέν, ἔφη, πρᾶγμα ποιεῖτε, ὦ παῖδες, τῷ πατρὶ ζῶντες, καὶ οὐδὲν ἄνευ τῆς ἐμῆς γνώμης διαπραττόμενοι. *Quintil.* Declam. 322: Cognosce animum meum. *Sicut voluisti, tibi vixi, tibi moriturus fui,* nulli alii in hoc pectore locus fuit.

11. Οὕτω καὶ — κυρίῳ ἡμῶν) *Sic et vos statuite,*

vos mortuos esse propter peccatum, et vitam componere debere ad voluntatem Dei ad exemplum Christi Iesu Domini nostri. Λογίζεσθε, *reputate, ducite*, statuite. Est in hoc commate applicatio eorum, quae modo v. 10. dicta erant. Ibi erat: Christus τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ. Ad hoc refertur: statuite ἑαυτοὺς νεκροὺς εἶναι τῇ ἁμαρτίᾳ, vos miseros factos esse peccato (v. 2.), adeoque vobis ab eo abstinendum, ne porro miseri sitis. Porro comm. 10. erat: Christus ζῇ τῷ Θεῷ. Ad hoc com. 11. refertur: ζῶντας τῷ Θεῷ, putate vos debere vitam vestram componere ad voluntatem et honorem Dei; et quidem ἐν Χριστῷ κ. τ. λ. Ἐν, *ad exemplum.* Est simul in hoc versu conclusio et compendium eorum, quae supra v. 4. 5. pluribus verbis dicta erant.

12. Μὴ οὖν — σώματι) *Ne igitur propensio ad malum imperium suum exerceat in membra mortalis vestri corporis.* Sequitur admonitio, superstructa doctrinae v. 3—11. propositae. Ἡ ἁμαρτία, propensio ad malum, quae est in homine, per prosopopoeiam comparatur tyranno, qui corporis membra pro arbitrio suo ad peccata trahit atque impellit. Ἐν τῷ σώματι ὑμῶν, i. e. *in vobis* s. in persona vestra; comm. 13. ἑαυτούς, ut nonnullis placet. Aptius tamen videtur intelligere *membra corporis*, ut sensus sit: Nolite membris corporis vestri abuti, ad praestandum obsequium peccato, vel pravis cupiditatibus. εἰς τὸ—αὐτοῦ) Verba: αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ, valde sunt suspecta, et varie in antiquis libris leguntur. Et verba εἰς τὸ ὑπακούειν omnino plenum sensum efficiunt, coniuncta cum antecedentibus. Absurdum et iniquum est,

inquit Apostolus, membra corporis iniustae et interitum illaturae peccatorum tyrannidi subiicere, quin potius menti immortali corpus mortale, non vicissim corpori mortali mens immortalis subiiciatur oportet. 2 Petr. II, 11. Brevis est haec vita, quam, prout se quis hic gesserit, sequitur vel aeterna miseria, vel aeterna felicitas. 2 Cor. VI, 10.

13. Μηδὲ — ἁμαρτίᾳ) *Nec sistite membra vestra propensioni ad peccatum, ut sint instrumenta scelerum.* Pergit in coepta prosopopoeia. Prava peccandi cupiditas non amplius est vester dominus, cui obsequium debeatis; ergo nec membra corporis vestri praesto sint pravis cupiditatibus. Τὰ μέλη ὑμῶν idem denotant, quod τὸ σῶμα ὑμῶν v. 12. et intelliguntur vires quaelibet hominis, sive corporis s. animi. Τὰ ὅπλα, hebr. כלים sunt *instrumenta*, quorum ministerio aliquid fit, comm. 19. δοῦλα. Sic quoque *arma* apud scriptores latinos, e. g. de *instrumentis* rusticorum apud *Virgilium.* Georg. I, 160. Ἀδικία, ut supra I, 18. *scelus omne* denotat. ἀλλὰ παραστήσατε ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ) *Tradite vos Deo* quem nunc pro vestro Domino agnoscitis. Omnia animi desideria, totamque vitam vestram componite ad nutum voluntatemque Dei. ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας cf. (v. 4.), i. e. ὡς πρὶν μὲν νεκρούς, νῦν δε ζῶντας, tanquam homines prorsus immutati. ὅπλα δικαιοσύνης) *Instrumenta probitatis.* Δικαιοσύνη ad omnes honestas actiones extenditur, et aeque late patet, atque contraria, quam modo habuimus ἀδικία.

14. Ἁμαρτία — κυριεύσει) *Propensionis ad pecca-*

tum vis non redigat vos in potestatem. Verbis sequentibus οὐ γὰρ — χάριν, ex *Koppii* sententia repetitur illa ipsa dubitatio de libertate Christianorum a legum Mosaicarum terroribus, iam supra initio capitis proposita, ut γὰρ sit particula transeundi: *utique, sane quidem, freylich*, et νόμος sit *lex Mosaica*, ita tamen, ut inprimis respiciatur ad *minas* legum, quibus Iudaei terrebantur. Itaque ὑπὸ νόμον εἶναι idem Koppius interpretatur: *poenis lege propositis esse obnoxium, s. metu poenarum, quas istae minantur, teneri.* Sed ὑπὸ νόμον εἶναι, hic, ut Gal. IV, 4. 5. 21. est: *lege Mosaica teneri*, ei adstrictum esse. Et quum, ut *Morus* recte observat, χάρις et νόμος sibi opponantur, χάρις ut Io. I, 17. erit *oeconomia gratiae*, Evangelium. Non amplius, inquit Apostolus, obstricti estis, obsequium debetis legi Mosaicae, quae iubet, minatur poenas, sed obstricti estis Evangelio, i. e. ei doctrinae, quae promissis et beneficiis animos ad obsequium impellit. Eo libentius Deo obsequi debetis, quia nos iam non per minas et poenas, sed per promissiones allicit, et sibi devincit.

15. Τί οὖν — μὴ γένοιτο) *Quid igitur? Licetne nobis peccare, quia non subditi sumus legi, sed oeconomiae gratiae? Nullo modo.* Nam officii necessitas et obligatio manet, etsi argumenta variant. Argumenta repeti possunt a iussis, minis, poenis; possunt etiam repeti a promissionibus et beneficiis. Posterioris generis argumenta maximam vim habent ad flectendos hominum animos.

16. Οὐκ οἴδατε — ὑπακούετε) *An nescitis, vos eius,*

cui sponte vestra subesse volueritis, servos esse, cui obedire debetis? Εἰς ὑπακοήν, eo consilio, ut ei obediatis. Ἢτοι — δικαιοσύνην) *Aut igitur peccato addicti estis ad perniciem, aut obedientiae* (erga Christi praecepta) *ad felicitatem.* Οὐκ οἴδατε; conceditis ipsi. ᾧ ὑπακούετε, redundat. ἤτοι ἁμαρτίας sc. δούλους. Εἰς θάνατον, *ad miseriam vestram*, ut infra v. 21. Tum oppositionis lege εἰς δικαιοσύνην vertendum est: *ad vestram felicitatem.* Suspecta tamen sunt verba εἰς θάνατον, quae si deleantur, ὑπακοὴ εἰς δικαιοσύνην erit pro ὑπακοὴ τῆς δικαιοσύνης, *obsequium erga virtutem*, et δοῦλος ὑπακ. εἰς δικ. pro ὑπακούων τῇ δικαιοσύνῃ. Docet Apostolus miserrima servitute teneri eum, qui peccatis indulgeat, eum contra, qui Deo obsequatur, felicissima frui conditione. Est igitur servitus haec, et peccandi consuetudo pars eius miseriae (θανάτου), de qua ad comma 2. huius cap. diximus.

17. Χάρις δὲ — διδαχῆς) *Gratia autem sit Deo, quod, quum fueritis servi peccati* (cupiditatibus pravis obsecuti fueritis), *nunc sitis morigeri doctrinae evangelicae, quemadmodum illa vobis tradita est.* In verbis ὅτι ἦτε δοῦλοι est Hebraismus praeteriti cum copulativa coniunctione, vice participii, πρὶν μὲν ὄντες δοῦλοι. Non enim Deo gratias agit, quod servierint peccato, sed quod, qui servierunt peccato, postea obedierunt evangelio. Ἐκ καρδίας, i. e. non exterius tantum, sed intra animi recessus, sincera fide. ὑπηκούσατε εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, pro: ὑπηκούσατε τῇ διδαχῇ, κατὰ τὸν παραδεδομένον τύπον, vel etiam: ὑπηκούσατε εἰς τύπον διδαχῆς ὃς παρεδόθη ὑμῖν. Nam verbum ὑπακούειν etiam cum εἰς

iungi solet. Appianus bell. civil. L. IV. ἐκέλευσεν εἰς πάντα ὑπακούειν, *iussit, ut imperata omnia facerent.* Paulo post: ἐβόουν ὑπακούειν εἰς ὅ, τι βούλοιτο. Τύπος διδαχῆς est *forma, typus s. imago doctrinae*, 2 Tim. I, 13. *Forma* quaedam tribuitur coelesti doctrinae, quoniam veritatum eiusdem inter se connexarum *imago* quaedam atque *effigies* animis discentium *imprimitur.* Similiter Plutarchus de liberor. educatione: *Sicut*, inquit, *sigilla mollibus imprimuntur ceris*, οὕτως αἱ μαθήσεις ταῖς τῶν ἔτι παιδίων ψυχαῖς ἐναποτυποῦνται.

18. Ἐλευθερωθέντες — δικαιοσύνῃ) *Postquam enim erepti estis dominio peccati, venistis in dominium virtutis.* Non facti estis plane liberi, plane vestri arbitrii, sed venistis sub alium dominum; virtutis praeceptis obsequi debetis.

19. Ἀνθρώπινον — λέγω) *Magis adhuc populariter et ad vestram imbecillitatem accommodate dicam.* Nam haec forma apud scriptores graecos significat *humano more loqui*, *populariter*, ut facile ab omnibus possis intelligi, et opponitur magniloquentiae poëtarum, inprimis tragicorum; deinde subtilitati et obscuritati philosophorum. *Strato* ap. *Athenaeum* IX. ἱκετεύω γ' αὐτὸν ἤδη μεταβαλεῖν, ἀνθρωπίνως λαλεῖν τε. *Petronius* 90. Minus quam duabus horis mecum moraris, et *saepius poëtice quam humane locutus es.* Chrysostomus recte explicat: ἀπὸ ἀνθρωπίνων λογισμῶν, ἀπὸ τῶν ἐν συνηθείᾳ γινομένων. τὸ γὰρ σύμμετρον τῇ προσηγορίᾳ τοῦ ἀνθρωπίνου δηλοῖ, *dicam de iis rebus humana concludendi ratione; exemplis*

desumtis ab iis rebus, quae in consuetudine positae sunt; etenim id quod humanis moribus convenit hac locutione indicat. διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν) *Propter imbecillitatem naturae vestrae*, i. e. ingenii vestri. *Infirmitas* haud raro usurpatur *de intellectus tarditate*, Rom. XIV, 1. 2. XV, 1. 1 Cor. VIII, 9. 10. Σάρξ Paulo persaepe est quicquid in homine vitaque humana est pravum et vitiosum, superstes adhuc in hominibus Christianis infirmitas quaevis, ad errandum proclivitas, vitiositas denique omnis, et quicquid τῷ πνεύματι est contrarium. ὥσπερ — τῇ ἀνομίᾳ) *Quemadmodum* (quum peccatores essetis) *membra vestra tradidistis impurae et flagitiosae vitae mancipia.* Ἀκαθαρσία complectitur *impurae et nefandae veneris scelera*, supra c. I, 25. sqq. descripta. Potest tamen etiam esse Synonymum ἀνομίας, *improbitas quaevis.* Post τῇ ἀνομίᾳ ponendum est comma. εἰς τὴν ἀνομίαν) Ita, ut quotidie peiores fieretis. Is enim mos est consuetudinis. Alii τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν coniungunt, ut sit familiaris loquendi modus pro πάσῃ τῇ ἀνομίᾳ. Τὰ μέλη ὑμῶν, pro ἑαυτούς, *vos ipsos cum omnibus viribus vestris.* εἰς ἁγιασμόν) i. e. ita ut quotidie progressum faciatis in sanctitate. Par enim vis consuetudinis in utramque partem; imo ad bonum fortior. Alii iterum τῇ δικ. εἰς ἁγιασμ. positum esse putant pro πάσῃ τῇ δικ. καὶ ἁγιασμῷ. Δικαιοσύνη et ἁγιασμὸς sunt synonyma.

20. Ὅτε — δικαιοσύνῃ) *Olim, quum peccati mancipia essetis, verae pietati omnino non suberatis;* vivebatis ita, quasi a sanctitatis lege essetis immunes. *Theodoretus*: τὰ γὰρ ἐκείνης (τῆς ἁμαρτίας) μόνης ἐπλη-

ροῦτε προστάγματα, τοὺς δὲ τῆς δικαιοσύνης οὐκ ἐδέχεσθε νόμους.

21. Τίνα — ἐπαισχύνεσθε;) *Quale vero emolumentum vobis peperit vita ista, cuius vos iam pudet?* Ἐφ' οἷς, i. e. τῶν ἔργων ἐκείνων ἐφ'-οἷς. Tunc nullus fructus ad vos rediit. Vos ipsi nunc boni facti sine pudore scelerum vestrorum meminisse non potestis. Si hoc efficit recordatio, quid res ipsa? Alii post τότε signum interrogandi ponunt, et vertunt: *Quid commodi, utilitatis inde ad vos? Eiusmodi cuius nunc vos pudet.* Alii: *Quosnam tum fructus ferebatis? Qualis erat vita vestra? Talis, ut nunc vos eius pudeat.* τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων, θάνατος) *Nam merces eorum est mors*, poena. Τέλος usurpatur de eo, quod quis aliqua re tractanda consequitur, sive bonum sit, sive malum, adeoque quum *praemium* tum *poenam* indicat. Sic τὸ καλὸν τέλος τῆς ἡδονῆς Alciphr. Ep. I, 34. Ἔρωτος καλὰ τέλη dicuntur apud Lucian. de Saltatione. Ioseph. Ant. VI, 1. 2. ἐπὶ τοιούτῳ μισθῷ καὶ τέλει, *quum tanta merces et poena proposita esset.* Θάνατος h. l. est *omnis generis miseria*, quam veteres omnes mortis imagine, naturae humanae maxime terribili adumbrare solebant. Cf. supra c. V, 12. et ibi notata.

22. Νυνὶ δὲ) Hoc opponitur illi ὅτε γὰρ, v. 20. quasi dicat, multum mutatae sunt res. Cf. v. 19. δουλωθέντες δὲ τῷ Θεῷ) *Mancipati Deo.* Supra dixit τῇ δικαιοσύνῃ, comm. 18. Nimirum qui bonitati, rebusque honestis servit, is et Deo servit, quia Deus hoc semper amavit et in Evangelio apertissime praecepit.

ἔχετε — ἁγιασμὸν) *Hunc habetis fructum, quod evaditis sanctiores;* vel, ut alii malunt, pro: ἔχετε καρπὸν ἁγιασμοῦ *fruimini commodis quae virtus offert.* τὸ δὲ τέλος, ζωὴν αἰώνιον) *Mercedem* (praemium) *vero tandem consequimini aeternam felicitatem.* Τέλος h. l. *praemium.* Cf. v. 21.

23. Τὰ γὰρ — κυρίῳ ἡμῶν) *Nam merces peccati est miseria; sed gratuitum Dei beneficium est felicitas aeterna,* (quae tribuitur) *per Christum Iesum Dominum nostrum.* Θάνατον hoc etiam loco esse miseriam et noxam e peccato oriundam, ex eo patet, quod ei opponitur ζωὴ αἰώνιος, *felicitas aeterna.* Mortem naturalem non intelligi, ex eo etiam apparet, quod etiam pii et probi Christiani moriuntur, qui tamen (v. 22.) sunt *liberati a peccato,* ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. τὰ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας) *Stipendia,* s. *merces peccati,* stipendia, quae peccatum tanquam rex et imperator militibus suis praebet. *Hesychius:* ὀψώνιον, δαπάνη, κέρδος. *Theodoretus:* τὸν μισθὸν ὀψώνιον κέκληκεν. ὀνομάζειν γὰρ οὕτω Φίλον αὐτῷ τὸ στρατιωτικὸν σιτηρέσιον. χάρισμα) *Donativum,* quod hodie militibus *gratificatio* vocatur. Praeter stipendium militibus bene meritis dabantur coronae, laureae, honores. *Sueton.* Ner. c. 12. *Populo congiarium, militi donativum proposuit.* Ζωὴ — ἡμῶν) *aeterna felicitas parta per Christum Iesum, dominum nostrum,* s. *apud Christum in eius regno olim obtinenda.* Ἐν, pro παρὰ.

CAP. VII.

1. Ἢ ἀγνοεῖτε — χρόνον ζῇ) *Aut ignoratis, fratres (alloquor enim eos, qui legis Mosaicae cognitionem habent), legem imperare homini quamdiu is vivit?* Pergit Apostolus illustrare id, quod cap. praecedente VI, 14. dixerat, et summatim docet, Christianos a lege Mosaica esse liberos, quam sententiam declarat simili, a coniugibus sumto. Γινώσκουσι γὰρ νόμον λαλῶ) *Alloquor enim eos, qui legis cognitionem habent.* Νόμος, lex Mosaica. Potest tamen etiam lex quaelibet intelligi (prout ἀνθρώπου voce quilibet homo intelligitur); etsi Iudaei, quos inprimis alloquitur Paulus, de omnium legum natura e legibus suis Mosaicis tulerunt iudicium. ὅτι — ἀνθρώπου) *Quod lex imperat homini*, ius potestatemque in eum habet, ut dominus in servos. Legem προσωποποιεῖν frequens Hebraeis. Τοῦ ἀνθρώπου refer ad κυριεύει, non ad νόμος, quasi hyperbaton sit pro νόμος ἀνθρώπου, *lex mariti.* ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ) *Quamdiu vivit*, sc. homo, cui opponit ἐθανατώθητε com. 4. et ἀποθανόντες com. 6. Confirmat hoc usus loquendi Iudaicus. Schabbath, fol. 30, 1. *Quando mortuus est homo, a lege et bonis operibus fit liber.* Alii ζῇ ad νόμον referunt: *Quamdiu vivit lex*, propter exemplum v. 2. 3. propositum, ubi lex, tanquam dominus cum marito comparari videtur. Sed comparationes non nimis sunt extendendae. Hoc dicere vult Apostolus: Sicuti uxor, mortuo marito, recte nubere potest alii: ita et nos Christiani, qui respectu legis Mosaicae tanquam mortui considerandi sumus,

ad alium dominum, nempe ad Christum pertinemus. In comparatione non poterat dicere Apostolus: *Mulier mortua potest alii viro nubere*; quare *maritum* mortuum substituit.

2. Ἡ γὰρ — νόμῳ) Exempli gratia, *mulier maritata viventi marito* (non autem mortuo,) *adstricta est lege.* Exemplum sumit in lege coniungii. ὕπανδρος γυνὴ, mulier quae in matrimonio vivit. Glossae veteres: ὕπανδρος, *maritata.* Quamvis arctior nulla sit copulatio, quam coniugum, eaque lege praecepta, nihilo tamen secius cessat, si alteruter coniux moriatur. κατήργηται — ἀνδρὸς) *Libera est a lege* s. *potestate viri.* Καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ νόμου est *lege liberari*, ut sequentia ostendunt, quia qui a domino aliquo liberatur, ei mortuus est quodammodo. Respondet ἀργεῖν et καταργεῖσθαι Hebraeo בטל, quod est *desinere.*

3. Ἄρα — ἑτέρῳ) *Itaque vivente marito adultera appellabitur, si nupserit alii marito.* Χρηματίσει, *appellabitur, audiet.* Diodor. Sic. I, 44. Πτωλεμαῖος ὁ νέος Διόνυσος χρηματίζων. ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ) *Si alii nupserit.* Hebraismus. Levit. XXII, 12. Ἐὰν δὲ — ἑτέρῳ) *Si vero mortuus sit maritus, libera est mulier ab illa lege, ut adeo non sit adultera, si nupserit alii marito.* In tota hac similitudine hoc solum attendendum est, vinculum, quod coniuges copulat, solvi, si alteruter coniugum, sive maritus, sive uxor moriatur. Iam v. 4. sequitur accommodatio.

4. Ὥστε — τοῦ Χριστοῦ *Ad eundem modum, fra-*

tres mei, vos etiam mortui estis legi per Christum. Ὥστε, pro οὕτως; nam sequens καὶ est ἐπιδοτικὸν: *et sic vos quoque* etc. Ἐθανατώθητε, *interfecti estis*, i. e. mortui, τῷ νόμῳ, legi Mosaicae, soluti estis obligatione eius. Est similitudo. Quemadmodum uxor, defuncto marito, libera est, ad eundem modum vos nunc liberi estis a lege. Antequam vos Iudaeo-christiani susciperetis doctrinam Christi, vinculo obstricti eratis legi Mosaicae. Nunc autem quum per baptisma mortui estis (c. VI, 3. 4.), dissolutum est vinculum inter vos et legem Mosaicam; liberi estis a lege ista *per corpus Christi*, cruci affixum scilicet; nam *corpus* h. l. debet spectari quatenus interfectum est. Ergo erit: *per mortem Christi.* Christus enim morte sua vim legis, quae peccatoribus mortem minabatur, sustulit, ita, ut in Christum vere credentes a legis iuribus omnino liberi sint. εἰς — ἑτέρῳ) *Ita ut nunc sitis alius imperio subiecti*, non amplius veteri illi et abrogatae legi, sed Christo, ut statim additur. Ecclesia sponsae comparatur. 2 Cor. XI, 2. Eph. V, 29. τῇ ἐκ νεκρῶν — τῷ Θεῷ) *Qui ideo e mortuis resuscitatus est, ut nos Christiani novam, Deoque dignam agamus vitam.* Verba ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ iungenda sunt proxime praecedentibus, τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι. Si enim ad εἰς τὸ γεν. ὑμ. pertinerent, scribendum fuisset: καρποφορήσητε, non καρποφορήσωμεν. Persequitur similitudinem; nam et partus in matrimonio fructus dicuntur. Disciplinae Christi fructus sunt egregia facinora.

5. Ὅτε — σαρκί) *Quum enim imbecillitati naturae nostrae relicti essemus*, nempe sub sola lege,

sine Christo. *Theodoretus: ἐν τῇ σαρκὶ, τουτέστι τῇ κατὰ νόμον πολιτείᾳ, in conditione illa, quae sub lege erat.* Σάρξ enim opposita τῷ πνεύματι, saepe *infirmum* aliquid et miserum denotat; saepe etiam ipsam legem. Incipit iam Apostolus ostendere, legem Mosaicam non potuisse praestare id, quod nunc nobis praestat lex nova, doctrina Christi; legem illam haud fuisse praeditam vi illa, quae opus nobis est ad compescendas malas cupiditates, et ad sancte vivendum. Bene haec sunt notanda, ob ea quae sequuntur v. 7. sqq. *τὰ παθήματα — μέλεσιν ἡμῶν Commotiones animi pravae, per legem excitatae et auctae opus suum ediderunt per membra nostra. τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν) Cupiditates ad peccatum ducentes*, Gal. V, 24., appetitus pravi vehementiores. *τὰ διὰ τοῦ νόμου)* Sc. *φαινόμενα*, aut *γνωριζόμενα*, ut Chrysostomus explicat, *πλεονάζοντα, per legem patefactae et auctae.* Posses etiam supplere *ἀφορμὴν λαβόντα*, v. 8. 11. ut intelligendae sint *malae cupiditates legis occasione enatae. ἐνεργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν) Opus suum ediderunt per membra nostra*, et impulerunt nos ad mala facinora. Nam homines id, quod prohibitum est, eo magis appetere solent. Leges solae non emendare possunt animum, si nihil aliud accesserit. Ἐνεργεῖσθαι est Deponens, ac poni solet etiam non expresso Accusativo, ut Gal. V, 6. *εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ) Ut poenam nostram augeremus;* proprie: *ut fructus ferremus morti. Fructus ferre*, ut v. 4., est actiones perpetrare sive bonas sive malas, ex cogitandi, sentiendi et iudicandi ratione ortas. Ὁ θάνατος, *miseria et noxa peccati.* Fructus fert τῷ θανάτῳ, qui peragit quae miseriam et noxam afferunt. Per Pro-

sopopoeiam ὁ θάνατος cum tyranno comparatur. Tantum abest, inquit Paulus, ut lex Mosaica nos a dominio vitiosarum cupiditatum liberare, et ad veram felicitatem perducere potuerit, ut potius vis malarum cupiditatum et poena augeretur.

6. Νυνὶ — γράμματος) *Nunc autem liberi sumus a lege* (Mosaica), *mortui* quasi *respectu eius* (legis) *qua tenebamur, ita ut Deum colamus ex praescriptis novae et perfectioris religionis, non ex praescriptis legis antiquae scriptae.* Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου) *Nunc autem liberi sumus a lege*, eiusque rigore. Cf. supra v. 2. Liberi a lege sumus, quemadmodum mulier maritata a viro, eo mortuo. Ἀποθανόντες — κατειχόμεθα) Alii legunt ἀποθανόντος, quae lectio nata videtur ex interpretationibus Patrum, secundum quos Paulus dicere voluit, legem mortuam esse Christianis. Legendum, ut videtur, ἀποθανόντες, et cum verbis sequentibus coniungendum. Plena phrasis esset: ἀποθανόντες ἐκείνῳ (sc. τῷ νόμῳ) ἐν ᾧ κατειχόμεθα. Idem sensus, qui comm. 4. Κατέχειν *vim et rigorem* legis indicat, ut κυριεύειν v. 1. *Chrysostomus*: ὡσανεὶ ἔλεγεν, ὁ δεσμὸς δι' οὗ κατειχόμεθα, ἐνεκρώθη καὶ διεῤῥύη ὥστε τὸν κατέχοντα μηδὲν κατέχειν λοιπὸν, τουτέστι τὴν ἁμαρτίαν. ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς) Sc. τῷ Θεῷ s. τῇ δικαιοσύνῃ. ἐν καινότητι πνεύματος) i. e. ἐν πνεύματι καινῷ, *spiritu novo*, i. e. *accommodate ad novam eamque perfectam doctrinam*, cui statim opponitur παλαιότης γράμματος. Quicquid nempe est perfectum, et hominum consuetas vires, vel scientiam vulgarium hominum superat, interdum vocatur πνεῦμα. Ergo mox est ipsa doctrina

christiana, mox sentiendi agendique ratio huic doctrinae consentanea. *οὐ παλαιότητι γράμματος)* Non secundum veterem legem Mosaicam, litteris perscriptam. Γράμμα, *scriptum, membrana,* Luc. XVI, 6. 7. *Lex* ita vocatur, quia destituta erat vi et efficacia vere emendandi hominum animos, quia peccata non tollebat, sed potius eorum memoriam renovabat. Hinc patet praestantia religionis Christianae, eiusque praerogativa prae lege illa Mosaica.

7. Τί οὖν — ἁμαρτία;) *At dicat aliquis: an lex est caussa peccati?* Metonymia, quasi dixisset: *εἰ διὰ νόμου ἁμαρτία.* Dixerat Apostolus v. 5. affectiones animi pravas per ipsam legem commotas fuisse et auctas. Hinc obiicere poterant Iudaei, legis Mosaicae tenaces, ex mente Apostoli legem fieri caussam peccati. Hanc obiectionem refellit v. 7—12. Negat, ea, quae de potestate et vi peccati sub lege dixerat, ita esse capienda, ac si lex peccati veluti magistra, atque noxia esset, quod adversarius potuisset obiicere, et ostendit, legem arguere tantum homines et convincere male factorum. Τί οὖν ἐροῦμεν; est formula Paulo usitata, qua occupatur reprehensio: *at dicat aliquis.* Respondet Paulus ad hanc obiectionem: Μὴ γένοιτο — διὰ νόμου) *Absit hoc. Imo potius peccatum non agnoscebam* (non habebam notitiam *malefacti*) *nisi per legem.* Qui legis notitiam non habet, is nec habet peccati, i. e. *malefacti* notitiam. Hoc de prima hominum aetate capi debet; nam alia hominis aetas nulla expers est omnis notitiae legis et peccati. Vid. *Mori additamentum disputationis de homine, submittente se Deo,* (Lips. 1789.) p. 4. Νόμος h. l. est lex quaevis,

sive sit humana, sive divina. Sensus igitur est: Lex Mosis hoc cum aliis legibus habet commune, ut doceat homines, quid sit non recte appetere et agere; habet hanc utilitatem ut ignorantiam moralitatis depellat. τήντε γὰρ — ἐπιθυμήσεις) *Concupiscentiam enim non cognovissem, nisi lex dixisset: Noli concupiscere.* Ignorare cupiditatem h. l. est, eam hactenus ignorare, quatenus e lege diiudicatur, et, qualis sit, cognoscitur. Iam e lege cognoscitur, non omnia sine discrimine appeti debere, sed certum appetendi genus, certum gradum et modum dissuaderi, improbari, prohiberi. Ignorat ergo cupiditatatem, qui ignorat eam esse illicitam, ut in exemplo addito, non esse alterius bona sic expetenda, ut tibi ea vindicare velis. Talia puer, alienus adhuc a legis et interdicti notione, diiudicare et discernere nequit. Ut primum autem legis notitia oblata discitur, aliquid et aliquo modo appeti non debere, discitur et illud, agi hoc et hoc modo non debere, quod appetere, et hoc modo appetere non liceat. Notandum est hoc loco ac deinceps Paulum in prima persona loqui, non quod de se agat; sed quod modestiae caussa res odiosas sic exprimere malit, quod ipse dicit μετασχηματίζειν, 1 Cor. IV, 6. Talia et alibi occurrunt. Scholiastes Horatii ad epistolam VIII, Lib. I. *Reprehendit Celsum morositatis et inconstantiae, ita tamen, ut quae in eo carpit, in se transferat, quo reprehendat liberius.* Sic in arte poëtica: *Brevis esse laboro, obscurus fio.* Totum hunc locum docte illustravit *Frid. Sam. Winterberg, in periculis exegeticis.* Mengeringhusae, 1791. 8. Illud in Mose: οὐκ ἐπιθυμήσεις, Exod. XX, 14. non de sola animi prava cupiditate, sed etiam de ipsis, quibus

se exserere solet, artibus atque facinoribus est intelligendum.

8. Ἀφορμὴν — ἐπιθυμίαν) *Sed propensio ad malum, occasionem nacta per legem, effecit in me varii generis cupidates.* Docet nunc Apostolus, non tam in lege, quam potius in ipso homine esse caussam et culpam, quare concupiscat prohibitum. Ἡ ἁμαρτία h. l. est propensio, inclinatio hominis ad varia peccata; *der Hang, die natürliche Neigung zum Bösen.* Haec occasionem nacta διὰ τῆς ἐντολῆς, per praeceptum, illud nempe: οὐκ ἐπιθυμήσεις, *effecit in me varii generis cupiditates*, artes pravas, et turpissima quaevis consilia. Ovidius Amor. II, 19. 3. *Quod licet, ingratum est: quod non licet, acrius urit.* III, 4. 17. *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* χωρὶς — νεκρὰ) *Peccandi enim libido, nisi lege quadam irritetur, torpere solet*, non *tam facile* in prava facinora erumpit. Est enim hoc comparate dictum. Νεκρὸν, *iners, quod vim suam non exserit.*

9. Ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτὲ) Pergit Apostolus in Metaschematismo, coepto com. 7. *Equidem vivebam aliquando sine legis notitia.* Loquitur Paulus de eo, quod omnibus hominibus evenire solet. Infantes nempe nullam habent notitiam legis; paulo post pueri discunt quidem leges quasdam et memoriae mandant, sed eas parum curant. Ἐλθούσης — ἀνέζησεν) *Quum vero lex mihi innotesceret, tunc propensio ad malum exardebat.* Ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς, sc. animo meo; postquam notitiam legis accepi.

10. Ἐγὼ δὲ ἀπέθανον) *Ego vero poenam mihi conscivi.* Peccavi *et merui poenam,* intellexi, me miserum esse. Nam haec h. l. est significatio verbi ἀποθνήσκειν ut ἀποκτείνειν comm. 11. et 2 Cor. III, 6. *ad mortem vel poenam condemnare.* Sic hebraicum מוּת est *mori*, et *mortis reum esse, miserum et infelicem fieri.* Gen. XVI, 11. Respicit Paulus ad comminationem poenae Gen. II, 17. καὶ εὑρέθη — θάνατον) Ellipsis: ἡ ἐντολὴ (ἡ δεδομένη, vel ἡ γενομένη) πρὸς ζωὴν αὕτη (εὑρέθη γεγουνῖα) εἰς θάνατον. Εὑρίσκομαι, *sum, appareo. Atque lex, consilio salutari data, effecit, ut poenam subirem.* Nam propter imbecillitatem humanam lex non tantum mihi hunc usum non praestitit, sed etiam propensioni ad peccata occasionem dedit, ut in mala facinora erumperet.

11. Ἡ γὰρ ἁμαρτία — ἀπέκτεινεν) *Nam propensio ad malum occasionem arripiens a lege, me decepit, et per eam* (legem) *miserum reddidit.* Non ipsa lex, sed propensio ad male agendum me induxit, ut legem violarem. καὶ δι' αὐτῆς ἀπέκτεινεν) Cf. comm. 10. Ἀποκτείνειν h. l. est *infelicem, miserum reddere.* Non tantum Hebraei, verum etiam profani ἀποκτείνειν sic usurpant. Apud Plutarchum *Discr. adul. et am.* Cassius Severus dicit: αὕτη τοῦτον ἡ παῤῥησία τὸν ἄνθρωπον ἀποκτενεῖ, *ista loquendi libertas hunc hominem perdet.* Et Stryangaeus violentas sibi inferens manus, quod turpibus ipsius cupiditatibus gratificari Zarinaea noluisset, ad hanc scripsit: σὺ δέ με ἀπέκτεινας, *tu mihi necis caussa fuisti.* Euripides in Troad. v. 737.

12. Καὶ ἡ ἐντολὴ — ἀγαθή) Ἡ ἐντολή, vel est, *prae-*

ceptum illud, de non concupiscendo, vel praeceptum singulare quodvis. Sanctum, i. e. innocens, in quo non est caussa miseriae; aequum et iustum; quod vetat circumventiones et fraudes alteri noxias; *bonum* est, et *utile*, tum quia iubet, ut alios diligamus tanquam nos ipsos, tum quia legem observantibus vitam promittit.

13. Τὸ οὖν — θάνατος;) *Ergone res bona mihi fuit caussa perniciei?* Respondet Apostolus: ἁμαρτίαν esse *caussam proximam* miseriae humanae, νόμον autem *occasionem* tantum *remotam*. Τὸ ἀγαθὸν, i. e. *lex* quae bona est. θάνατος h. l. αἰτία τοῦ θανάτου. ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία) Sc. ἐμοὶ γέγονε θάνατος. Sic mihi interpungendum videtur. *Sed propensio ad malum mihi exitio fuit.* Alii aliter, sensu fere eodem. ἵνα φανῇ — θάνατον) *Ita ut manifestum fieret, peccandi proclivitatem occasione accepta ex lege, quae bona est, mortem mihi peperisse.* ἵνα φανῇ κατεργαζομένη, ut φαίνεται καλουμένη, φαίνεται ποιήσας, apud Thucyd., Plutarch. aliosque Profanos. Ἀγαθὸν h. l. est lex, quae bona et sancta est, v. 12. ἵνα γένηται — ἐντολῆς) *Ut adeo proclivitas ad peccandum fieret longe pessima, occasione legis.* Ὑπερβολὴ *eminentia, excellentia, magnitudo.* Paulus vero hanc formam: καθ' ὑπερβολήν, ponere solet pro adverbio ὑπερβολικῶς, *praeter modum.* 1 Cor. XII, 31. 2 Cor. I, 8. aliisque locis. Hoc vult Apostolus: Apparuit, propensionem ad malum esse maxime abominandam; turpissimum enim est, re bona abuti.

14. Οἴδαμεν — πνευματικός ἐστιν) *Scimus enim, le-*

gem esse perfectam, praeclaram, bonam, v. 12. Est nempe lex virtutis officiorumque magistra, perfectionis moralis norma, appetitionique illicitae contraria. Πνεῦμα, רוח, in genere suo praestans et eggregium, cuius oppositum est σάρξ, *infirmum*, *tenue*. ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι) *Ego vero infirmus sum, pravis affectibus abripior*, vel deditus sum. Ἐγὼ, iterum in sua persona loquitur Apostolus de *quolibet homine non Christiano, sive Iudaeus sit, sive ethnicus.* Miror, *Koppium* eorum accessisse sententiae, qui putant, Paulum de se etiam, et de omnibus vere Christianis haec dicere. Contrarium non tantum ex verbis proxime sequentibus, sed etiam ex ipso Apostoli consilio et universo nexu orationis patere videtur. Vult nempe demonstrare, *legibus solis* nullum facile hominem mente emendari; ipsas etiam leges Mosaicas vi emendandi animum carere: hominem, peccato diutius assuetum, ea animi impotentia laborare, ut quum maxime velit ac studeat sequi legem, huic rei se sentiat imparem, et in animo experiatur tantam, tamque continuam pugnam inter appetitum animalem et rationalem (v. 15.), ut agat, quod improbet et nolit, quod probet et velit, exsequi non possit; hanc autem vim emendandi hominum animos inesse *religioni christianae*, quae sola viribus instruere possit ad sancte vivendum necessariis. Vide inprimis infra c. VIII, 2. 3. ubi expresse docet Apostolus, νόμον τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς praestare id, quod nec lex Mosis, nec ulla alia lex hactenus praestiterit, vel praestare possit. Σάρξ, *infirmum*, vel *quicquid in homine est vitiosum et pravum.* Nam veteres omnis vitiositatis in agendo origines ad corpus referebant. Ostendit Paulus caussam, cur ex lege aliud

in homine consequatur, quam id, quod lex per se propositum habet, quia nimirum alia natura est legis, alia hominum. πέπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν) *Mancipium peccati.* Similes sunt *Achabo*, de quo Elias id praedicat, 1 Reg. XXI, 20. Ex quo patet, Paulum nec de se ipso, nec de aliis vere Christianis loqui. Hi enim sunt liberi ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας, VIII, 2.

15. Ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω) *Igitur quod facio non approbo.* Nam sic יָדַע sumunt Hebraei, Hof. VIII, 4. Matth. VII, 23. Alii: *inscius et invitus facio, quae facio.* οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω) Θέλω recte vertas potentialiter: *quod vellem*, Matth. XXVI, 39. quanquam et indicative sumi potest, dum noris, non agi hic de certa constitutione decretoque voluntatis, sed de levi desiderio. Ovid. Metam VII, 19. *Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido, mens aliud suadet. Video meliora, proboque; deteriora sequor.* Horat. I. Epist. VIII. *Mente minus validus, quam corpore toto — Quae nocuere sequar; fugiam quae profore credam. Arrianus Epictet.* II, 26. ἐπεὶ γὰρ ὁ ἁμαρτάνων οὐ θέλει ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ κατορθῶσαι, δῆλον ὅτι, ὃ μὲν θέλει, οὐ ποιεῖ, καὶ ὃ μὴ θέλει, ποιεῖ.

16. Εἰ δὲ — καλός) *Si vero, non quod volo, hoc idem efficio, (tacitus) assentior legi, eamque bonam esse testor.* Σύμφημι, *assentior. Euripid.* Hippolyt. 266. καὶ ξυμφήσουσι σοφοὶ μοί. *Hesychius:* σύμφημι, συναινῶ, συνομολογῶ. Verum hoc esse, experientia docet. Saepe enim fatentur homines, hoc vel illud recte prohibitum esse, et tamen, affectibus abrepti faciunt, quod illicitum esse fatentur.

17. Νυνὶ — αὐτὸ) *Ergo non tam ego malum illud ago;* quia nempe ratio ipsa reiicit et reprobat illa, ad quae pravorum affectuum vis impellit. Νυνὶ h. l. est coniunctio ratiocinando concludentis, et significat: *igitur*, ut Iac. IV, 13. V, 1. ἀλλ' — ἁμαρτία) *Sed propensio ad malum, quae me impellit et regit.* Proclivitas ad peccandum comparatur hero, servis suis imperans eosque ad obsequium cogens. Homo pravis cupiditatibus resistere non potest, nisi aliud auxilium accedat.

18. Οἶδα γὰρ — ἀγαθὸν) *Scio enim, in me, i. e. in pravis affectibus meis non reperiri bonum.* Homo, quum nominatur, modo totus intelligitur, modo κατὰ συνεκδοχὴν tribuitur id nomen partibus. Sic, quod hic dixit *in me*, interpretatur de carne, et pravis affectibus e carne orientibus. Τὸ γὰρ — εὑρίσκω) *Nam voluntas mihi est in promtu, sed perpetrare rectum non valeo.* Παράκειται, i. e. πάρεστι, *adest.* Denotat enim proprie *vicinum esse*, s. *a latere adhaerere.* Εὑρίσκειν, מצא, *assequi posse.*

19. Ὃ οὐ θέλω κακὸν) *Quod odi, malum*, idem quod μισῶ. v. 15. Ita ostendit Paulus, praeceptis legis Mosaicae non inesse eam vim, ut malarum cupiditatum imperium frangat.

20. Repetit, quod dixerat v. 17. sed addit πλοκὴν, ἐγὼ bis sumto; sensu diverso. Homo est, qui consentit peccato, sed non totus, hominis mente diversum dictante; quod culpam auget.

21. Εὑρίσκω — παράκειται) *Experior igitur*, quo-

tiescunque bene agere volo, legem, i. e. vim quandam adversam, *quae me impediat, quia malum*, vitiositas *mihi adhaeret.* Construe: *εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον, ὅτι ἐμοὶ θέλοντι ποιεῖν τὸ καλὸν, τὸ κακὸν παράκειται*, redundante *ἐμοὶ* ex Atticismo. Νόμος interdum vocatur *animi humani impetus*, quo ad agendum omnes incitamur, sive ille sit naturalis et corruptus, sive spiritu divino excitatus, et ad honesta quaevis impellens, ut v. 23. c. VIII, 2. *Dictamen* dicere possis. Vocatur autem sic, propter aliquam cum legibus, earumque vi, qua ad agendum homines impellere et cogere solent, similitudinum. Aliis *ὁ νόμος* est lex Mosaica, vel quaevis lex divina, et *τὸν νόμον* pro *κατὰ τ. νόμον.*

22. Esse in homine nondum emendato eiusmodi dictamen (v. 21.) probatur ex experientia. *συνήδομαι — Θεοῦ*) *Delector enim lege Dei*, i. e. approbo legem Dei. Est metonymia. Nam proprie mentis est *approbare*, non *gaudere;* sed solent caussis tribui proximorum effectuum nomina. *κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον*) *Quoad mentem, rationem.* Ὁ ἔσω ἄνθρωπος, i. e. ὁ ἄνθρωπος ἐν ἑκάστου τῇ ψυχῇ κατοικῶν. *Philo* de agricultura vocat *τὸν ἡγεμόνα ἄνθρωπον*, additque, *ἄνθρωπος δὲ ὁ ἐν ἑκάστῳ ἡμῶν, τίς ἂν εἴη, πλὴν ὁ νοῦς.* Comm. 23. vocatur *νοῦς.* Sic etiam Pythagoricis *mens sola* homo est, cetera non partes, sed instrumenta hominis. Ialkut Ruben, f. 10, 3. *Caro est vestis exterior hominis, sed spiritus est homo interior, cuius vestis corpus est.*

23. Βλέπω δὲ ἕτερον νόμον) *Sentio autem aliam legem, aliud dictamen*, sc. vim pravarum cupidita-

tum, quae instar legis est. cf v. 21. Βλέπειν, idem quod εὑρίσκειν, eodem v. 21. ἐν τοῖς μέλεσί μου) i. e. ἐν τῇ σαρκί μου, v. 15. in proclivitate ad peccandum, et sensuum imperio. *Membra* h. l. dicere maluit, propter metaphoram a bello ductam, quae sequitur; nam membra corporis ad bellum quasi armantur. Ἀντιστρατευόμενον — νοός μου) *Quae se opponit legi mentis meae.* Ὁ νόμος τοῦ νοός, *dictamen rationis, das Vernunftgesetz,* opponitur τῷ νόμῳ ἐν τοῖς μέλεσι, *dictamini sensuum.* In verbo ἀντιστρατεύεσθαι est metaphora a bello ducta. Καὶ αἰχμαλωτίζοντα — μέλεσί μου) *Et me in potestatem redigit dictaminis sensuum, quod est in membris meis.* Continuatur translatio a bello desumta. Phraseos *captivum ducere* adiunctum est *servum facere*; nam vetere more in bello captivi facti sunt servi.

24. Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος) *O me miserum hominem!* Dicit, vere miserum esse huiusmodi hominem, qualem hactenus descripsit. τίς με ῥύσεται; ad formam hebr. מִי יִתֵּן *utinam liberer tandem.* Lex me liberare non potest. Aliunde ergo quaerenda libertas. ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου) *A corpore hoc damnum afferente*, i. e. quis vires mihi dabit, ne membra corporis mei peccato servire et poenas sibi mereri cogantur? Genitivi Hebraeis, et eos imitantibus Hellenistis saepe sunt pro adiectivis, ut hic corpus mortis, vel miseriae, quod hominem miserum reddit, quia est sedes vitiositatis. Tristis est conditio hominis, qui non valet efficere bonum, vel fugere malum, quod ipse aversatur ac damnat.

25. Εὐχαριστῶ — κυρίου ἡμῶν.) *O me felicem per Dominum Iesum Christum*, i. e. o me felicem, qui Christianus sim! Gratias ago Deo, quod per Christum, i. e. per eius doctrinam huc ductus sim, ut tandem possim obsistere illi propensioni ad malum. Gratias autem agere solemus Deo pro beneficiis, et propter ea beneficia felices nos praedicamus. Haec plane per parenthesin legenda, qua omissa, cetera cum sequentibus cohaerent Ego quidem, dicit Apostolus, haec in prima persona per modestiam quandam elocutus sum, at revera, si sine figura mihi de memetipso loquendum sit, non is ego sum, qui tales laniatus sentiam, quum Deus me per Iesum Christum, i. e. per Evangelium et Spiritum eius, ab ista servitute liberavit. ἄρα οὖν — ἁμαρτίας.) *Ergo ego ipse idem quoad mentem, s. rationis dictamen servire studeo legi Dei, sed membris corporis servio legi peccati.* Loquitur de eiusmodi homine, qualem sub primae personae pronomine descripserat. Bellum in se sentit rationis et pravarum cupiditatum, quod lege Mosaica nullo potest modo compesci. Doctrina autem Christi meliori praestari id, quod lex praestare non poterat, statim c. VIII. docetur.

CAP. VIII.

Exponit Apostolus felicem vere Christianorum conditionem, dum ostendit, eos auxilio doctrinae perfectioris (christianae) adiutos praestare posse, quod homo solius legis notitia imbutus praestare non possit, ac proinde benevolentia Dei frui, et beatos esse spe felicitatis aeternae, v. 1 — 17.

1. Οὐδὲν ἄρα — Ἰησοῦ) *Nulla igitur poena timenda est vere Christianis.* Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εἶναι, cum Christo coniunctum esse, in eum credere et praeceptis eius obtemperare, i. e. genuinum esse Christianum. Κατάκριμα, *condemnatio* et per meton. *poena.* Non amplius metuenda est vere Christianis noxa et miseria e peccatis oriunda; de qua vide notata ad c. V, 12. Nam in veri nominis Christiano non est tale peccatum, ob quod damnetur, tale nempe peccatum cui quis consulto et perpetuo indulget. Quanquam enim irritatur per sensus, et propendet ad malum, tamen resistit, et tandem ope doctrinae christianae huc venit, ut *possit* resistere, et raro tantum abripiatur ad peccatum. Hoc exprimitur verbis: Μὴ κατὰ — πνεῦμα, *qui non suis cupiditatibus, sed doctrinae Christi obsequuntur.* Πνεῦμα h. l. est doctrina perfectior, *doctrina Christiana.* Nonnulli, omittenda esse haec verba, censent, quippe e comm. 4. perperam huc translata. Sed verba: μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν retinenda esse videntur; nam desunt tantum in codicibus graeco-latinis, extant vero propemodum in omnibus codd. mere graecis, uno excepto. Ultima autem verba: ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα omittuntur in nonnullis codicibus, in versione Syr., Vulg. aliisque versionibus, etiam a Patribus nonnullis graecis et latinis. Et salvo sensu omitti possunt. Qui enim non amplius vivit κατὰ σάρκα, is vivit κατὰ πνεῦμα. Priora autem verba sunt necessaria ad sententiam. Describere nempe Apostolus volebat, et debebat, quid hoc sit: εἶναι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Vid. *Morus* ad. h. l. Redit nunc Apostolus ad id, quod c. VII, 6. dixerat ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος, et osten-

dit, Evangelium id praestare, quod lex Mosaica praestare non poterat, sc. liberare nos ab imperio et tyrannide peccati.

2. Ὁ γὰρ νόμος — τοῦ θανάτου) *Nam dictamen religionis* (christianae), *quae affert salutem per Christum Iesum, liberavit me a dictamine illicitae cupiditatis, quae miseriam* et noxam *parit.* Νόμος τοῦ πνεύματος est *dictamen religionis*, doctrinae christianae, quae carpit et minuit illam cupiditatem, de qua c. VII, dictum est. Νόμος eodem sensu, quo c. VII, 21. hic accipitur. Πνεῦμα autem est *doctrina christiana*, ut ostendimus ad c. VII, 6. Alii malunt τὸ πνεῦμα in hoc cap. et alibi esse *animum sensumque vere christianum* (*christlicher Sinn, göttlicher Sinn,*) eodem sensu. Nam doctrina christiana est norma, ad quam animus Christianorum conformatur. Igitur nihil vetat, quo minus πνεῦμα mox *doctrinam christianam*, mox *animum christianum* ad hanc doctrinam conformatum, vertamus. Notandum tamen est, et hanc doctrinam, et pios sensus Christianorum referri ad Dei Spiritum, tanquam auctorem, qui omnia haec bona mediante doctrina efficiat. Infra v. 26. 27. 1 Cor. XII, 11. Haec doctrina dicitur τῆς ζωῆς, *salutis et felicitatis*, ab effectu, quia salutem et felicitatem, nempe animi emendationem, tranquillitatem, spem certam aeternae felicitatis, et ipsam denique hanc felicitatem affert omnibus iis, qui ei obtemperant. Nam docet nos agere agenda, et fugere peccata amore erga Deum et Christum, amore erga alios, non metu coactos et poenis, sed sponte, beneficiis permotos, ob spem felicitatis aeternae. Unde sequitur doctrinam christia-

nam multo praestantiorem esse lege Mosaica. Non insuitatum est scriptoribus sacris *Evangelium* appellare νόμον, Iac. I, 25. Rom. III, 28. 31. Repetit igitur Paulus, quod supra c. VI, 14. aliis verbis dixerat. Ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ referri potest ad ζωή, *felicitas per Christum parta;* (sed tum dici debuisset: τῆς ἐν X. I.) vel ad ἠλευθέρωσε, sublato commate post Ἰησοῦ, *per Christum Iesum liberat me.* Ὁ νόμος τῆς ἁμαρτίας, vox et dictamen cupiditatis ad mala instigantis et rapientis. Obsequium huic dictamini praestitum affert τὸν θάνατον, *miseriam et noxam.* Hanc enim vocis θάνατος in hac epistola esse significationem, saepe iam monuimus. Ergo dicit Apostolus et ab imperio pravarum cupiditatum et a noxis inde secutis se liberatum esse per dictamen religionis. Non autem de se solo, sed de omnibus vere Christianis Paulum loqui, in promtu est, v. 1.

3. Τὸ γὰρ ἀδύνατον — ἐν τῇ σαρκί) *Quum enim lex id efficere non posset, quia invalida erat reddita per vitiositatem, Deus, mittens filium suum, habentem corpus simile illi, quod nos habemus, qui sumus peccatores, et peccati caussa* (ad expianda peccata) *condemnavit* (vi sua privavit) *peccatum, quod se per corpus exserit.* Hoc comma continet explicationem eorum, quae dicta erant v. 2. In verbis τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου esse videtur nominativus absolutus, pro: διὰ τὸ τοῦ νόμου ἀδύνατον εἶναι, s. διὰ τὴν τοῦ νόμου ἀδυναμίαν. Lex vim suam exserere, i. e. animos hominum emendare non poterat. Alii anacoluthon esse putant, et post Θεός supplent ἐποίησε, s. ποιήσων, *quod leges efficere non poterant, Deus hoc*

efficere decrevit. ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς) *Quia propter humanae naturae imbecillitatem vim suam* (emendandi animos) *amittebat.* Ἐν ᾧ hic valet *quia*, more hebraico. Σάρξ, *vitiositas et imbecillitas humana, die verderbte herrschende Sinnlichkeit.* De hac legis infirmitate c. VII. prolixe disputatum est. Deus igitur, ut alio modo opitularetur humanae infirmitati, misit filium suum. ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, i. e. ἐν σαρκὶ ὁμοίᾳ τῇ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, οἳ ἁμαρτωλοί εἰσι, *in corpore* (σαρκὶ) *simili illi, quod nos peccatores habemus*, cuius membris abuti solemus ad peccandum. καὶ περὶ ἁμαρτίας) Sc. θυσίαν, *tanquam sacrificium pro peccatis; ad expianda peccata;* nam haec est plena phrasis; vel προσφορὰν περὶ ἁμαρτίας. Hebr. X, 18. Propterea etiam dici potest Christus peccati caussa missus esse, quia docuit nos, peccata fugienda esse, et quia nobis perfectissimae virtutis exemplum praebuit. Non addit Apostolus, Filium Dei missum esse, ut afferret πνεῦμα, doctrinam perfectiorem, de peccatorum venia, de felicitate aeterna et aliis rebus, quarum notitiam nobis procuravit; hoc enim una voce *missionis* comprehonditur. κατέκρινε—σαρκὶ) i. e. κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν (τὴν) ἐν τῇ σαρκὶ (οἰκοῦσαν) *Destruxit*, i. e. vi sua privavit *peccatum in nobis habitans*, c. VII, 17. 18. 25. Καταργεῖν h. l. est quasi *perdere, destruere, vi sua privare*, ut 2 Petr. II, 6. *Destruxit vim pravarum cupiditatum in nobis*, i. e. effecit, ut iam resistere possimus illicitis cupiditatibus, frangere earum vim, et praestare id, quod lex postulat. Hoc autem effecit Deus per τὸ πνεῦμα, doctrinam perfectiorem, e. c. de omnium peccatorum venia, de felicitate aeterna vere

Christianis promissa etc. Cf. etiam supra c. VI, 3. 6. *Koppe: puniit peccatum in homine aliquo* nempe in Christo, ut σάρξ sit *natura humana, homo ipse*, et quidem *humana eaque imbecilla Christi in terris conditio.* Praefero priorem explicationem.

4. Ἵνα τὸ δικαίωμα — ἡμῖν) *Ut id, quod lex divina a nobis postulat, praestare possimus*, non impediti iam a nimia ista peccati vi, qua antehac ad facienda ea quae ipsi improbabamus, abripiebamur. Τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, *praeceptum legis*, id quod lex postulat. Supra c. II, 26. πληροῦν τὸ δικ. τοῦ νόμου est: *servare praecepta legis.* Ἐν ἡμῖν, i. e. δι' ἡμῶν. Ad reliqua verba huius commatis cf. notata ad v. 1. Inest iis uberior hominis πληροῦντος τὸ δικ. νόμου descriptio.

5. Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες) *Qui enim illicitis cupiditatibus tenentur*, i. e. qui uno feruntur impetu appetitionis, atque eo rapiuntur more brutorum animantium ratione religionisque notitia carentium, ii τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν, obtemperant dictamini ad mala instigantis cupiditatis; sic student rebus, quae sensibus sunt iucundae, ut legis divinae nullam habeant rationem. Τὰ τῆς σαρκὸς sc. πράγματα. Φρονεῖν τά τινος est *facere cum aliquo, studere alicui rei.* Herodotus: οἱ ἔτι τὰ ἐκείνου ἐφρόνεον, *qui adhuc partes eius tuebantur.* Qualis est caussa, talis effectus. A factis hominum concluditur ad animum, ad sensum. οἱ δὲ — πνεύματος) *Qui vero meliore indole praediti sunt, ii rebus melioribus student.* Οἱ κατὰ πνεῦμα, sc. ὄντες. Τὰ τοῦ πνεύματος, sc. φρονοῦσιν. Πνεῦμα

nunc videtur esse sensus melior, quem cognitio religionis christianae efficit.

6. Τὸ γὰρ — θάνατος) *Studium vero rerum pravarum affert mortem*, i. e. miseriam maximam. Ponitur θάνατος per metonymiam pro infelicitatis *causa*. τὸ δὲ φρόνημα — εἰρήνη) *Studium contra eorum, quae religio praecipit, felicitatem summam, Deique favorem affert.* ζωὴ καὶ εἰρήνη iterum per metonymiam pro eo, ex quo haec felicitas oritur.

7. Διότι — Θεὸν) *Nam homo sensuum imperio subiectus adversarium se praebet Deo*, repugnat consiliis divinis, vult et agit ea, quae voluntati Dei adversantur, eique displicent. Abstracta posita hic sunt pro concretis. Cf. Iac. IV, 5. Hoc et sequenti commate continentur rationes, cur miseria sequatur improbitatem hominum. τῷ γὰρ — ὑποτάσσεται) *Non obedit legi Dei.* Fertur, qua lubet, non qua monstrat Dei lex. οὐδὲ γὰρ δύναται) *Non potest* obsequi praeceptis Dei, quia desunt vires, et quia tanta est vis malarum cupiditatum, ut nonnisi per spiritum divinum homo liberari possit ab earum imperio.

8. Οἱ δὲ — δύνανται) *Illi ergo, qui malis cupiditatibus obsequuntur, Deo placere non possunt;* Deo placere non magis possunt, quam subditi rebelles regi. Quomodo ergo Deus illis daret felicitatem aeternam? Δὲ, pro οὖν, deducuntur enim haec e superioribus.

9. Ὑμεῖς δὲ — πνεύματι) *Vos autem non pravis cupiditatibus, sed religioni obtemperatis.* Apostolus

Christianos Romanos alloquitur. Vos, inquit, non estis ex numero eorum, quos Deo displicere, imo morti atque poenis divinis obnoxios esse modo dixi, sed estis ex eo hominum felicissimorum genere, quibus per Christum *ζωὴν καὶ εἰρήνην* partam esse docui. Sic se saltem sperare Apostolus dicit. Sed *ἐστὲ* potest etiam esse imperativus; *obtemperate*, ut sit cohortatio. *εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν*) *Si modo divinae voluntati consentanea sentiendi ratio imperium in vobis obtinet.* Deus enim nil nisi bonum et praeclarum velle potest. *Πνεῦμα Θεοῦ*, i. e. *sentiendi ratio divinae voluntati consentanea.* Synonymae sunt loquendi formulae: *πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν*, et: *τὰ τοῦ πνεύματος φρονεῖτε* v. 5., et applicat Paulus ad Romanos normam v. 5. propositam. *Οἰκεῖν*, eodem sensu hic sumitur, quo supra c. VII, 17—20. habuimus. Non de spiritus sancti persona hic esse sermonem, sequentia verba docent. *εἰ δέ τις — αὐτοῦ*) Si quis vero non praeditus sit ea mentis indole, quae Christi menti est similis, is *non est illius*, non potest dici eius sectator, Christianus dici neutiquam meretur, nec beneficiorum quae Christus nobis procuravit, particeps esse potest.

10. *Εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν*) *Quodsi Christus in vobis est*, i. e. Christi doctrina vos regit. *Christus* pro doctrina Christi dicitur etiam 2 Cor. III, 17. Commate 9. sic expresserat Paulus eandem rem per phrasin *ἔχειν τὸ πνεῦμα Χριστοῦ*. *Τὸ μὲν σῶμα — δικαιοσύνην*) *Corpus quidem emortuum* (infirmum, miserum) *est propter peccatum, sed doctrina christiana* (vobis) *salutem promittit, siquidem recte agatis.* Hoc equidem sic intelligo: Erant omnino, ut par est cre-

dere, inter Christianos Romanos, qui ante susceptam religionem christianam vixissent κατὰ σάρκα, illicitis cupiditatibus addicti. Horum corpora erant νεκρὰ, viribus exhausta, enervata δι' ἁμαρτίαν per flagitia quibus hactenus dediti fuerant; hoc enim sensu νεκρὸν haud raro sumi, notum est. (Cf. supra c. IV, 19.) Paulus igitur eos bono animo esse iubet, nec esse, dicit, cur de his malis corporis valde doleant, aut de salute desperent, quodsi enim in posterum vitam probam et religioni consentaneam acturi essent, fore ut felices sint (ζωὴ) *propter virtutem* (διὰ δικαιοσύνην). *Noesselt* per σῶμα intelligit τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, s. vitium animi a peccato profectum, ut c. VI, 6. (Opusc. Fascic. II, p. 94. sqq.) et verba sic reddit: *natura quidem vestra vos morti addicit propter peccatum; sed spiritus*, h. e. doctrina christiana *vitam reddit propter iustitiam*. Alii aliter. Illa, quam ego dedi, explicatio et usui loquendi et contexto sermoni convenientissima esse videtur. Non repugno tamen, si quis cum *Eckermanno* (l. c. p. 147.) malit διὰ explicare: *quod attinet ad*, et vertere: *corpus quidem mortuum est, quod attinet ad peccatum*, vim cupiditatum malarum (ut Rom. VI, 5.), *sed spiritus*, pars nobilior vivit *propter virtutem*, quod attinet ad virtutem.

11. Εἰ δὲ τὸ πνεῦμα — οἰκεῖ ἐν ὑμῖν) *Quodsi nempe Deo, qui Iesum ex mortuis suscitavit, quoad animi indolem similes fieri studuistis.* Verba haec eodem sensu accipienda esse, quo comm. 9. ea accipi debere ostendimus, manifestus membrorum commatis 10. 11. parallelismus nos docet. Πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν pro πν. τοῦ Θεοῦ. Sed maluit Apostolus hac uti peri-

phrasi, quia ex resurrectione Christi ipsa Christianorum similem resurrectionem deducere constituerat. ὁ ἐγείρας — σώματα ὑμῶν) *Is, qui Iesum ex mortuis suscitavit, vestra etiam mortalia corpora vitae restituet, propterea quia Spiritus eius in vobis est*, quia doctrina divina animos vestros regit, vosque Deo similes reddit. Optime cohaeret comma hoc cum praecedente. Illustrat enim Paulus verba illa: τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην. Felices nempe sunt, qui nunc sanctitati vitae student, quamvis mala corporis ex anteacta vita exorta, adhuc sentiant; nam in illa futura vita perfecte beati erunt. In verbis: ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν est mera periphrasis *omnipotentiae divinae*. Deus, inquit Paulus, qui pro sua omnipotentia Christum in vitam revocavit, is vos etiam post mortem vitae restituet. Docet igitur Apostolus, ne corpora quidem eorum, qui mente vere christiana praediti sunt, expertia fore felicioris illius sortis, qua post mortem animae ipsorum gaudebunt. Alii h. l. intelligunt hominis ad meliorem sanctioremque vitam per religionem Christi instaurationem et emendationem. Sed propter verba: θνητὰ σώματα ὑμῶν prior sententia praeferenda videtur. διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν) Praeferenda est haec lectio illi: διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν. Est quidem utraque lectio aeque fere *antiqua*, et, si Patrum testimonia numeres, neutra alteri cedit. Sed lectio διὰ τὸ πνεῦμα sine dubio potior est, si codicum numerum spectes. Accedit, quod illud διὰ δικαιοσύνην v. 19. ob evidentem membrorum commatis v. 10. et 11. parallelismum postulat διὰ τὸ πνεῦμα. Sensus igitur est: *Propterea quod spiritu eius animati estis*, quod mente et animo similes

estis Deo. Sicuti Deus Christum, quia in se habuit naturam illam divinam, e mortuis resuscitavit: ita etiam Christianos, qui sunt κοινωνοὶ θείας φύσεως (2 Pet. I, 4.), e mortuis resuscitabit.

12. Ὀφειλέται — ζῆν) *Obsequium debemus non vitiosae naturae, ut pravis cupiditatibus indulgeamus.* In voce ὀφειλέται est metaphora, qualis c. VII, 23. Subauditur ex ratione oppositi: ἀλλὰ πνεύματι, τοῦ κατὰ πνεῦμα ζῆν.

13. Μέλλετε ἀποθνήσκειν) *Infelices, miseri eritis,* et in hac et in futura vita. Ἀποθνήσκειν sumitur ut supra VII, 10. Vitia esse originem omnium malorum omnisque miseriae, experientia docet. εἰ δὲ πνεύματι — ζήσεσθε) *Sin autem ope religionis christianae pravos affectus et malas cupiditates represseritis, felices eritis.* Πνεῦμα, sc. τοῦ Θεοῦ, *mens divina — göttlicher Sinn,* vel *religionis doctrina,* sensu prorsus eodem. Πράξεις, h. l. sunt *malae actiones,* et quidem τοῦ σώματος, quae per corpus se exserunt, membris corporis peraguntur, παθήματα et ἐπιθυμίαι, ut Gal. V, 24. aut τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, ut supra v. 6. *actiones* etiam *externae* includantur.

14. Ὅσοι γὰρ πν. Θ. ἄγονται) *Qui enim a spiritu divino se regi patiuntur.* Sic enim passivum occurrit apud auctores. Dionysius Halic. Ant. L. X. ὡς δὲ κατέμαθεν ὁ Οὐεργίνιος ἀγόμενον τὸν δῆμον ὑπὸ τῶν λόγων. — *plebem his sermonibus flecti.* Cf. notata ad v. 9. *Agitur a spiritu divino,* qui perfectiorem illam doctrinam, christianam nempe, non

tantum animo tenet, sed ei etiam convenienter vivit. Hoc supra expressum est phrasibus: *περιπατεῖν κατὰ πνεῦμα*, v. 4. *φρονεῖν τὰ τοῦ πνεύματος*, v. 5. *πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν*. Omnes istae phrases sunt synonymae, et eandem exprimunt rem, scilicet *regi doctrina christiana*, atque ad hanc normam totam vitam componere. Hi igitur, qui religionis dictamini obsequuntur *οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ*, i. e. *Dei similes*, Deoque cari. Constat nempe, consuetudine Hebraeorum quamcunque coniunctionem exprimi *filiorum* nomine. Sic etiam ii homines vocantur *filii Dei* (Kinder Gottes), qui quandam similitudinem habent cum Deo; istaque similitudo in eo cernitur, ut animati sint sicuti Deus, eumque imitentur in amore virtutis veraque sanctitate (Matth. V, 45. 1 Io. II, 29. 2 Petr. I, 4.), ut didicerint atque teneant Christi doctrinam, quae ipsius Dei doctrina est (1 Io. V, 1. Io. VIII, 47.), et quoniam is, qui rectam doctrinam amplectitur, eique se bene agendo accommodat, non potest non esse Deo acceptus et beatissimus, igitur nomen *filiorum Dei* transfertur etiam ad *beatitatis divinae* similitudinem, ut hoc nostro loco, 1 Io. III, 2. aliisque locis. (Vid. *Noesselti diss. de vera vi nominis filiorum Dei.* Opusc. Fascic. II, p. 333. sqq.) Sensus igitur huius commatis est: Quotquot doctrina christiana reguntur et virtuti sanctitatique student, ii sunt vere beati, liberaliter et benigne a Deo habentur.

15. *Οὐ γὰρ — ὁ πατήρ*) *Non enim iterum animum servilem accepistis, ut vobis metuenda sit poena, sed accepistis animum filialem, quo confidenter* (ipsum Deum) *appellamus Patrem nostrum.* Con-

firmat Paulus id, quod v. 14. dixerat: οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ. πνεῦμα δουλείας) *Affectum, animum servilem, metu* solo poenae praesentis a malo abstinentem. רוּחַ, πνεῦμα, pro *affectu*, frequens Hebraeis, unde et pro ira, pro amore sumi solet. Gal. IV, 24. Servilem sensum non acceperunt πάλιν, i. e. ut antea, antequam Christiani esse coeperunt. Respicitur maxime ad Iudaeos sub oeconomia Mosaica, quae severa erat minitando puniendoque, et postulabat quotidianas expiationes peccatorum necessarias. Non igitur mirum, si eiusmodi gens propendebat ad metum servilem. Potest etiam referri ad Christianos, qui nuper gentiles fuerant; nam et hi usi sunt numinum suorum expiationibus; et multitudo numinum effecit, ut a nullo eorum sperare possent bona, quoniam numina ipsa sibi adversabantur. Vos, Christiani, inquit Apostolus, per doctrinam Christianam ad eiusmodi sensum servilem non denuo adducti estis, sed ad sensum filiorum; ἐλάβετε πνεῦμα υἱοσθεσίας. Υἱοθεσία, ab υἱὸς θετὸς, *filius positus*, quem constitui mihi esse filium, quanquam mihi non fuerat natus, i. e. *adoptatus*. Υἱοθεσία, *adoptio*. Ergo sensus adoptionis est sensus, qualem adoptati filii habent erga parentes, qui aeque ac filii nati sperant a parentibus quaevis bona. *Noesselt* πνεῦμα υἱοθεσίας interpretatur *de Evangelio* (l. c. p. 98.), quoniam (v. 2. ut Gal II, 19.) per *Evangelium* liberati sumus a lege. Quanquam autem verum est, Evangelio nos certos reddi de paterno Dei amore, aptius tamen videtur h. l. intelligere ipsum illum sensum et animum, quem doctrina christiana nobis instillat. Ἐν ᾧ — πατήρ) *Quo confidenter* (Deum) *appellamus patrem nostrum*. Κράζειν respondet hebraico קרא, *vocare*.

invocare; nec in hoc verbo, nec in Ἀββᾶ ὁ πατήρ est emphasis. Paulus bis posuit, quia graece explicare voluit syriacum his, qui syriaca nescirent. Scripsit enim lectoribus, qui et Iudaei et gentiles fuerant.

16. Αὐτὸ — τέκνα Θεοῦ) *Ipse ille sensus et animus* (Geist und Gesinnung) *animum nostrum convincit, nos esse Dei filios.* Αὐτὸ τὸ πνεῦμα sc υἱοθεσίας, animus ille et sentiendi agendique ratio liberalior, qua non amplius timore servili regimur, sed ex amore Dei et pleni fiducia recte agimus, nobis est quasi testimonii loco nos esse *filios Dei*, v. 14. Dei similes ac proinde beatos, et favoris divini participes. Deus enim non potest non amare et favore suo complecti sui similes. Dicit autem Paulus συμμαρτυρεῖ, quia Evangelium s. doctrina Christiana nos idem docet, 2 Cor. III, 6. Πνεῦμα ἡμῶν, hic est *animus noster*, ut 1 Cor. II, 11. 2 Cor. VII, 1. Paulus vocum similitudines amat, etiam in significatu diverso, quod genus figurae Graeci ἀνταναάκλασιν vocant, qualis apud Plautum: *Oculorum praestinguat aciem in acie hostibus.*

17. Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι) *Si autem filii sumus, sumus etiam haeredes*, felicitatis participes. Hoc statim explicatius declaratur. Pergit Apostolus in sua argumentatione, et ostendit quam beati et felcies sint et futuri sint vere Christiani; sicuti nempe filii sunt haeredes bonorum paternorum, ita etiam filios Dei fore participes eorum bonorum, quae Deus filiis suis promisit, beatitatis nempe qua Deus ipse fruitur. κληρονόμοι μὲν Θεοῦ) *Felicitatis summae, quam Deus promisit suis, participes.* In voce κληρονόμου hic non

respicitur ius succedendi in bona defuncti, sed possessio firma atque inalienabilis. Proprie κληρονομία (a κλῆρος et νέμω ducta) de portionibus Palaestinae, Israelitis sorte divina tributis, dicitur; tropice vero felicitatem coelestem denotat. συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ) *Participes felicitatis, qua Christus fruitur.* Ipse Christus κληρονόμος πάντων dicitur, Hebr. I, 2. cuius μέτοχοι fiunt, qui fide ei addicti sunt Hebr. III, 14. coll. c. I, 9. εἴπερ συμπάσχομεν) nempe Christo, i. e. si constanti patientia omnia adversa toleremus, sicut Christus fecit. ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν) *Ut una cum ipso felicitatis summae simus participes*, 2 Tim. II, 11. 12. Col. III, 4.

18. Λογίζομαι γὰρ — εἰς ἡμᾶς) *Equidem enim plane statuo, calamitates huius vitae nullius momenti esse ad felicitatem qua olim* (in altera vita) *manifeste fruemur.* Apostolus, laudata superius atque commendata insigni religionis christianae felicitate, pergit ad caput de miseriis quibus Christiani anguntur. Obiici poterat, cum tanta christianae religionis laude haud facile conciliari posse pressuras et calamitates ubique obvias. Fortassis etiam respicit Paulus ad adversariorum voces, stultam esse et ridendam Christianorum fidem, per quam bona omnia expectabant, et tamen vix unquam aliquid praeter adversitates, et turbas accipiebant. Hanc offensam removet *tum* admonitione, quod nondum omnimoda felicitas obtingere possit hominibus, quae potius *futuro* tempori reservetur ac spe tantum capiatur, v. 19 — 25., *tum* commendatione praesentis fructus, quem inter ipsas miserias religio christiana afferat, 26 — 39., quum nos certos reddat,

secundum ordinationem divinam piis Dei cultoribus etiam mala ad bonum cedere v. 28., eosque olim fore felicissimos exemplo Christi, cui nonnisi per miserias huius vitae aditus ad summum felicitatis dignitatisque culmen paratus esset, v. 29. sq. Λογίζομαι, i. e. οἶομαι, ἡγοῦμαι. Ἄξιον vox deducta est ex rebus, quae ponderantur. Nam quot pondo exempli caussa pendet, dicitur τοσούτου ἄγειν, i. e. *trahere, deducere.* Si in alteram lancem iniicias adversa quae ferenda sunt, in alteram bona, quae expectantur, immensum propendebit, in qua sunt bona. Τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι. Cf. 1 Ioh. III, 2. Col. III, 4. In sequentibus tamen non describitur illius felicitatis magnitudo, sed certitudo.

19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία — ἀπεκδέχεται) *Nam creaturae spes* (rerum natura) *exspectat tempus illud, quo verus honor filiorum Dei manifestabitur*, vel tempus illud, quo omnibus apparebit, quanta futura sit felicitas i gloria filiorum Dei. Ἀποκαραδοκία, *spes*, quae com. 21. 25. vocatur ἐλπίς. *Suidas* recte sine emphasi interpretatur ἀποκαραδοκίαν per προσδοκίαν. Scilicet ἀποκαραδοκεῖν proprie est: *vultum aliquo ad spectandum convertere, atque adeo observare.* Sic *Ioseph.* de B. I. III, 7, 26. ἀπεκαραδόκει δὲ τὴν ὁρμὴν τῶν βελῶν, *telorum impetum autem observabat.* Iam, quoniam ii, qui vultum aliquo ad spectandum convertunt, aliquid fere expectare solent, inde Graecis ἀποκαραδοκεῖν et καραδοκεῖν est *expectare. Xenoph.* Memorab. III, 5. 6. ἀλλὰ καὶ σιγῶσι καραδοκοῦντες τὰ προσταχθησόμενα. Quid autem sit ἡ κτίσις h. l. quaeritur. Extat ingens copia disserta-

tionum et libellorum *de creatura gemebunda*, *von der seufzenden Kreatur;* sed vix unquam interpretatio huius loci, quae omnibus satisfaciat. Alii intelligunt homines, vel omnes, vel probos, vel impios, vel Iudaeos, Iudaeo-christianos, Christianos qui nuper gentiles fuerunt, vel bonos angelos. De animantibus rationis expertibus, olim in vitam et feliciorem conditionem restituendis locum hunc explicat *Laur. Smith*, Danus, in libro: *Ueber die Natur und Bestimmung der Thiere, wie auch von den Pflichten der Menschen gegen die Thiere.* Havn. 1700. 8. p. 83. sqq. Ab hac sententia non alienus fuit *Michaelis* in not. ad h. l. Probabilior hac est illa explicatio, quae olim plerisque interpretibus placuit, quam magno studio exornavit *Io. Frid. Iacobi in Abhandlungen über wichtige Gegenstände der Religion* P. I, 5. quam etiam *Koppe* defendit, omnino hic conferendus. Κτίσις nempe sicut hebr. בְּרִיאָה, praesertim si πᾶσα additur, saepe est *omnis rerum natura*, *universum ipsum*, ut Iudith. IX, 12. ubi Deus dicitur *βασιλεὺς πάσης κτίσεως*, et Sap. V, 17. Deus *ὁπλοποιήσει τὴν κτίσιν εἰς ἄμυναν ἐχθρῶν.* Verti itaque possent haec verba: *Universa rerum natura exspectat tempus illud, quo vera filiorum Dei felicitas et honor manifestabitur.* Prosopopoeia, qua toti rerum universitati tribuitur, quod naturis sentientibus et intelligentibus proprium est, non est insolita. Sic in communi vita *naturam* serena veris aestate *subridere* dicimus; Paulus autem *morti adeo*, *legi*, *peccato* personae vim tribuere solet. Cf. etiam Gen. IV, 10. Ps. XIX, 1. Iac. V, 4. *Lackemacherus* (in Biblioth. Brem. Class. VII. p. 618. sqq.) pu-

tavit, Paulum ad singularem Iudaeorum hypothesin respexisse. Credebant nempe Iudaei, Messiae tempore res creatas, Adami lapsu depravatas et corruptas, integritati suae restitutum iri, ut ad Iudaicae gentis usum eo essent aptiores. Quam creaturarum in Messiae regno restitutionem חִידּוּשׁ הָעוֹלָם, mundi innovationem, seu universi huius, quod propter se solos conditum existimabant, instaurationem appellabant. Igitur hoc voluisse Paulum, existimat *Lackemacherus:* Tam certo futura est singularis illa, qua in Christi regno beandi sumus, prosperitas, ut ipsa etiam creatura, eodem tempore, ut creditur, integritatem suam recuperatura, desiderio maximo illam exspectet. Vid. *Wolf.* in Curis ad h. l. Cf. *Koppius* et *Morus* ad h. l In hac sententia fuerunt etiam Patres nonnulli antiquissimi, qui regnum Christi millenarium in his terris exspectabant, e. g. *Irenaeus* advers. haeres. L. IV, c. 31. 33. „Oportet, inquit, et ipsam conditionem (κτίσιν, rerum naturam in regno millenario) reindegratam ad pristinum, sine prohibitione servire iustis: et hoc Apostolus fecit manifestum in ea quae est ad Romanos, sic dicens: *Nam exspectatio creaturae* revelationem filiorum Dei exspectat." Vid. nostra *historia interpretationis libror. sacror.* P. II, p. 218. sqq. Aliam interpretationem proposuit *Doederlein*, Theologus olim Ienensis in Progr. 1789. scripto, qui statuit τὴν κτίσιν esse in universum *hominem*, sive *hominum universitatem*, *die Menschheit*, et consilium Pauli esse, ut ostendat, „nihil a se statui, quod aut insolitum esset, aut verae felicitati adversum, dum negat omnino beatos esse Christianos et immunes ab omni miseriarum conflictu. Etenim omnes,

quotquot beatos ceteroquin novimus, calamitatibus affligi et meliora sperare. Quare *spe* beatum esse, ad *futura* adspirare, et animum ad altiores fructus erigere, non obesse verae hominis Christiani felicitati." Ut igitur Paulus persuadeat, (sic pergit Doederlein,) non deteriorem fieri conditionem Christianorum, ostendit v. 19 — 23. communi hac lege *omnes* semper vixisse, atque adhuc vivere, ut spem melioris sortis foverent atque alerent. „Quemadmodum vero, quum universitas laudatur, popularis usus praevalet, qui de omnibus affirmat, quod de pluribus valet: ita hoc etiam loco κτίσις (universitas hominum,) significat *permultos*, quorum aut historiae conservarentur, aut animum intueri liceret. Quinam illi fuerint, id intelligitur tum ex universa epistola, quae ad Iudaicos Christianos transscripta fuit, tum e charactere τῆς κτίσεως, quem paucis lineis videmus ab Apostolo definiri. Intelliguntur nempe plurimi e maioribus vel e coaevis Iudaeorum et Christianorum, quorum aut fides spectata, aut desiderium beatioris status illustre fuit. Hos enim sciebant nomine *filiorum Dei* insigniri; hos, ut honore υἱοθεσίας, ita promissionibus divinis et exspectationis firmitate reliquis gentibus praestare, et melius aevum anhelare." Haec Doederlein. Nec improbabilis est *Noesselti* sententia (in opusculis etc. Fasc. I. p. 124. sqq. edit. 2.) statuentis, gentes esse, quas Paulus nomine τῆς κτίσεως comprehendit, aut potius de gentibus Christianos. Mihi tamen probabilior videtur esse eorum sententia, qui universam rerum naturam intelligunt; nam omnino Paulus respexisse videtur Iudaeorum opinionem de innovatione huius universi in regno Messiae. Vid. annot. nostra ad Actor. III, 20. 21.

20. 21. Τῇ γὰρ ματαιότητι — τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ) *Fragilitati enim rerum natura subiecta est, non sua sponte, sed propter hunc, qui eam subiecit, cum spe tamen, fore, ut ipsa etiam rerum natura liberetur a necessitate interitus, tempore liberationis filiorum Dei.* Ματαιότης, *fragilitas.* Τὸ ματαιὸν, hebr. הבל est quodvis *mutabile, caducum.* Cohel. I, 2. 14. II, 1. 11. 15. Οὐχ ἑκοῦσα, *non sua sponte:* non enim se ipsa procreavit. Ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα, sed propter creatorem, qui instituit ita, ut omnia essent caduca. Ἐπ' ἐλπίδι coniungi potest cum ὅτι v. 21. Δουλεία τῆς φθορᾶς, *servitus corruptionis*, i. e. necessitas interitus; nam φθορὰ iterum respondet hebraico הבל. Liberabitur igitur natura εἰς τὴν ἐλευθερίαν — τοῦ Θεοῦ, *eo tempore, quo filii Dei fruentur libertate gloriosa*, i. e. plane insigni et eximia. Εἰς positum esse videtur pro ἐν, ut saepe. Sic Eph. I, 10. εἰς οἰκονομίαν dicitur pro ἐν οἰκονομίᾳ.

22. Οἴδαμεν — ἄχρι τοῦ νῦν) *Novimus enim, omnem naturam rerum una gemere et dolere ad hunc usque diem* (in hac rerum constitutione). In verbis συστενάζειν et συνωδίνειν illud συν non referendum est ad Christianos, sed indicatur universitas: *omnes creaturae.* Tenenda est sententia adiuncta: Omnis rerum natura patitur incommodum hoc, ut mutetur, ut tandem intereat, et sub hoc onere quasi ingemiscat. Ἄχρι τοῦ νῦν potest etiam verti: *hoc tempore, in hac rerum constitutione;* nam ἄχρι non semper definit *tempus ad quod*, sed interdum etiam *quo* aliquid factum fuerit, ut Hebr. III, 13. Vid. *Noesselt* et *Koppe* ad h. l.

23. Οὐ μόνον — τοῦ σώματος ἡμῶν) *Neque vero*

tantum (*universa natura gemit*) *sed ipsi quoque nos, qui praestantissimam indolem accepimus, ipsi nos* (ego) *ingemiscimus, exspectantes omnimodum adoptionis nostrae fructum, liberationem a corporis nostri fragilitate.* Οὐ μόνον δὲ, sc. πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει, sed *et nos* (sc. gemiscere solemus, sentimus molestias huius fragilitatis nostrae). Ἀπαρχὴ proprie de *frugum primitiis usurpatur.* Quia vero primae fruges, quae Deo consecrabantur praestantissimae erant, factum est, ut metaphorice ἀπαρχὴ diceretur omne id, quod primum est in suo genere, vel temporis, vel dignitatis et praestantiae ratione habita, ita, ut de rebus aeque ac de hominibus adhibeatur. Vid. *Schleusneri* Lexicon ad h. vocem. Πνεῦμα significat praestantissimos fructus spiritus, i. e. fructus doctrinae melioris, praestantissimam indolem. Οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες sunt *Christiani* omnes, quos Paulus in superiore oratione πνεύματι insignitos, et tum notitiis, tum maxime sensibus piis beatos esse laudaverat, v. 1 — 9. Καὶ ἡμεῖς varie transponitur et mutatur in antiquis libris. Scilicet codd. nonnulli veteres omittunt h. l. et addunt ἡμεῖς post ἀλλὰ καὶ. Syrus omittit h. l. et mutat αὐτοὶ prius in ἡμεῖς. Alii aliter. Ἐν ἑαυτοῖς (i. e. ἐν ἡμῖν αὐτοῖς) στενάζομεν. Nos etiam huius vitae aerumnas experimur; non possumus acquiescere in conditione, sed melioris desiderio flagramus. Υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, i. e. τὴν ἀποκάλυψιν υἱοθεσίας, dum exspectamus fore, ut manifestum tandem fiat, nos esse adoptatos Dei filios. Ἀπολύτρωσις est liberatio ab incommodo aliquo; hoc incommodum autem τοῦ σώματος est ipsa eius fragilitas. Ab hac fragilitate corpus liberabitur non in morte, sed in resurrectione;

tum enim restituetur vitae, et erit ἄφθαρτον, 1 Cor. XV, 42. sqq. Quanquam, Apostolus inquit, certi sumus de sapientia et benignitate Dei, qua iam in hac vita nos complectitur, tamen in easdem aliorum hominum querelas consentimus. Tantum abest, ut novae nostrae conditionis praestantia tollat omnem imbecillitatis sensum, ac dolorum pressuras, ut potius magno melioris conditionis desiderio flagremus. Interpretatio huius loci vexatissimi, modo proposita, videtur esse simplicissima, et contextui conveniens. Nam dixerat Apostolus v. 18., calamitates huius vitae nullius momenti esse ad felicitatem Christianorum olim exspectandam. Debet igitur in sequentibus aliquid tradi de futura illa beatitate; et hoc fecit Apostolus, dum docuit, felicitatem illam tam certam esse, quam certa sit universae naturae liberatio a fragilitate. Caeterum frustra quaeritur, an tum mundus novus, et qualis futurus sit? Paulus enim disputavit ex hypothesi Iudaica, de sperata in regno Messiae felicitate externa. Prophetae nempe Hebraeorum regnum Messiae ita descripserant: fore, ut tum omnis rerum natura mutetur, et in feliciorem melioremque conditionem restituatur. Hinc illae imagines de luporum agnorumque, pantherorum et leonum mutuo et amicabili invicem consortio. Ies. XI, 6. LXVI, 22. Huiusmodi igitur felicissimam rerum conversionem in regno Messiae Iudaei exspectabant. Hac hypothesi usus est Paulus, quia ita comparata erat, ut ad persuadendum Christianis Ex-Iudaeis, meliorem post mortem conditionem exspectandam esse, non parum facere posset. Cf. *Koppe* ad h. l. et *Theologie des A. T.* Lips. 1796. 8. p. 427. s.

24. Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν) *Spe enim felices et beati (*nunc*) sumus*, i. e. salutem aeternam non habemus adhuc, sed speramus. Sic Cicero dixit, *in spe* esse negotium, quod non existit, sed speratur. *Koppe:* τῇ ἐλπίδι (διὰ τῆς ἐλπίδος, ἐλπίζοντες) ἐσώθημεν pro σωθησόμεθα. *Hac conditione salus olim nobis parata est, ut aliquamdiu eandem, etsi nondum sensibus perceptam, inconcussa spe et fiducia exspectemus.* Sed videtur potius sensus esse, hac ipsa spe non tantum *conditionem*, sed multo magis *partem* haud ultimam beatitudinis contineri. Est nempe spei proprium, ferri ad absentia bona, eaque animo velut praecipere. ἐλπὶς δὲ — ἐλπὶς) *Sed res sperata, oculis iam subiecta, non amplius speratur.* Ἐλπὶς h. l. est res quae speratur, ipsa *felicitas*. *Spes visibilis*, s. rerum adspectui nostro obviarum, nulla est. τί καὶ ἐλπίζει;) *Cur ultra id speret?* Est enim indicativus pro Subiunctivo.

25. Εἰ δὲ — ἀπεκδεχόμεθα) *Quum autem, quod nondum videmus, sperandum nobis sit, firmo animo id exspectemus.* Ἐλπίζομεν, pro ἐφέλομεν ἐλπίζειν et similiter ἀπεκδεχόμεθα pro δεῖ ἀπεκδέχεσθαι ἡμᾶς. Δι' ὑπομονῆς, i. e. ὑπομενόντως, *constanter*. *Doederlein: Nos igitur, quandoquidem res nondum conspicuas speramus, perseveranter exspectamus*, et futurorum desiderio flagramus. Iam progreditur Apostolus ad praesentem fructum, quem inter ipsas miserias religio christiana afferat, atque animus per eam institutus rectusque et nutritus percipiat, v. 26—39.

26. Ὡσαύτως — ἀσθενείαις ἡμῶν) *Praeterea etiam*

nova illa indoles adiuvat nos in calamitatibus nostris. ὡσαύτως, hebr. כֵּן, quod LXX. vertunt μετὰ ταῦτα, ὁμοῦ, et ὡσαύτως Deut. XII, 22. XV, 22. Τὸ πνεῦμα sc. τοῦ Θεοῦ, omnino hoc etiam loco, ut in toto hoc cap. videtur esse animus sensusque christianus (Geist und Gesinnung des Christenthums), modo cogites, hunc sensum nobiliorem et animum filiali erga Deum amore plenum referri ad Spiritum Dei tanquam auctorem; vide supra notata ad comma 2. Συναντιλαμβάνεσθαι est *auxilio esse*, et per Metonymiam *solari*. Ἀσθένειαι sunt Apostolo *dolores ex rebus adversis*, ut 1 Cor. II, 3. 2 Cor. XI, 30. XII, 5. 9. 10. etc. Sensus igitur est: Ipse ille animus noster christianus, quo Deum veneramur et amamus ut Patrem nobis faventem (v. 15. 16.) nobis affert magnum fructum et solatium in calamitatibus, et huius vitae aerumnis. Quis autem sit hic fructus, statim declaratur sequentibus verbis: τὸ γὰρ — στεναγμοῖς ἀλαλήτοις) *Quando enim, quid expetere precibus debeamus, non satis scimus, ipse ille Spiritus* (sensus nobilior) *succurrit nobis suspiriis voce non expressis.* Dicit igitur Paulus, saepe incidere casus, ubi Christiani rebus pressi adversis nesciant, quomodo voluntati Dei conformare debeant preces suas, an gravitatem miseriarum deprecari, an vero patienter ferre debeant, quae sibi contingant nutu ac voluntate Dei. τὸ γὰρ — οἴδαμεν) *Non enim satis scimus, quid expetere precibus debeamus.* Sermo est de homine inope consilii, qui statuere nequit, quid maxime hoc tempore sibi expetat a Deo. Huic homini succurrit αὐτὸ τὸ πνεῦμα, idem ille sensus fiduciae erga Deum. Ἐντυγχάνειν, vel ὑπερεντυγχάνειν ὑπὲρ τινός est, *suscipere alicuius*

partes, *caussam alicuius agere.* Sententia adiuncta est: *succurrere*, *opem ferre alteri.* Personificatur τὸ πνεῦμα, ut ἁμαρτία, supra c. VII, 17. 20. Ergo sensus est: Illud πνεῦμα succurrit nobis in rebus adversis, et quidem στεναγμοῖς ἀλαλήτοις, *suspiriis tacitis.* Ἀλάλητον significare potest vel id, *quod non profertur per verba*, vel *quod non potest proferri per verba*, quod *ineffabile est.* Prius praeferendum est, propter versum sequentem, in quo Θεὸς ἐρευνῶν τὰς καρδίας dicitur nosse, quae sint in hominis mente. Succurrit igitur nobis sensus fiduciae erga Deum, *suspiriis tacitis*, i. e. per breves mentis cogitationes, quum dicimus: O Deus, pater, tibi permitto res meas; non mea fiat voluntas, sed tua; nam tu mihi es pater. Veteres Theologi per τὸ πνεῦμα intelligebant *Spiritum sanctum*, et quaerebant, quomodo intercessio Spiritus sancti comparata sit in se, et quomodo ab illa, quae Christo tribuitur, distincta sit? *Dorscheus*, *Feuerborn*, *Gottfr. Olearius*, aliique statuerunt: Spiritus sanctus non intercedit ut mediator, vigore meriti sui, sed ut advocatus, qui fideles ad instar clientium excitat ad precandum, instruit quomodo precandum sit, ac spem voti potiundi alit. Accuratius hunc locum explicavit *Io. Zach. Leonh. Iunckheim* in libro: Von dem Uebernatürlichen in den Gnadenwirkungen, Erlangae 1775. p. 680. sq.

27. Ὁ δὲ ἐρευνῶν — ὑπὲρ ἁγίων) *Qui autem perfectissime novit animos* (hominum omnium), *is novit id, quod spectat ille sensus; nam voluntati divinae convenienter succurrit Christianis.* Ἐρευνᾷν (hebr. חקר Ps. 139, 1.) non est simpliciter *scire*, sed *pene-*

trare intelligendo, et est Dei epitheton, Ps. VII, 10. Ierem. XI, 20. τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος est id, quod spectat, quo tendit illud πνεῦμα, seine Absicht. Succurrit Christianis κατὰ Θεὸν, i. e. κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, 1 Ioh. V, 14. Porphyr. de abstin. I, 25. τοῦτο δὲ οὐ γνώμῃ γίνεται ἀνθρώπων, ἀλλὰ κατὰ θεὸν. Iterum τὸ πνεῦμα personificatur, ut v. 26. vel sensus Christianorum in rebus adversis fiducia plenus, et se omniaque sua Deo, Patri optimo permittens, et caussam agere Christianorum piorum dicitur, quasi *Spiritus* ab ipso homine, cuius res agitur, sit persona diversa, eodem plane modo ut Rom. VII, 17. 20. ἁμαρτία tanquam persona ab homine diversa sistitur. Nihil aliud expetimus a Deo, inquit Paulus, nisi quod sit κατὰ Θεὸν, congruat cum consilio Dei; *Plan, Entwurf.* Ergo preces nostrae Deo sunt gratae et acceptae; fiet, quod nobis et aliis erit salutare.

28. Οἴδαμεν δὲ — κλητοῖς οὖσιν) *Scimus nempe omnia inservire eorum, qui Deum pie colunt, commodis, illis nimirum, quibus benigno consilio felicitas aeterna promissa est*, vere Christianis. Hoc est illud φρόνημα τοῦ πνεύματος, de quo v. 27., sensus christianus, quo Christiani calamitatibus pressi eriguntur. ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι — ἀγαθὸν) Scilicet *adversa* etiam ipsis ad incrementa virtutis et praemii sunt utilia. Ἀγαπῶντες τὸν Θεὸν sunt pii cultores Dei. Πάντα, *omnes res*, sc. secundae, et adversae; nam de his h. l. est sermo. Ἀγαθὸν, *utile*, ut saepius. Καλεῖν Hebraeorum loquendi more simpliciter est movere aliquem ut aliquid faciat felicitatis suae caussa, ut Matth. XI, 13. deinde etiam *edocere eum* de feli-

citate, et modum eius adipiscendae monstrare, ut 2 Thess. II, 14. denique etiam *afferre et promittere felicitatem*, Rom. XI, 29. IX, 11. Unde κλητοὶ saepe sunt *Christiani*, quibus innotuit doctrina, et *vere Christiani*, quibus, quia sunt veri Christiani, felicitas est promissa. Πρόθεσις, sc. Θεοῦ, *benigna Dei voluntas*, ut 2 Macc. III, 8. πρόθεσις βασιλέως, *benigna Regis voluntas*.

29. Ὅτι οὓς — πολλοῖς ἀδελφοῖς) *Quos enim praescivit* (tales futuros esse Christianos), *hos decrevit filio suo similes reddere, ita ut ipse sit caput multorum fratrum.* Οὓς προέγνω, *quos praescivit*, sc. fore κλητούς, probos Christianos. Πρὸ in προγινώσκειν et προορίζειν, quod per se significat *ante, multo ante, dudum*, indicat aeternam Dei praescientiam et benevolum consilium aeternum. Antequam fuimus, atque adeo antequam ullus homo, ipseque mundus fuit, cognovit Deus homines eos, qui futuri essent vere Christiani, iisque destinavit aeternam salutem. Quaecunque enim Deus scivit et voluit, ea ab aeterno scivit et voluit. καὶ προώρισε — αὐτοῦ) *Hos decrevit filio suo similes reddere*, i. e. participes eiusdem felicitatis, qua Christus fruitur. Duplex ellipsis. Nam et initio deest τούτους, et in fine γενέσθαι. Συμμόρφους τῆς εἰκόνος, idem quod συμμόρφους εἰκόνι, quomodo σύμμορφον τῷ σώματι, Phil. III, 21. Vocat autem εἰκόνα *exemplar*, ad quod aliud aliquid effingitur, quod alibi τύπος, ὁμοίωμα. Christus in passionibus atrocissimis obediens fuit, et sic ad regnum illud coeleste pervenit; eadem via Deus constituit ducere Christo credentes. Supra v. 17. Phil. III, 9. εἰς τὸ — ἀδελφοῖς)

Ita ut ipse sit veluti primogenitus, s. *caput multorum fratrum*, princeps inter multos fratres. Filii primogeniti erant capita familiae iure hebraico; hinc fit, ut בכור denotet *caput* s. *dominum*, Ps. LXXXIX, 28., deinde etiam, quia parentes filios primogenitos insigniore quodam amore et studio complecti solent, πρωτότοκος est filiorum optimus, dilectissimus. Dicit ergo Apostolus, *Christianos omnes Christo in eo fore similes, quod fruituri sint iuribus et felicitate filiorum Dei, Christum autem ipsum manere filium principem omniumque carissimum, qui etiam ius imperii habeat in fratres reliquos.*

30. Οὓς δὲ προώρισε) Repetendum hic ἀπὸ κοινοῦ, *similes reddere filio suo.* τούτους καὶ ἐκάλεσε) *Eos etiam invitat ad fruendum olim felicitate aeterna.* Edocet eos de felicitate, modum eius adipiscendae iis monstrat, et credentibus atque obedientibus promittit felicitatem. Καὶ οὓς ἐκάλεσε) *Et eos, quibus obtulit et promisit felicitatem.* τούτους καὶ ἐδικαίωσε) *Hos a peccatorum culpa et poena absolvit, atque favore suo persequitur.* Ita saepe hoc verbum habuimus in hac epistola. τούτους καὶ ἐδόξασε) *Eos* (tandem) *immortali felicitate donat,* vel in aeternam illam gloriam recipit. In verbo ἐδόξασε est Enallage praeteriti pro futuro. *Ad summam illam felicitatem eos perducet.* Efficiet eos συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, v. 29. *Morus: hos etiam felices reddit.* Illi nempe, quibus Deus peccata remisit, habent mentem tranquillam, sunt spe optima pleni, Deum spectant tanquam patrem etc. Certi igitur sunt, se non fore miseros, sed accepturos esse salutem.

31. Τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα;) i. e. Quid ex his inferimus? Nam ἐροῦμεν apud Apostolum in praesenti etiam tempore ponitur. εἰ ὁ Θεὸς — ἡμῶν) *Si Deus nobis faveat* (nosque tantopere ornare decreverit, uti dictum v. 28—30.), *ecquis tandem nobis obsit? quis tandem nocere nobis possit?* Ostendit nunc Apostolus, quomodo haec tanta Dei erga nos beneficia in usum solatiumque nostrum transferre possimus. Nobis nempe, qui in tanta apud Deum sumus gratia, nihil inter atrocissimas etiam calamitates est metuendum.

32. Ὅσγε — ἐφείσατο) Quod in Abrahamo signum fuerat amoris in Deum, Gen. XXII, 12., id in Deo signum benevolentiae erga homines. τοῦ ἰδίου υἱοῦ, *filii sui;* nam vox ἴδιος saepe mere Synonymum est pronominis αὐτοῦ, ut Matth. IX, 1. XXII, 5. Io. V, 43. et aliis locis. Totius ergo sententiae vis non in ἴδιος υἱὸς, sed in voce υἱὸς quaerenda videtur. ἀλλ' — παρέδωκεν αὐτὸν) *Sed eum pro nobis omnibus tradidit*, sc. in mortem. Ὑπὲρ ἡμῶν, commodo nostro, ad expiationem nostram. Ita explicandam esse hanc formulam, quotiescunque de morte Christi pro hominibus perpessa adhibetur, patet e comm. 3. h. c. et Epistolae ad Hebraeos locis pluribus. πῶς — χαρίσεται) *Omnia*, reliqua scilicet, quae nobis vere prodesse, atque ad salutem nostram pertinere possint. Populariter dictum. Facilius est dare omne aliud, quam filium. σὺν αὐτῷ, i. e. χαρισάμενος αὐτὸν ἡμῖν. χαρίζεσθαι autem h. l. est *dono dare, gratiose largiri aliquid.*

33. Τίς — Θεοῦ) *Exquis accuset Deo dilectos?* Ἐκλέξασθαι, בחר, *amare, probare*, Deut. IV, 37. Pro-

pius munit Christianos adversus criminum iudicia, quae ipsis innocentibus intentabantur. Qui tandem sunt, qui eos accusare audent? nempe homunciones. Alii referunt ad peccata, in Christianis residua, ut Apostolus dicat, ne his quidem gratiam Dei, propter Christi mortem nobis concessam, eripi nobis posse. Θεὸς ὁ δικαιῶν) *Deus (eos) absolvit.* Vocent eos alii odiosissimis etiam nominibus; Deo eorum innocentia perspecta et grata est. Alii hic et in sequentibus ponunt signum interrogationis. *Ecquis accuset Deo delectos? Deus absolvens?* i. e. Deus, qui eos absolvit a culpa et poena peccatorum, non accusabit eos, et si alii eos accusent, id nihil damni ipsis afferet, et sic porro, sensu fere eodem manente.

34. Τίς ὁ κατακρ. — ἀποθανών) *Ecquis damnet,* vel morte eos dignos iudicet, *pro quibus Christus mortem perpessus est?* Si etiam damnantur Christiani a malis iudicibus, innocentes tamen moriuntur, quia Christus pro illis est mortuus. μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς) *Imo etiam nostri caussa ex mortuis est suscitatus,* nempe ut sciremus, illum nobis fore iudicem. Act. XVII, 31. ὃς καί ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ) *Qui etiam cum Deo regnat,* gloriae eius summae est particeps, vel proximus ei est honore. Desumta phrasis ab Orientis consuetudine, qua duo supremi regni administri utrique Regis lateri assidere solent, e. g. Constantinopoli *Vizirius* et *Mufti.* ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν) *Qui et caussam nostram Deo commendat.* Cf. Hebr. VII, 25. 1 Ioh. II, 1. Vulgo intelligunt de Iesu hominis quadam ad Deum precatione, humanis precibus simili. Alii improprie explicant de meritorum Christi vi per-

petua. Varias variorum sententias et in vertendo vocabulo ἐντυγχάνειν, et in explicanda ipsa re enumeravit et diiudicavit *Morus* in dissertatt. theol. et philog. p. 298. sqq. Recte monet, illud ἐντυγχάνειν a Scriptoribus sacris referri ad illud tempus, quo Christus Deo dexter sedet, non ad illud, quo his in terris humilis vixit; describi igitur, Christum regnantem nobis adhuc esse eundem, qui tum fuit, quum pro nobis passus et mortuus est, benevolum, beneficum, servatorem peccatorum, eumque adeo nos porro tueri et curare, ut peccatores; abiecto omni metu, freti et tranquilli hac eius perpetua benevolentia, cura et beneficentia, a Deo de se optime sperare possint, hoc est breviter, *Christum adhuc esse et manere caussam salutis nostrae et datorem*, et qui salutem quaerant, hos propter hunc et per hunc eam certo accipere.

35. Τίς ἡμᾶς — Χριστοῦ;) *Quis nos avellat amore erga Christum?* Ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ potest significare eum amorem, quo Christus nos complectitur, vel etiam amorem eum, quem nos erga Christum habemus. Plurimi interpretes priorem significationem praeferunt; quia de beneficiis Dei in fideles collatis, atque de eorum felicitate sit sermo. Tum sensus igitur erit: *Quis nobis possit eripere amorem, quo Christus nos complectitur?* vel privare nos benevolentia et amore Christi? Quicquid adversi nobis eveniat, nos nihilominus firmiter erimus persuasi, nos a Christo amari. Si ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ est *pietas in Christum*, tum sensus est: *Quis infringat, tollat nostrum amorem in Christum? Quis nos permoveat, ut deserenda religione rursus excidamus hoc*

tanto Dei Christique amore? Haec interpretatio praeferenda esse videtur. Non enim dicit Apostolus: Quis Christum abstrahat ab amore erga nos? sed: quis *nos* abstrahat ab amore erga Christum. Post tot ac tanta beneficia debemus eum constanter amare. *Θλῖψις — μάχαιρα)* Θλῖψις, *calamitas.* Στενοχωρία, *angustia*, quum, quo nos vertamus non habemus. Γυμνότης, *indigentia summa.* Μάχαιρα, *caedes*, quae fit gladio.

36. 37. *Καθὼς γέγραπται)* *Experimur id, quod scriptum est*: Ps. XLIV, 23. Experimur, inquit Apostolus, idem fere, quod de se ac civibus suis propter religionem vexatis commemorat vates. *θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν)* *Mortis periculo expositi sumus quotidie,* כל היום, *quotidie.* *ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς)* *Tractamur, tanquam pecudes mactationi destinatae*, sicuti Ps. CII, 21. בני תמותה filii ad mortem destinati. *ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν)* *Sed de iis omnibus triumphamus.* Τὸ ὑπὲρ h. l. augendi notionem habet, et Paulus vult indicare, se divino auxilio munitum, plus virium habere, quam requirantur ad istos varii generis hostes vincendos. *διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς)* Non nostris, sed a Deo, qui nos amat, datis viribus. Alii: *amore compulsi eius, qui tantopere nos adamavit.*

38. Οὔτε θάνατος, οὔτε ζωὴ) i. e. *plane nihil.* Quic quid enim est in rerum natura, aut vivit, aut vita caret. Alii: *nec metus mortis, nec spes vitae servandae.* *οὔτε ἄγγελοι — δυνάμεις)* *Nec angeli, nec principes, nec potentes*, i. e. *nulla vis, neque humana,*

neque humanam superans. In his, ut et in praecedentibus et sequentibus Apostolus per *μερισμὸν* explicat copiose sententiam hanc: In omni rerum natura nihil esse, quod vere Christianos avellere possit ab amore Dei. Quare frustra quaeritur, quomodo *angeli* possint infringere mutuum inter Deum et homines amorem; ponit enim Apostolus partes universi, prout in mentem veniebant. Ἀρχαὶ, pro: *οἱ ἐν ἀρχῇ*, i. e. *ἄρχοντες.* Δυνάμεις, pro: *οἱ ἐν δυνάμει*, i. e. *οἱ δυνατοὶ.* Nonnulli intelligunt *angelos potentes*, alii vero rectius *principes et potentes* in his terris, qui potestate sua Apostolos affligebant. *οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα*) *Nec praesentia, nec futura.* Sc. *πράγματα.* Nec quae nunc sentimus mala, nec si qua graviora imminent.

39. *Οὔτε ὕψωμα, οὔτε βάθος*) *Nec supera, nec infera, nec spes honorum, nec metus ignominiae.* *ὕψωμα*, *superbia animi elati;* deinde vero *gloriae, dignitatis fastigium* Iob. XXIV, 24. *πολλοὺς γὰρ ἐκάκωσε τὸ ὕψωμα αὐτοῦ.* Τὸ *βάθος*, עמק, *calamitas*, Ps. CXXX, 1. Alii *ὕψωμα* interpretantur *coelum*, et *βάθος terram*, Ies. VII, 11. Ephes. IV, 8., ut sententia eadem sit, quae Assaphi Ps. LXXIII, 25. 26. P. H. *Hane* (*Schrifterklärungen* p. 92. sqq.) *ὕψωμα* esse putat *arcem*, carcerem in castello; nam in castellis et arcibus carceres fuisse, res est nota. Ps. LXVI, 11. Sic *βάθος* esset *carcer subterraneus*, Gen. XLI, 14. Ies. XXIV, 17—22. Ier. XLVIII, 43. 44. XXXVIII, 6. *οὔτε τὶς κτίσις ἑτέρα*) *nec quicquam aliud.* Κτίσις h. l. idem quod *πρᾶγμα*, *χρῆμα.* Sirac. XXXIX, 29. Nihil igitur in rerum natura *δυνήσεται — κυρίῳ ἡμῶν*

nos poterit abstrahere ab illo amore erga Deum, qui in nobis inest propter Christum Iesum dominum nostrum, qui oritur e beneficiis, quae Deus nobis propter et per Christum eiusque doctrinam tribuit ac destinavit. Alii vertunt: nihil *poterit*.

CAP. IX.

Novum argumentum tractat Paulus ab hoc IX. c. usque ad finem capitis XI. nempe de gentis Iudaicae statu ac conditione misera, de caussis unde ea sit repetenda, de fine denique in quem aliquando sit exitura. Caussam haec scribendi Apostolus habuisse videtur hanc, quod Iudaei, non tantum in vetere sua religione perseverantes, sed etiam ipsi e Iudaeis Christiani, aegre ferrent, Ethnicos paribus iuribus cum Iudaeis frui. Hoc enim vehementer pugnabat cum iis opinionibus, quas Iudaei ex magistris suis hauserant: posteros Abrahami, Isaaci et Iacobi semper praecipuo apud Deum loco fore, et, quamvis multa delinquerent, Deum ista condonaturum, tum ob maiorum virtutes, tum ob professionem verae religionis. Ostendit ergo Apostolus, Deum et in puniendo et benefaciendo semper esse iustissimum, aequissimumque, et magnae esse temeritatis disputare contra id, quod Deus faciat v. 6 — 18. h. c.; *deinde* vero docet, Iudaeis haec mala accidere ipsa eorum culpa, propter suam improbitatem, superbiam et incredulitatem. IX, 19. — X, 21.; *denique* etiam solatur Christianorum animos cogitatione ea, multos Iudaeorum iam Christo nomen dedisse, et fore aliquando tempus, quo universa gens Iudaica ad religionem

Christi sit accessura. c. XI. Ac primum, quia credi poterat Paulus aut infensus Iudaeis, aut propensior in Christianos e gentibus vocatos, suspicionem hanc longe a se amolitur, v. 1 — 5. et quidem iureiurando adhibito per Christum, quod non minoris haberi debet in novo foedere, quam iuramenta in veteri foedere per Deum facta. Egregie more suo interpretatus est hoc caput *Io. Aug. Noesselt.* Vid. eius Opuscula ad interpretationem Sacrar. Scripturar. Fascic. I. edit. 2. p. 141. sqq.

1. Ἀλήθειαν — πνεύματι ἁγίῳ) *Profiteor per Christum, non mentior, (testis est mihi conscientia,) per Spiritum sanctum,* (per Deum). Ἐν Χριστῷ, *per Christum.* In omni asseveratione ea res, quae cum Graecorum particula ἐν vel ב Hebraeorum coniungitur, significat id, per quod iusiurandum vel obtestatio peragitur, ut Matth. V, 34. seq. Apoc. X, 6. Ies. LXII, 8. Gen. XXII, 16. Οὐ ψεύδομαι, *non mentior.* Repetit idem verbis negantibus, ad rem magis confirmandam, ne videretur, quae dixerat, temere dixisse. Verba συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου, concludenda esse videntur parenthesi, ut verba ἐν πνεύματι ἁγίῳ coniungantur cum illis: οὐ ψεύδομαι, *per spiritum sanctum! non mentior.* Sic accuratissime haec formula responderet illi superiori: *per Christum; verum est quod dico.* Πνεῦμα ἅγιον h. l. videtur esse ipse *Deus,* cui omnia patent, sanctissimus, ut Act. I, 16. III, 21. IV, 25. coll. v. 24. Hebr. I, 1. Vid. *Schleusner* ad vocem πνεῦμα, nr. 10. Illud autem συμμαρτυρεῖν, ut Latinorum *contestari,* non habet vim maiorem verbo simplici μαρτυρεῖν, quemadmodum Apoc. XXII, 18. aliaque loca docent.

2. Ὅτι λύπη — καρδίᾳ μου) *Me magnam sentire tristitiam et perpetuum dolorem*, sc. ex statu populi Iudaici, reiicientis Messiam, et salutem per eum oblatam. Sermo est concitatior; nam idem bis repetit Apostolus, verbis tantum aliis, non addita tamen caussa, cur acerbissimo hoc dolore angatur, quam comm. demum 3. verbis ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου obscure indicat.

3. Ηὐχόμην — ἀδελφῶν μου) *Vellem enim devoveri a Christo gravissimis malis* (huius vitae) *pro fratribus* (popularibus) *meis*. Ηὐχόμην est imperfectum, pro Optativo, quod frequens Graecis, sive addito, sive non addito ἄν, ut Act. XXV, 22. Ἀνάθεμα proprie denotat *omne id, quod Deo devovetur*. Iam, quia id, quod sic devotum erat, quoad homines plane interierat, inde ἀνάθεμα notat, quod *occiditur* et *perit*. Unde LXX. interpretes Hebraicum הֶחָרִים non solum per ἀναθεματίζειν, sed etiam per ἐξολοθρεύειν, *e medio tollere, perdere, exscindere, occidere*, reddiderunt, adeo ut ἀνάθεμα εἶναι utrumque notet, *e medio tolli, perire, occidi*, ut in Deuteronomio et Iosuae libro saepe. Interpretandum igitur est: *Optarem emori pro Iudaeis*, qui mihi cognati sunt natione. Quod attinet ad voces ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, notandum est, praepositionem ἀπὸ cum suo Substantivo ex Hebraismo interdum otiosam esse, ut Ps. XVIII, 22. Potest tamen probabilis reddi ratio, cur Paulus addiderit ἀπὸ i. e. παρὰ τοῦ Χριστοῦ. Instabat nempe tempus, ut Iudaei rebelles et in Christum impii ab ipso devoverentur Romanisque exscindendi traderentur. Hanc calamitatem nationi impendentem, Christo iudici tribuit Paulus. Phrasis ἀνάθεμα εἶναι, i. e. ἀναθεμα-

τίζεσθαι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ denotat itaque: *morte puniri atrocissima a Christo.* Dolet nempe Apostolus miserrimam Iudaeorum sortem, velletque suo sanguine illorum salutem redimere, et in suum caput transferre mala omnia huius vitae, si modo illos ad Christum perducere, et e periculo eripere posset. Non optat χωρισθῆναι, separari a Christo, verum offert se, tanquam piacularem victimam pro salute gentis suae, ut M. Curtius et Decius. *Livius IX*, 4. *Equidem mortem pro patria praeclaram esse fateor, et me vel devovere pro populo Romano Legionibusque paratus sum.* Vulgarem sententiam *Koppe* exornat, ita vertens hunc locum: *Mallem equidem infelicissima sorte ipse frui, quin excludi adeo ab ipso Messiae regno, si hac re fieri posset, ut populares meos servarem.* In tota tamen formula nihil nisi integerrimi amoris, vehementissimique, quo Iudaeorum salutem exoptabat Apostolus, desiderii significationem quaerendam esse arbitratur. τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα) Qui sanguinis vinculo mihi sunt coniuncti; cognati mei sunt quoad gentem; vel potius *populares*, eadem gente oriundi.

4. Ἰσραηλῖται) Honoris nomen, 2 Cor. XI, 22., nam Iacobo patriarchae *Israelis* nomen ab ipso Deo honorifice inditum fuerat, Gen. XXXII, 28. ut esset symbolum gratiae divinae. ὧν ἡ υἱοθεσία) *Ad quos pertinet adoptio*; i. e. quos Deus prae aliis gentibus exornavit maximis beneficiis. Quare Deus Israelem *primogenitum* appellavit, Exod. IV, 22. 23. Deut. XIV, 1. Filiorum loco eos habuit. καὶ ἡ δόξα) Ad quos pertinuit *honor praesentiae divinae.* Ἡ δόξα,

שְׁכִינָה, praesentia Dei gloriosa in columna nubis et ignis Exod. XL, 34. 35. deinde vero in nubecula super arca foederis 1 Sam. IV, 12. quae nubes se interdum ita extendebat, ut totum templum impleret, 1 Paral. VII, 1. 2. αἱ διαθῆκαι) *Decalogus, tabula foederis;* nam hebr. ברית Deut. IV, 13. explicatur per עשרת הדברים. Διαθῆκαι per Atticismum pro sing. Alii intelligunt foedus quodcunque, quod Deus cum Israelitarum maioribus iniit, quum non solum Abrahamo Gal. III, 16. 17. plures ἐπαγγελίαι et διαθῆκαι constitutae a Deo legantur, sed foedus etiam Deum inter et Mosen saepius repetitum dicatur. Deut. XXIX, 1. ἡ νομοθεσία) *Lex* (non legis promulgatio). Sic quoque 2 Macc. VI, 24. ἁγία καὶ θεόκτιστος νομοθεσία dicitur. Intelligendum est igitur *integrum legum Systema.* ἡ λατρεία) עֲבוֹדָה, cultus externus Leviticus, praecipue sacrificia. αἱ ἐπαγγελίαι) *Promissiones* Palaestinae et Messiae Patriarchis et Prophetis factae.

5. Ὧν οἱ πατέρες) *Quorum maiores sunt Patriarchae*, Abrahamus, Isaacus et Iacobus, aliique, quos Deus singulari amore complexus est, quos Iudaei plus iusto iactabant ad alios. καὶ ἐξ ὧν — σάρκα) *Ex quorum genere natus est Messias quoad humanam originem.* Non secundum τὸ θεῖον, quod in ipso, sed secundum τὸ ἀνθρώπινον. ὁ ὢν — αἰῶνας) Dubiae interpretationis est hic locus. *Erasmus:* „Nisi haec particula (Qui est in omnibus Deus) adiecta est, sicuti quasdam adiectas offendimus, hoc certe loco Paulus palam Christum pronunciavit Deum. Et consentiunt, quae quidem viderim graecorum exemplaria. Vulga-

rius admonet, hoc loco refelli Arianorum impietatem, qui solum patrem voluerunt esse vere ac proprie Deum. Similia disserit Origenes, indicans iam tum fuisse, qui non audebant Christum appellare Deum, ne plures Deos facere viderentur. Sed suspicor hunc locum, quod intolerabilis esset Romanis auribus, mutatum ab interprete, aut ab alio quopiam quisquis is fuit, qui declarat sese etiam initio operis nonnihil adiecisse de suo. " Ipsa verba varie interpungi possunt, et ex varia interpunctione enascuntur variae interpretationes. Nonnulli enim post πάντων posito commate, sic verba nostra vertunt: *Qui idem est dominus rerum omnium, Deus aeternum venerandus.* Alii iungunt ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, pro: ὁ ὢν ὁ μέγιστος Θεὸς, *qui idem est Deus summus aeternum adorandus.* Quum autem Christus nullibi *supremus Deus* nominetur, sed saepius a Deo summo expresse discernatur, 1 Cor. VIII, 6. XV, 27. 28. Eph. I, 22. 1 Tim. II, 5. prior ratio praeferenda videtur. Εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *celebrandus in aeternum*, ad Christum referri videtur. Additur haec doxologia, ne quasi iniurius in Christum fuisse videatur Apostolus in commemoranda eius cum Iudaeis cognatione. Veterum et recentiorum interpretatio ea, qua haec verba ad Patrem referuntur, nec contextui, nec regulis Grammaticis est conveniens. Quodsi enim vera esset, Paulus non ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, sed potius ὁ Θεὸς ὁ ὢν ἐπὶ πάντων etc. scripturus fuisset, ut 2 Cor. XI, 31. Istud vero ὁ ὢν, quod h. l. legimus, positum est pro ὅς ἐστι, ut Ioh. I, 18. et III, 13. ideoque ad Christum pertinet, de quo antea dixerat, eum κατὰ σάρκα e Iudaeis ortum esse; iam vero, ne hic subsistant Christiani ex Iudaeis, divinam

Messiae maiestatem addita doxologia celebrat. *Eucharius Ferd. Christianus Oertel* (in libro, quem inscripsit: Christologie, oder die Resultate der neuesten exegetischen Aufklärungen über den Artikel von der Gottheit Christi, etc. 1792. 8. partic. I. p. 211. sqq.) post πάντων posito puncto, ita vertit: *Ex quibus natus est Messias, quoad humanam* et humilem conditionem, *qui praestantior est omnibus* (patribus illis), de quibus gloriantur Iudaei. *Deus in aeternum sit laudatus*, pro hoc tanto beneficio. Ex hac igitur interpretatione doxologia Patris esset in his verbis: Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. In hanc sententiam *Grotius* (quem hic laudat *Oertelius*,) inclinasse videtur, haec notans ad locum nostrum: „Satis erat huic quidem loco, dicere, hoc privilegium Iudaeorum, quod ex illis natus esset Christus, omnibus aliis maius esse, quia Christo laus et honor debetur supra omnes, id est, etiam supra *Abrahamum*, *Isaacum et Iacobum*." Per se intelligitur, ex hac interpretatione πάντων sumi in genere masculino. Conferri etiam possunt *Koppe* et *Noesselt* interpret. huius cap. in opusculis eius p. 160. sqq. edit. 2. inprimis *Io. Iac Stolz*: *Erläuterungen zum N. T.* (mit Beziehung auf seine Uebersetzung desselben) *für geübte und gebildete Leser. Drittes Heft.* Hanov. 1801. p. 167. sqq. ubi hunc locum accurate tractavit.

6. Οὐχ οἷον — τοῦ Θεοῦ) *Non autem fieri potest, ut promissio Dei irrita fiat*, οὐχ οἷον δὲ, sc. ἐστὶ, *fieri autem non potest*. Hesychius: οἷον τοῦ, δυνατὸν λέγουσι. Οὐχ οἷον τέ ἐστιν, οὐ δυνατόν ἐστιν. *Plato* Apol. Socr. εἴ τις οἷός τ' εἴη παιδεύειν ἀνθρώπους. Alii

οὐχ οἷον ὅτι idem putant esse quod ὡς ὅτι, *quasi*, idque ex populari loquendi usu interpretantur sic: τοῦτο δὲ οὐ λέγω ὡς ὅτι ἐκπέπτωκεν. *Glaubt aber ia nicht, dass darum Gottes Aussprüche unerfüllt bleiben.* Ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, *promissio divina*, hebr. דבר saepe significat *promissionem*. Ἐκπίπτειν denotat *irritum fieri*, *eventu carere*. Sic נפל 2 Reg. X, 10. et aliis locis eodem sensu occurrit. Dicit Apostolus: Ex eo, quod maxima pars populi Iudaici reiicitur, minime sequitur, Deum non stare promissis Abrahamo de Messia eiusque beneficiis datis. Hoc dicit contra Iudaeos, qui propter praerogativas illas, quas modo commemoraverat Apostolus, etiam nunc sibi promeritum aliquod ius arrogare volebant, et beneficia in regno Messiae obtinenda sibi solis competere dicebant. Huic falsae persuasioni occurrit Paulus in sequentibus, et utitur argumentandi ratione, captui Iudaeorum sui temporis accommodata. Haec igitur disputatio non pertinet ad omnes Christianos; nos enim talibus argumentis non egemus. Bene notant interpretes, non agi hoc loco de *singulorum hominum salute* aeterna, sed de *Iudaicae* et *aliorum gentium invitatione* ad veram Messiae religionem. οὐ γὰρ — Ἰσραήλ) *Non enim omnes, qui ab Israele genus ducunt, veri nominis Israelitae sunt.* Supple: Ergo nec ad omnes posteros Israelis beneficia Messiae pertinent, sed tantum ad eos, qui hoc nomine digni reperiuntur. Hoc dicit contra Iudaeorum sententiam: *se omnes, et solos* esse populum Dei. Οἱ ἐξ Ἰσραήλ: pro: οἱ Ἰουδαῖοι. οὗτοι pro εἰσι, hebr. הם. In voce Ἰσραήλ est emphasis. *Israelitae ii, ad quos pertinent promissa Dei*, similes

Israeli patri fiducia et obsequio in Deum, cuius solius caussa Iacobus dicebatur יִשְׂרָאֵל Gen. XXXII, 28.

7. Οὐδ' ὅτι — τέκνα) *Neque propterea, quod ab Abrahamo genus ducant, omnes censentur filii*, sc. ad quos beneficia Messiae pertineant. (Τὰ τέκνα sc. τοῦ Θεοῦ, vel τῆς ἐπαγγελίας, v. 8.) Hoc confirmat Paulus duplici exemplo. Primum est, quod Ismael et filii ex Cethura, qui duxerunt genus ab Abrahamo, non iisdem cum Isaaci posteritate iuribus usi sunt. ἀλλ' — σπέρμα) Ἀλλ' concise dictum, pro: ἀλλ' ἐρρέθη οὕτως. *Sed dictum est* (Gen. XXI, 11. 12.): *per Isaacum erit tibi posteritas*, i. e. Isaacus unice erit, s. habebitur *filius tuus*, in quem unicum conferenda sint beneficia tibi liberisque tuis ante promissa. *Vocari in aliquo* hebraico loquendi modo est: cognomen habere ab aliquo. Itaque haec verba possunt verti: Posteritas tua habebit cognomen ab Isaaco, Isaacidae appellabuntur. Hoc exemplo confirmatur: non a natalibus pendere, ut quis beneficiis a Deo ornetur.

8. Τουτέστιν) Paulus non vult explicare sensum grammaticum verborum praecedentium, sed vult ostendere, quid his verbis auditis cogitari possit. Οὐ τὰ τέκνα — Θεοῦ) *Non qui generatione humana sunt filii*, sc. Abrahami, *iidem statim etiam filii Dei censentur*, i. e. a Dei peculiariter diliguntur, vel sunt *filii veri, iure pleno.* ἀλλὰ — σπέρμα) *Sed ii tantum qui secundum Dei promissionem nati sunt, censentur pro filiis*, nempe pro veri nominis filiis Abrahami; tractantur a Deo ut filii. Τέκνου τῆς ἐπαγγελίας h. l. est filius promissus, et ex Dei promissione natus. Σπέρμα κατ' ἐξοχήν est ea posteritas Abrahami ad quam promissiones pertinent. Sensum bene *Noessel-*

tus exprimit sic: *Filii promissi*, h. e. ii, qui in eo similes sunt Isaaco, ut, quemadmodum is praeter naturae vim, solius divinae promissionis virtute, Abrahamo atque Sarae natus erat, iam per aetatis imbecillitatem viribus ad procreandam sobolem destitutis, sic isti divina prorsus virtute gignantur, atque a Deo nati, et Abrahami, tanquam spiritualis patris sui, fide moribusque similes existant (Io. I, 12. 13.), isti demum λογίζονται εἰς σπέρμα s. *tanquam veri* Abrahae *filii habentur*.

9. Ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος) *Promissionis enim erat formula*, Gen. XVIII, 10. Recte monet *Koppius*, voci ἐπαγγελίας paullisper tono esse inhaerendum, non voci οὗτος, quae etiam hic ex hebr. הוּא pro verbo substantivo ἐστὶ est accipienda. Ipsa verba promissionis affert Paulus ut veritas huius rei, de qua hactenus disputaverat, pateat. κατὰ — υἱὸς) *Circa hoc tempus veniam, et Sarae erit filius.* Dicitur vero Deus ad homines venire, quando in eo est, ut insignia illis beneficia tribuat, ut Zach. IX, 9. coll. Matth. XXI, 5. Ergo Isaacus non naturalibus viribus Abrahami et Sarae natus est, sed vi promissionis divinae. Ita etiam Christiani nascuntur non naturae viribus, sed vi divina et intercedente promisso, quod sibi applicant.

10. Οὐ μόνον δὲ) Sc. τοῦτο οὕτως ἔχει, vel: Σάῤῥα δείκνυσι τοῦτο, *neque vero Sarae unicum exemplum est, quod haec doceat.* ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα) Sc. idem nos docet, Deum in benefaciendo non respicere ortum ex his vel illis parentibus, vel ἔπαθε τὸ αὐτὸ, Rebeccae

etiam accidit, ut non uterque, sed unus tantum filius eius singularibus beneficiis divinis bearetur. Affert historiam *Esavi* et *Iacobi*, qui quamvis fratres germani et gemini essent, tamen ideo non iisdem iuribus usi sunt; *Esavus* enim, quamvis primogenitus, tamen Iacobo postpositus est v. 12. 13. Hoc *alterum* exemplum subiungit Paulus ideo, quod Iudaei obvertere poterant, caussam, cur unus Isaacus legitimus Abrahami haeres fuerit, in eo positam fuisse, quod diversi isti Abrahae liberi nec ab eadem matre editi, nec eiusdem virtutis fuissent. ἐξ ἑνὸς — πατρὸς ἡμῶν) *Quae gravida facta erat ex uno Isaaco, patre nostro.* Κοίτη, respondens hebr. מִשְׁכָּב, primo sensu est *cubile*, deinde per metonymiam adiuncti σεμνῶς sic exprimitur *concubitus*, deinde per longius euntem figuram *conceptio*, quod inde patet, quia additur ἐξ ἑνὸς, et *concipere ex aliquo* dicitur.

11. Μήπω — κακὸν) *Quum enim nondum nati essent pueri, neque aliquid bene aut male fecissent.* Τὶ ἀγαθὸν ἢ κακὸν, ex Hebraismo est *nihil plane.* De absoluto decreto Dei ad aeternam salutem vel condemnationem, ut multi post Augustinum existimarunt, h. l. non esse sermonem, ex contextu et ipso sensu verborum satis patet. Addita haec sunt eo potius consilio, ut obiectioni Iudaeorum, Esavum imbrobum, huiusque improbitatis caussa a Deo reiectum fuisse, locus omnis praecluderetur. ἵνα ἡ κατ' — μένῃ) *Ut benignissimum Dei promissum perstaret, non ex merito, sed ex benignitate largientis.* Sensus est: *ut appareret, nihil unquam hominis merito, sed omnia tribuenda esse gratiae divinae.* ἵνα est ἀποδεικτικὸν, *zum Be-*

weise dass. Πρόθεσις, *propositum, voluntas*, deinde in specie *benigna voluntas, sive benignitas.* Ἐκλογή, *electio, libertas.* Κατὰ h. l. elegantem periphrasin facit adiectivi, ut ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ πρόθεσις sit *benignitas libera*, ut infra X, 2. ζῆλος κατ' ἐπίγνωσιν, *Zelus prudens*, XI, 21. ἡ κατὰ φύσιν κλάδοι, *naturales rami.* Μένῃ, pro ἀεὶ γένηται. οὐκ ἐξ — καλοῦντος) *Non ex merito, sed ex benignitate largientis.* Nam καλεῖν, *vocare, invitare, offerre* dicitur Deus interdum, quum declarat, se velle aliquid dare, vel exsequi. Ἐκ, *propter.* Sensus igitur est: Deum ex libera benignitate, non habita ratione dignitatis vel praestantiae cuiusdam externae in Iacobo et Esavo, illi maiora beneficia decrevisse, quam huic.

12. Ἐρρέθη — ἐλάσσονι) Gen XXV, 23. Iacobum respectu Esavi dici ἐλάσσονα, eo sensu, ut sit *iunior* respectu primogeniti, omnibus facile patet. Itaque Iacobus a Philone et Iosepho dicitur νεώτερος, *natu minor.* Sub parentum designatione intelligi hic populos, posteros nempe Esavi et Iacobi, apparet ex iis, quae loco Geneseos cit. praecesserant: שני גוים בבטנך, ut recte percepit *Iosephus* Antiqq. XIII, 9. 1. Quod effatum eventu est confirmatum. Nam *Davides* primus *Idumaeos*, i. e. posteros Esavi in servitutem redegit, 2 Sam. VIII, 14. Quumque iugum *Ioramo* regnante excussissent, 2 Reg. VIII, 20. 22. tempore *Maccabaeorum* iterum victi sunt, 1 Macc. X, 27. 31. Tandemque *Hyrcanus* eos omnino debellavit, ut nos docet *Iosephus* l. c. Haec igitur, quae Paulus ex historia liberorum *Isaaci* colligit, continent hanc doctrinam: Deum, qui singularia beneficia in hanc illamve

gentem conferat, nullo modo id facere coactum quasi moribus vel meritis istiusmodi gentis, sed motum rationibus ex se ipso suaque liberalitate unice ductis.

13. Καθὼς γέγραπται) Mal. I, 2. 3. Est et hic ellipsis. Plena sententia: Quod vaticinium revera impletum est, ut scriptum reperimus *a Malachia*. τὸν Ἰακὼβ — ἐμίσησα) *Praetuli Israelitas Idumaeis*. Nam et hic *Iacobus* et *Esavus* pro posteris utriusque. Μισεῖν vero ad imitationem hebraici שָׂנֵא ponitur, quod non semper *odisse* notat, sed etiam interdum *minus benigne tractare, postponere*. Gen. XXIX, 31. Luc. XIV, 26. coll. Matth. X, 37. Deu enim posteris Iacobi terram patriarchis promissam et sacra externa concessit, non aeque Idumaeis. Itaque verba dicti nostri de utriusque populi conditione externa tantum capienda sunt.

14. Μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ;) *Num iniuste Deus agit*? si nempe Iacobo eiusque posteris non propter virtutis praestantiam, aliaque merita, sed libera et gratuita benignitate commotus favit. Iudaeum inducit disputantem atque pugnantem ita, ut doctrinam Pauli summa Deum iniuria afficere doceat. Hanc sententiam, Deum iniuste agere, verbis μὴ γένοιτο repellit tanquam insanam et viro bono indignam. In totahac Apostoli disputatione notandum est, agere eum cum hominibus *superbis*, *hypocritis*, suamque dignitatem non ex verae virtutis studio, sed externarum rerum vanitate metientibus. Contra hos initio potestatem et ius Dei ita defendit, ut iis opportune phrasibus utatur, quibus antehac in disciplina Pharisaica videtur assuetus fuisse.

Non tenetur Deus rationem reddere hominibus, cur sic vel aliter agat. Iam duos V. T. locos subiicit Apostolus, *unum*, ut declararet Deum ipsum de se confirmasse, quod *in beneficiis conferendis* plane agat ex arbritrio, v. 15. 16. *alterum*, ut etiam Deum se in *severitate adhibenda* plane liberum confitentem ostendat.

15. Τῷ γὰρ Μωσῇ λέγει) Exod. XXXIII, 19. Dixit vero Deus haec, quum Moses rogaret, ut Deus se ipsi manifestaret, in signum futuri favoris. Est igitur h. l. sermo de eximio quodam et plane extraordinario beneficio, cuius non quivis homo fieri potest particeps. ἐλεήσω — οἰκτείρω) *Libere unicuique, et pro arbitrio benigne facio.* Ἐλεεῖν et οἰκτείρειν, quemadmodum hebr. חנן et רחם significatu parum vel nihil differunt; nam utrumque verbum saepe significat, *libere, pro arbitrio hominibus beneficia tribuere, benigne facere.* Scriptor libri *de vita et morte Mosis* verba *Exodi* ita explicat: *Nemini quicquam debeo, gratis do mea.* Non affert haec Apostolus, quasi suae disputationis, de qua agit hactenus, rationes aliquas reddere non possit, (nam et reddet aliquas,) sed quod prius quam eo veniat, edomare velit contradictoris audaciam. Etiam de principibus dicunt Politici: Non esse nostrum aestimare, quem supra ceteros, et quibus de caussis extollant; summum illis datum esse rerum arbitrium, subdit obsequii gloriam relictam.

16. Ἄρα — Θεοῦ) *Ergo* (quod attinet beneficia extraordinaria) *hominum studiis nihil efficitur, sed omnia a benignitate divina pendent.* Uti non Esa-

vus, qui cupiebat, quique post praedam currebat, sed Iacobus, invitus fere et aegre matri parens, benedictionem paternam obtinuit: ita nunc non Iudaei currentes comm. 31. et cerimonias observantes, sed gentes comm. 30. obtinent Dei favorem. Ex quo tamen non sequitur, plane superfluum esse, ut homo ipse agat, viribusque divinitus concessis utatur, sed hoc tantum, virium usum *solum* non sufficere ad id, ut quis voto suo potiatur, sed unice hoc a gratia et benignitate divina pendere. Τρέχειν, *currere*, per Metaph. *expetere*, sensu non differt a θέλειν, nisi quod intentius studium indicat.

17. Λέγει — Φαραὼ) i. e. in sacra Scriptura dicitur Pharaoni. Locus est Exod. IX, 16. Γὰρ, *vicissim*. Affert nunc Paulus exemplum contrarium hominis, quem Deus gravius punivit quam alios malos homines, et quidem libera sua voluntate, et ex sapientissimis caussis, maximam partem ignotis. ὅτι εἰς αὐτὸ ἐξήγειρά σε) *Propterea te excitavi*, i. e. *regem constitui*. Ἐξήγειρα respondet hebraico העמדתיך, proprie: *Stare te feci*, et manere adhuc in fortunis tuis. Hunc verum sensum esse apparet ex Mosis narratione, ex verbis: Iam in eo sum, ut te perdam; poteram te morbo pestifero cum omnibus tuis absumere; sed non statim te perdo; servo te adhuc incolumem. Alexandrini verterunt: διετηρήθης, *conservatus es*, ut Exod. XXI, 21. Ierem. XXXII, 14. Ὅπως — τῇ γῇ) *Ut ostenderem in te potentiam meam* (me posse te servare incolumem, aut exuere bonis et fortunis, quando volo,) *atque ego per orbem terrarum celebrarer. Nomen meum*, i. e. gloria et maiestas mea, שם. Multis pro-

digiis et miraculis opus erat, ut frangeretur Pharaonis malitia, nolentis permittere exitum Israelitarum ex Aegypto, quod maximam gloriam Deo peperit.

18. Ἄρα οὖν — σκληρύνει) *Ergo pro suo arbitrio hunc benigne, illum minus benigne, vel duriter tractat.* Τῷ σκληρύνειν opponitur ἐλεεῖν, quod quum sit *libere, pro arbitrio benefacere*, lex oppositionis efflagitat, ut σκληρύνειν sit *minus benigne, duriter tractare*, quemadmodum hebr. קשׁה sive potius in Hiph. חקשׁה, Iob. XXXIX, 16. 2 Paralip. X, 14. Itaque Paulus verbo σκληρύνειν h. l. utitur alio significatu, quam occurrit Exod. III, 3. X, 27. XI, 10. Nam apud Mosen Deus σκληρύνει τὴν καρδίαν Φαραώ, i. e. *indurescere patitur animum Pharaonis.* Potest tamen hoc etiam loco retineri usitata phraseos significatio, ob versum proxime sequentem, qui sensu carere videtur, si τί ἔτι μέμφεται, non ad animi obstinationem refertur. Tum vero phrasis: *obstinatum aliquem reddere*, populariter est intelligenda, nec ad philosophicam ἀκριβείαν exigenda. Licet nempe praevideret Deus, longa patientia et inhibitione poenarum Pharaonem peiorem redditum iri, tamen subinde nova lenitatis suae erga eum dedit documenta; quo facto obstinatior redditus est eius animus, ut solent morosi ingenii homines, qui nec bonitate nec severitate molliri se patiuntur. Ita filius degener et verberibus inflictis irritatur, et indulgentia patris fit segnior: unde oriuntur querelae: ego indulgentia mea filium perdidi et verberibus malitiam non excussi, sed incussi. Quum igitur Deus obstinatum reddidisse Pharaonem dicitur, id minime ita intelligendum est, ac si hominis liber-

tatem sustulisset, sed quod eum in vita conservando, occasionem ei dedit, pertinaciam suam factis demonstrandi, et tandem post multa patientiae documenta non clam et tanquam in carcere occidit, sed tanquam in theatro totius mundi, ut supplicium eius esset illustrius, et ad terrorem aliis incutiendum aptius.

19. Novae obiectioni occurrit Paulus. Dicere nempe aliquis poterat, non consentaneum esse vel benignitati vel iustitiae Dei, quod eos obiurget atque reprehendat, qui male agant, quum tamen aliter, quam Deus illud decreto suo firmasset, vivere ac agere non possent. Quanquam haec conclusio legitime e Pauli doctrina duci non poterat, erat tamen necesse, ut ille omnem Iudaeis elabendi atque contradicendi opportunitatem eriperet. Pergit igitur: Ἐρεῖς οὖν — ἀνθέστηκε;) *Dices igitur mihi: quid est igitur, quod Deus succenseat nobis, quem enim* (si tua disciplina probatur,) *reperias, qui Dei resistere voluntati queat?*) Indicativus ἀνθέστηκε ponitur pro Subiunctivo, et praeteritum pro quovis tempore, quasi dicat: τίς ἀνθέστῃ; Hanc obiectionem refutat Paulus dupliciter; *primum* sic, ut doceat, non esse hominum examinare mores Dei atque reprehendere velle v. 20. 21. *deinde*, ut iis etiam hoc permittatur iudicium, tamen Deum non temere aut contra rectam rationem agere, sed plane sapienter et summis suis virtutibus declarandis accommodate. v. 22. 23.

20. Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε) *Atqui, o tu!* sunt verba corrigentis sermonem alterius ut infra X, 18. Luc. XI, 28. σὺ τίς — Θεῷ) *Quo tandem iure tu audes*

cum Deo altercari? Humanam imbecillitatem non decet cum Deo disceptare, ac veluti caussas ex eo quaerere, cur hoc vel illud faciat? Non dicit Apostolus, Deum sine iustis caussis aliquid agere, quod profecto numine sapientissimo esset indignum; sed hoc tantum vult, temeritatis esse, si homo sibi praesumat, has caussas diligentius, quam par est, exquirere, et si non datum fuerit, eas penitus cognoscere, eum reprehendere, vel cum eo disceptare, quasi iniuste egisset. μὴ ἐρεῖ — οὕτως;) *Num dicet vas (vel opus figlinum,) ei, qui finxit, cur me sic tractasti?* Sumtum hoc ex usu, Ies. XXIX, 16. XLV, 9. Nihil autem aliud indicat, quam non debere homines reprehendere facta Dei, opificis sui. Ποιεῖν pro Dativo habet Accusativum in hoc sensu ut Matth. V, 44.

21. Ἢ οὐκ — πηλοῦ) *Nonne figulus potestatem habet in lutum?* Nonne pro arbitrio suo uti potest luto? Refero nempe cum aliis τοῦ πηλοῦ ad ἔχει ἐξουσίαν. Si autem refertur ad κεραμεύς, redundat. ἐκ τοῦ — ἀτιμίαν) *Ita ut ex eadem massa aliud vas ad honestos, aliud ad viliores usus fingere possit?* Sap. XV, 7. Ius habet figulus non modo ex eodem luto facere, quae velit, vasa, sed et facta refingere, et ex esculentis, si velit, facere matulas. Multo magis Deo competit ius liberrimum in suas creaturas, nec est ullo modo ferendum, si eorum, quae Deus agit, velimus esse censores ac iudices. Nam quum homines se ipsos omniaque, quanta sunt bona sua liberalitati divinae debeant, atque Deo non solum nihil sapientius dici aut fingi possit, sed tanta etiam summae eius sapientiae ac benignitatis in nos documenta extent; quomodo nisi

summam per stultitiam et impietatem dubitari potest, quin Deus in constituendis rebus nostris sapientissime nobiscum et clementissime egerit?

22. Εἰ δὲ — ἀπώλειαν;) *Si vero Deus, quum vellet ostendere severitatem, et manifestare potentiam suam*, non subito perdidit, sed *sustinet* et tolerat *magna patientia homines puniendos, qui suam sibi perniciem contrahunt!* (quis eum hoc nomine vituperare potest?) Supplenda est formula: οὐκ ἔχει ἐξουσίαν; Post repressam superbiam obtrectantium paullatim caussas aperit, cur Deus maximam partem populi Iudaici reiiciat, et gentes propter fidem in Christum recipiat. Dant nempe Iudaei poenas suorum peccatorum, et voluntariae incredulitatis. εἰ δὲ (iunge cum ἤνεγκεν,) quid tum; quid in eo est iniqui? θέλων ἐνδείξασθαι, pro καίπερ ἔθελε ἐνδ. Simplicior tamen videtur esse *Noesselti* interpretatio: *Quum autem constituisset Deus severitatem ostendere, et, quantum efficere possit demonstrare, magna cum patientia tulit eos, qui ira se divina dignos reddiderunt, atque sibi ipsi contraxerant miseriam.* Εἰ δὲ θέλων, intellige ἦν, pro ἤθελεν, ut v. 28. Primaria igitur propositio est in verbis: ἤνεγκεν — εἰς ἀπώλειαν. Hac in re Deus duo sibi proposita habuit, unum, quod declaratur in illis: (v. 22.) voluit Deus ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν κ. τ. λ. alterum quod est in his: (v. 23.) καὶ ἵνα γνωρίσῃ — εἰς δόξαν. Illa ἀνακολουθία, s. duplex verborum structura, quae est in comm. 22. 23. neminem offendet; huius enim exempla et in N. T. et in profanis Scriptoribus extare, notum est. Τὸ δυνατὸν, i. e. τὴν δύναμιν. Ἤνεγκεν, *toleravit*, non subito perdidit,

sed diu, ut ad meliorem mentem redirent, expectavit. Σκεύη h. l. sunt *homines*, quos Apostolus nunc *vasa* nominat, quia praecesserat similitudo vasis et figuli. Ita continuat metaphoram, ut fiat allegoria. Ὀργή, *poena*, ut saepius. Itaque σκεύη ὀργῆς sunt *homines puniendi.* κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, *qui suam sibi perniciem contrahunt.* Accipiendum enim κατηρτισμένα voce media, s. reciproca, ut Actor. XIII, 48. Ἀπώλειαν, omnis generis miseriam et huius et futurae vitae intelligo, ad quam se composuerant Iudaei. Si cum aliis vertis: *homines facti ad summam illam perniciem*, populariter est intelligenda phrasis, pro: *certo et inevitabili fato perituri.* Io. III, 36. Col. III, 6. Quae caussa sit certi exitus miseri, id non est in formula, sed in re: quia partim longae vitae multa scelera non deposuerunt, quantumvis Deus indulserit, partim extare debet luculentum exemplum scelesti, eiusdemque ob scelera miseri.

23. Καὶ ἵνα — εἰς δόξαν) *Et ut declararet summam suam benevolentiam benignitatis suae capacibus, quibus certa et parata erat felicitas*, i. e. ad christianam religionem aditus. Iterum supplenda est formula: οὐκ ἔχει ἐξουσίαν; Δόξα θεοῦ, *Dei maiestas* nonnunquam etiam dicitur de singulis attributis divinis, et hoc quidem loco de *benignitate* divina, conspicua in convertendis Ethnicis et Iudaeis. Πλοῦτος τῆς δόξης, i. e. δόξα ὑπερβάλλουσα, *immensa benignitas.* Eph. I, 7. 18. II, 7. Σκεύη ἐλέους hic vocantur Gentiles, et ii ex Iudaeis, qui in Christum erant credituri et opponuntur Iudaeis impiis quos v. 22. vocaverat σκεύη ὀργῆς. Hos Deus προητοίμασεν εἰς δό-

ξαν, *destinavit ad felicitatem.* Nam προετοιμάζειν, quod alias est *praeparare*, interdum etiam significat destinare ut Gen. XXIV, 14. Matth. XXV, 34. Loquitur Paulus de iis, quibus destinatus erat aditus ad religionem christianam. Voluerat Deus aliquando ex ambobus eundem coetum efficere, neque ab eo semper separatos esse paganos, idque ita eventurum dudum praenunciarat. Unde quum nunc fieret quod per consilia divina fieri debebat, quum id, quod iis certum paratumque erat, acciperent, non obsistere debebant Iudaei, Deumque reprehendere, ut sua illi libertas in propaganda religione constaret.

24. Οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς) *Tales* (i. e. tanquam homines bonitatis suae capaces) *invitavit et nos.* Potest etiam οὓς καὶ positum esse pro διὸ καὶ, ex Apostoli more periodos periodis iungendi per relativa. οὓς refertur ad σκεύη ἐλέους, v. 23. quasi non σκεύη dixisset, sed ἀνθρώπους. Καλεῖν, ad religionem Christianam adducere. οὐ μόνον — ἐθνῶν) Partim ex Iudaeis, partim ex aliis gentibus, et quidem plures ex aliis gentibus, quam ex Iudaeis, quod in sequentibus declarat pluribus.

25. Ὡς καὶ ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει) Nempe Deus, qui a propheta loquens introducitur. Desumta sunt haec verba ex Hos. II, 25. non plane iisdem, vel eodem ordine positis verbis, sed sensu salvo. Agit autem Hoseas de decem tribubus, abductis per Assyrios, ex quibus pauci simul cum Iuda et Beniamino erant redituri in patriam, et rursum futuri Dei populus. Non est igitur in his verbis proprie vaticinium de vocatione gentium, nec

Apostolus tanquam vaticinium de hac re adducit hoc dictum; sed est argumentum a pari. Referenda haec sunt ad verba v. 24. οὐ μόνον ἐξ Ἰουδαίων. Non est novum, inquit Paulus, quod nostro tempore fit; nam et alio tempore, simili occasione Deus usus est eadem libertate recipiendi in gratiam, quos olim neglexisset. Iterum nunc fit, quod Hoseas olim dixit, sed modo multo illustriori. καλέσω — λαόν μου) *Eos, qui populus meus non amplius erant, vocabo populum meum*, i. e. eos iterum agnoscam pro populo meo. Nam καλεῖν saepe est *efficere*. Loqui autem Prophetam de Israelitis decem tribuum, patet ex c. I, 6. 9. Hos Deus, quod Baalis cultui dediti essent, pro filiis suis habere recusaverat. καὶ τὴν — ἠγαπημένην) *Et populum haud dilectum agnoscam pro dilecto populo.* Foemininum usurpatur accommodate ad nomen לֹא רֻחָמָה quod propheta ominis caussa *filiae e meretrice susceptae* imponere debuerat, quam Deus cum natione Israelitica comparat, Hos. I, 6. II, 6. 7.

26. Καὶ ἔσται — ζῶντος) Ex Hos. II, 1. *Et illo ipso loco* (in terra gentilium nempe, ubi dispersi erant), *ubi dictum fuerat illis: vos non estis populus meus, ibidem agnoscentur pro filiis Dei vivi*, vel immortalis, quum nempe illis restituet patrias sedes.

27. Ἡσαΐας — Ἰσραήλ) *Iesaias vero de Israelitis palam pronunciat.* Κράζειν hic, ut Io. I, 15. est: *palam dicere*, s. *profiteri*. Ὑπὲρ, *de*, ut 2 Cor. I, 6. et aliis locis. Quod modo v. 25. de loco Hoseae diximus, hoc idem valet de hoc loco *Iesaiae*, qui extat c. X, 22. Agit nempe locus de liberatione Isaeli-

tarum ex exilio Assyrio-Babylonico. Cf. notanda ad. v. 29. ἐὰν ᾖ — σωθήσεται) *Ex innumera populi multitudine reliquiae* (vel pauci) *servabuntur.* Insignem multitudinem cum arena comparare Profanis etiam est usitatum. Virgil. Georg. II, 105. *Est numerus — quem qui scire velit, Lybici velit aequoris idem discere quam multae Zephyro turbentur arenae.* κατάλειμμα, hebr. שְׁאָר latine *reliquias* vertere possis. Sirac. XLIV, 17.

28. Λόγον — δικαιοσύνῃ) *Perficiet enim et subito, absolvet rem pro veracitate sua.* Verba Ies. X, 22. hebraice ita sonant: כליון חרוץ שטף צדקה. Sed Paulus sequitur Versionem LXX. interpretum. In nostris verbis post συντελῶν suppleri debet: ἔστι ὁ κύριος ut Matth. III. et in parallelis φωνὴ βοῶντος *adest vox clamantis.* Verba: λόγον συντελῶν respondent voci כליון, quae quum *consumtionem penitus finitam* notet, pro eo graece positum est: *adesse qui rem perficiat*, i. e. rem illam de Iudaeorum internecione. Λόγος, דבר, *res*, et συντελεῖν λόγον, *rem perficere.* Sic *Polybius* L. IX, c. 37. τῆς δὲ προθέσεως συντελουμένης, *quod inceptum, quum perfecisset.* Συντέμνειν, *conscindere, praecidere, in angustum contrahere, breviter absolvere*, de *caussis forensibus*, quae celeriter absolvuntur et finiuntur, interdum usurpatur; ut apud Philostr. vit. Apollon. VII, 17. συντετμήσονται οἱ ἐν τῷ δικαστηρίῳ λόγοι. Sic Dan. IX, 26. πόλεμος συντετμημένος est *bellum decisum.* Ἐν δικαιοσύνῃ בצדק, *pro veracitate sua.* ὅτι λόγον — γῆς) *Rem sic decretam exsequetur Dominus in terra.* Eadem cum priori sententia, aliis tantum verbis expressa.

Ὅτι hebr. כִּי redundat, vel vertendum: *utique, profecto.*

29. Καὶ καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας) Perfectum hic est pro plusquamperfecto, more Hebraeo; vult enim dicere: *sicut in prioribus* (c. I, 9.) *dixerat Iesaias.* Alius eiusdem argumenti locus, docens, singulari Dei benignitati tribuendum esse, quod pars saltem aliqua felicitate divinitus promissa potiatur. εἰ μὴ — σπέρμα) *Nisi Iehova omnipotens nobis reliquisset paucos.* Κύριος Σαβαὼθ, pro hebr. יהוה צבאות *Deus omnium creaturarum.* LXX. interpretes in libro I. Samuelis et in Iesaia pro צבאות retinuerunt Σαβαὼθ, in reliquis libris habent παντοκράτωρ. Pro σπέρμα in hebraico textu Iesaiae est שריד, *reliquiae*, idem quod κατάλειμμα, ut recte observat Theodoretus, *pauci superstites, seminum instar, quae ad sementem servantur, unde nova messis exspectatur.* Loquitur autem ibi propheta de vastitate et occidione sub Achaso facta per Assyriorum regem, quo tempore Deus paucos, si cum ceteris conferas, Hierosolymis conclusos, servavit, unde iterum cresceret populus. ὡς Σόδομα — ὡμοιώθημεν) *Sodomitis et Gomorraeis similes facti essemus*, e quibus nemo superstes mansit: ὡς Γόμορρα hic positum pro Dativo Γομόρρᾳ, לעמרה. Hic Iesaiae locus non est vaticinium de rebus N. T., sed ab Apostolo positus ideo, quod satis declaret, non esse, quod Iudaei tam iactarent Dei benevolentiam in omnes eos, qui se Iudaeos profiterentur; neque enim hos caros esse Deo universos, sed exosos potius et internecioni quasi datos, nisi proborum hominum pietas severitatem Dei quodammodo retardaret.

30. Τί οὖν — πίστεως) *Quid inde sequitur? Gentiles non appetentes felicitatem, accipiunt felicitatem, sed propter fidem consequuntur.* Ex hactenus dictis infert Apostolus, non iniquum videri posse, si, reiectis Iudaeis incredulis, Ethnici ad religionem Christi invitentur. Ἔθνη, sine articulo, *multi gentiles.* Δικαιοσύνη, (c. I, 17.) *praemium, felicitas* in regno Messiae exspectanda. Διώκειν, i. e. ζητεῖν, *studiose quaerere.* Κατέλαβε, pro praesenti: καταλαμβάνουσι. Δικαιοσύνη ἡ ἐκ πίστεως. sc. δοθεῖσα. Πίστις, h. l. est firma persuasio, Iesum esse Messiam, et ab eo omnem felicitatem esse exspectandam. Vult autem dicere Apostolus, gentiles, vacuos ab isto fastu Iudaeorum, qui in se suoque studio ponerent omnia, illud beneficium gratis sibi oblatum, libenter accepisse, Iudaeos autem fastu suo impeditos esse, quo minus spem benevolentiae divinae consequendae factam per Evangelium, admitterent.

31. Ἰσραὴλ — ἔφθασε) *Israelitae autem eo quod tenentur studio legis* (alicuius), *a cuius observatione sibi felicitatem promittunt, non capiunt fructum eius legis,* (doctrinae,) *quae veram felicitatem offert.* Νόμος in priori membro est lex Mosaica, cuius observatione Iudaei favorem Dei et praemia se consequi posse putabant, in altero membro est *doctrina Christi,* nova lex, quae nobis veram felicitatem offert. Νόμος, quandoque de quacunque doctrina dicitur. Vid. supra III, 27. Iac. I, 25. Quoad totam sententiam cf. infra X, 3.

32. Διὰ τί;) *Quare?* sc. non consequuntur felici-

tatem. ὅτι οὐκ — νόμου) *Quia non per fidem, sed per observationem legis* (Mosaicae) consequi volunt, nimirum per *ritus* lege praescriptos, veluti per *circumcisionem*; Rom. IV, 11. 12. sacrificia, ciborum discrimina, et alia similia δικαιώματα σαρκὸς. προσέκοψαν — προσκόμματος) *Impegerunt enim in saxum illud, in quod multi impingunt*, i. e. offensi sunt et offenduntur Messiae humilitate. Solent, qui iter faciunt, interdum in lapides impingere, et pedes laedere, ac sic impediri, ne iter prosequantur. Sic ergo quidam προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, 1 Pet. II, 8. Quod Petrus ibi dicit de Evangelio, id hic Paulus de Christo; quia idem est Christus praedicatus et Evangelium; et considerandus hic Christus eiusque doctrina simul cum sua cruce. Hoc enim est, quod Iudaeos plerosque offendebat. Haec autem est ratio, cur Iudaeos excludat Deus a felicitate regni Christi. καθὼς γέγραπται) Coniunxit Apostolus duo loca Alexandrinae versionis, Ies. XXVIII, 16. VIII, 14.

33. Ἰδοὺ τίθημι—σκανδάλου) *Ecce ego* fundamenti loco *in Sione ponam saxum, in quod multi impingent, rupem in qua multi labentur.* Iudaeos olim hunc locum de Messia interpretatos esse, vix potest negari. *Iarchius* in locum Iesaiae: *Decretum coram me factum est, et constitui Regem, Messiam, ut ille sit in Sione lapis munitionis: istud enim* בוחן *significat* מבצר, i. e. *munitionem et firmitatem* etc. Sed locum Iesaiae non agere de Messia, totus contextus docet. Utitur igitur Paulus verbis prophetae ad cogitationes suas exprimendas, ut in praecedentibus locis in hoc capite allatis Cf. Luc. II, 34. Iudaeis

pharisaica doctrina imbutis, σκάνδαλον erat patria Christi, humilitas, mors, atque imprimis crucifixio. καὶ πᾶς—καταισχυνθήσεται) *Quicunque vero ei confisus fuerit, spe sua non frustrabitur.* Ies. XXVIII, 16. pro לא יחיש nonnulli legendum esse existimant לא יבוש. Sed חוּשׁ, cui plerumque *festinandi* potestas subiici solet, habet etiam *timendi* et *erubescendi* notionem, certe in cognata lingua arabica. Cf. Filii mei *Ernesti Frid. Caroli* Scholia ad Ies. XXVIII, 16. Sensus huius loci est: Qui Christo non credunt, eos impediri, ne viam insistant, qnae ad veram iustitiam ducit. Qui vero ei credunt, eos neutiquam falli, sed quod cupiunt, adepturos. Καταισχύνεσθαι est *falli*, ut Rom. V, 5.

CAP. X.

1. Ἡ μὲν—σωτηρίαν) *Equidem ex animo exopto et precor, ut Deus Israelitas salutis participes reddere velit.* Opto illis bona omnia, etiam aeterna. Εὐδοκία, *voluntas*, animus quam maxime benevolus, desiderium. Pergit Apostolus exponere caussas, cur tanta Iudaeorum multitudo a societate regni Messiani excludatur. Ne autem Iudaeo-Christiani crederent, ex odio haec a se dici, amorem suum in eos iterum profitetur.

2. Μαρτυρῶ—ἔχουσιν) *Testor enim iis, quod studium erga Deum habent.* Sic. Io. II, 17. ζῆλος τοῦ οἴκου σου. Cf. Act. XXII, 3. Gal. I, 14. *Studium erga Deum*, i. e. in leges Mosaicas; has enim non sine

Dei ipsius contemtu a Christianis negligi existimabant. ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν) *Sed non coniunctum cum vera* Dei *cognitione*. Ἐπίγνωσις idem quod γνῶσις. Vel κατὰ hic ut supra c. IX, 11. facit periphrasin Adiectivi: *Zelus imprudens*. Errabant nimirum Iudaei, tum in legum Mosaicarum consilio, tum in bonorum operum suorum, quibus gloriabantur, dignitate et pretio rite constituendo.

3. Ἀγνοοῦντες—δικαιοσύνην) *Quum enim non rite intelligant, quinam sit modus adipiscendi felicitatem Deo probatus*, quum non intelligant modum consequendi favoris divini. Δικαιοσύνη eodem sensu sumitur, quo supra c. I, 17. Ἀγνοεῖν non solum denotat *ignorare*, sed et *non rite rem intelligere*, ut Marc. IX, 52. καὶ τὴν ἰδίαν — στῆσαι) *Et suam rationem benevolentiae divinae consequendae stabilire studeant.* Ἰδία δικαιοσύνη vi oppositi est ille modus consequendi divini favoris, quem Iudaei tanquam unice verum Deoque probatum commendabant. Ἱστάναι, הֶעֱמִיד, h. l. *valere facere*, *geltend machen*. τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν) Est hic forma passiva pro reciproca; Niphal. ut Hebraei loquuntur, pro Hithpael. *Viam non ineunt, per quam benevolentia divina comparari possit*, fidem scilicet. *Non obsequuntur*, non accommodant se *doctrinae* quae est tanquam regula et lex proposita. Supra c. VI, 17.

4. Τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς) *Nam Christus sustulit legem Mosaicam.* Τέλος varie explicatur. Secundum nonnullos est *finis*, ad quem quis contendit, quem attingere vult, ut sensus sit, Christum per legem

Mosaicam obumbratum fuisse et legem nunc cessare, quum Christus apparuerit, Gal. III, 24. Alii explicant: *Quod lex non poterat, id Christus efficit, et praestitit.* Eleganter enim vaticinia dicuntur τέλος ἔχειν, cum implentur, Ioseph. Antiq. II, 5, 3. et IV, 6, 5. Facilior tamen ratio est, si dicas, populariter dictum esse, pro Χριστὸς τέλος ἔφερε τῷ νόμῳ, i. e. κατήργησε τὸν νόμον. Quicquid sit, semper erit sensus, non amplius opus esse lege Mosaica, eiusque observatione, quum Christus apparuerit. εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι) *Ut iustus habeatur* (adeoque favore Dei fruatur) *omnis in eum credens.* Hic est cardo totius huius disputationis, ostendere, non observatione legis Mosaicae, sed potius per fidem in Christum nos fieri Deo gratos acceptosque.

5. Μωσῆς γὰρ — νόμου) *Moses quidem ita describit felicitatem observatione legis comparandam.* Γράφειν h. l. est *describere.* Verba Mosis autem extant Levit. XVIII, 5. ὅτι ὁ ποιήσας — αὐτοῖς) *Quicunque ea* (praecepta legis) *servaverit, vivet, i. e. felix erit per ea.* Videtur in his verbis esse obiectio Iudaei, provocantis ad Mosen ipsum. *Nonne vero ipse Moses dicit, observatione legis felices reddi homines?* Respondet Paulus v. 6 — 11. hoc esse quidem verum, sed nunc ostendi faciliorem viam ad salutem perveniendi. Quamdiu valebat legum Mosaicarum auctoritas, utique iis diligenter observandis salutem consequebantur homines; nunc vero, abrogatis his legibus per Christum *fides* requiritur. Bene tamen cohaerent omnia, si verba haec Pauli esse dicamus, non adversarii.

6. Ἡ δὲ ἐκ — λέγει) *Sed felicitas, quae per fidem contingit, ita quasi dicit.* Facile apparet, Paulum haec verba non ita afferre, quasi Moses de iustitia per fidem locutus sit; nam λέγει non Μωσῆς, sed ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη. Est igitur prosopopoeia, qua ea felicitas, quae per fidem in Christum comparatur, loquens introducitur. Sensus igitur est: de ea ratione ad favorem Dei perveniendi, quam Evangelium commendet, maiori iure valere, quod Moses de sua lege affirmaverit Deut. XXX, 11 — 14. μὴ εἴπῃς — καταγαγεῖν) *Noli cogitare, quis ascendet in coelum, ut nempe Christum deducat?* Sensus est: *Doctrina Christi non difficilis est intellectu et creditu.* Solent, qui rem perquam difficilem volunt significare, uti similitudine adscensus in coelum, et descensus ad inferos. *Bava Mezia* f. 94, 1. Si quis dixerit mulieri, si ascenderis in firmamentum, aut descenderis in abyssum, eris mihi desponsata — haec conditio frustranea est. Ceterum Paulus non argumentatur e verbis Mosis, sed phrasibus tantam nonnullis ad rem suam utitur. Admonet Moses Israelitas, cognitionem legum divinarum non esse acquisitu difficilem, ut ad eas tenendas opus sit peregrinatione in dissitas terrarum regiones. Hoc etiam de veritate doctrinae Christianae valere, dicit Paulus. Χριστὸς per metonymiam est *doctrina Christi*, ut supra c. VIII, 10. et multis aliis locis. Τοῦτ' ἔστι verte: *nimirum, nempe*

7. Τίς καταβήσεται — ἀναγαγεῖν;) *Quis descendet, in orcum, ut nimirum Christum ex mortuis adducat?* Pro verbis εἰς τὴν ἄβυσσον, in Graeco LXX. interpretum est: εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης. Sed Pau-

lus accommodate ad suam sententiam usus est voce ἄβυσσος, quae hoc loco idem denotat quod שְׁאוֹל *orcus*, sedes mortuorum, quae vulgo *coelo* opponi solet. Sensus est: Doctrina nostra de fide non est difficilis intellectu et creditu; cognitio eius non e coelo vel ex inferis accersenda est. Facile se commendat eius veritas et certitudo cuivis homini, praeiudiciis non occupato. Haec interpretatio plane convenit cum v. 8.

8. Ἀλλὰ τί λέγει;) Sc. ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη. Affirmative nunc exprimitur sententia, v. 6. 7. ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν) Quod prope est, facile a nobis potest cognosci. Sensus igitur est: *Facilis est tibi doctrinae coelestis cognitio*, vel certissimis argumentis adeo tibi confirmata, ut dubitare de eius veritate non possis. ἐν τῷ — καρδίᾳ σου) i. e. *ut eam et ore profiteri, et animo credere possis.* Ἐν, hebr. ב praefixum, *pro.* τοῦτ' ἔστι — κηρύσσομεν) *nempe doctrina quae fidem postulat* etc. Ῥῆμα, doctrina; τῆς πίστεως, i. e. ᾧ πιστευτέον ἐστὶ. Ostendit *Surenhusius* in βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 476. fuisse scriptoribus Iudaicis familiare, ut alterius scriptoris locum repeterent, alium sensum per disertas explicationes adderent, et sic in rem suam converterent. Hunc morem *Paulus* etiam h. l. secutus est.

9. Ὅτι ἐὰν — σωθήσῃ) *Si nempe ore profitearis, Iesum esse dominum, et animo credas, Deum excitasse eum e mortuis, hoc tibi erit salutiferum.* Ὁμολογεῖν στόματι prius posuit Apostolus quam πιστεύειν, quia in loco Mosaico, quem sequitur, στόματι prius, καρδίᾳ posterius erat. Bene observat *Koppius*,

ex Parallelismi studio sic scripsisse Paulum et sensum ita esse constituendum, quasi esset: ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου, καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὅτι Ἰησοῦς ἐστι κύριος, καὶ ὅτι Θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ. Resurrectionis Christi mentio fit, quia illa est firmissimum argumentum, quo constat, eum esse nostrum redemtorem. Quare qui de hac recte sibi persuasum habuerit, non amplius sacrificia et alia opera legis tanquam summa consequendae salutis aeternae praesidia celebrabit, nec eorum observatione, veluti meritis quibusdam suis gloriabitur.

10. Καρδίᾳ — δικαιοσύνην) *Mente enim creditur, et oris professio editur eo effectu, ut adipiscamur salutem.* Εἰς h. l. denotat caussam finalem. *Ut enim* favoris divini fiamus participes, *animo est credendum.* Ceterum εἰς δικαιοσύνην et εἰς σωτηρίαν in membro sequenti sunt mera synonyma et locus sic est construendus: καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται καὶ στόματι ὁμολογεῖται εἰς δικαιοσύνην καὶ σωτηρίαν. Fidem vivam esse intelligendam per se patet.

11. Πᾶς) Cf. supra c. IX, 33. *Omnis,* sive Iudaeus prius fuerit, sive non. Quam vocem Iesaias non habet.

12. Ὁ γὰρ αὐτὸς κύριος πάντων) *Nam communis est Dominus et Deus omnium,* et gentilium et Iudaeorum. Κύριος hoc loco valet יהוה, pro quo dixit Θεὸς supra III, 29. πλουτῶν — αὐτὸν) *Abundans bonitate in omnes eum pie colentes.* Πλουτῶν, sc. χάριτι, vel χρηστότητι. Ἐπικαλεῖσθαι τὸν Θεόν est *Deum pie colere,* hebr. קרא בשם יהוה.

13. Πᾶς γὰρ — σωθήσεται) Ioel III, 5. *Quicunque Deum pie coluerit, servabitur*, sive natione sit Iudaeus, sive Graecus.

14. Πῶς οὖν — ἐπίστευσαν;) *Quomodo vero eum colent, cui non dederint fidem?* etc. Infert Apostolus ex v. 13. recte Evangelium praedicari et Iudaeis et gentilibus. Deus enim omnibus suis piis cultoribus promisit salutem, sive natione sint Iudaei sive gentiles; ergo etiam omnibus, non habita generis ratione, offerenda est salus, quod fit praedicatione Evangelii. Eleganti sorite utitur Apostolus, ab effectis ad caussas progrediente, ad confirmandam sententiam, Ethnicis etiam praedicandam esse doctrinam Christi; quod Iudaei negabant. οὗ οὐκ ἤκουσαν, i. e. περὶ οὗ οὐδὲν ἤκουσαν, ἔγνωσαν, quem nesciunt. Κηρύσσειν, i. e. διδάσκειν.

15. Πῶς — ἀποσταλῶσι;) Exoptatissima igitur est res, quod doctores Evangelii ad cuiusque generis et conditionis homines mittuntur. καθὼς γέγραπται) Iesaiae cap. LII, 7. ὡς ὡραῖοι — εἰρήνην) *Quam iucundi sunt nuncii pacis* vel felicitatis. De hebraismo in hac locutione cf. notata ad Act. V, 9. Iesaias loquitur de iis Iudaeis, qui, facta a Cyro facultate redeundi in patriam, antegressi alios, quum in regionem montanam Palaestinae pervenissent, annunciabant Iudaeorum reliquiis, quae in Iudaea remanserant, populares suos nunc redituros esse in patriam; Deum iam regni sedem in Sione fixurum esse, ubi hucusque Chaldaei regnaverant. Haec igitur Iesaiae verba non citantur ut vaticinium, sed illustrandi caussa. Nunc etiam, inquit, exoptatissima est res, quod doctores Evangelii ad cu-

iusque generis et conditionis homines mittuntur. Iudaici tamen interpretes hunc locum ad Messiae tempora retulerunt.

16. Ἀλλ' οὐ — εὐαγγελίῳ) In parenthesi legendus est hic versus, vel ita, ut cum praecedente hoc modo cohaereat: Exoptatissimi sunt nuncii Evangelii (permultis sc.) *quamvis non omnes obsequantur* huic doctrinae. Ὑπήκουσαν pro praesenti ὑπακούουσι. Ἡσαΐας γὰρ λέγει) Verba extant Ies. LIII, 1. Non citantur ab Apostolo ut vaticinium, sed illustrandi caussa. Idem fit nunc, quod olim, iam Iesaiae tempore factum est. κύριε—ἡμῶν) *Domine, quis fidem habet doctrinae nostrae?* Quasi diceret *pauci.* Ἡ ἀκοή, hebr. שמועה, est doctrina, quae auribus percipitur, vel potius publica institutio, quae, audientibus aliis, fieri solet.

17. Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς) Sc. γίνεται. *Ergo ad fidem promovendam opus est institutione* publica. ἡ δὲ — Θεοῦ) *Haec vero institutio esse non potest sine verbo Dei*, s. doctrina a Deo patefacta. Verba διὰ ῥήματος Θεοῦ, posita sunt pro: διὰ κηρύγματος τοῦ ῥήματος τοῦ Θεοῦ. Itaque Apostolus denuo muneris Apostolici necessitatem, et doctrinae christianae divinam auctoritatem asserit contra Iudaeos, qui legi Mosaicae soli divinam tribuebant auctoritatem, spreto Evangelio.

18. Ἀλλὰ λέγω, μὴ οὐκ ἤκουσαν;) *Nunc autem quaero, annon audiverint doctrinam Evangelii*, ii nempe Iudaei, qui non obsequuntur? Hanc excusationem non valere, statim subiungit verbis e Ps. XIX, 5.

desumtis: μενοῦνγε—ῥήματα αὐτῶν) *Immo vero vox eorum* (sc. praeconum Evangelii) *in universum orbem exiit, verbaque eorum usque ad remotissimas regiones.* Idem valet de propagatione Evangelii ad omnes populos, quod Davides Ps. XIX, 5. de propagatione cognitionis Dei naturalis per solem et sidera cecinit. Quemadmodum nempe astra totum terrarum orbem collustrant, eoque ipso ubique intelligi potest, esse Deum; sic etiam, quum Apostoli in illustrioribus urbibus fuerint, ibique et praedicaverint et miracula fecerint, inde fama rerum tantarum pervenit ad omnes terras alias, idque sufficit. Nam inde sequitur, Iudaeos et gentes potuisse doctrinam Christi cognoscere, si voluissent. Pro ὁ φθόγγος αὐτῶν in hebraico textu est קוֹם *linea eorum;* LXX interpretes autem legisse קוֹלָם, multorum est sententia. Potuerunt tamen etiam קַוָּם in terpretari ὁ φθόγγος αὐτῶν, nam קַו denotat etiam *nervum sonantem, fides sonoras.* Formulis πᾶσα ἡ γῆ, et τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης non est inhaerendum, quasi Apostolus dicere voluerit: doctrina Evangelii promulgata est omnibus omnino nationibus in toto orbe terrarum; nam historia repugnat, nec fuit haec mens Apostoli, sed hoc voluit, Iudaeos, qui tum reiiciebant doctrinam, et gentes multas potuisse eam cognoscere, si voluissent.

19. Ἀλλὰ λέγω, μὴ οὐκ ἔγνω Ἰσραήλ;) *Porro quaero, num Itraelitae ignorarunt?* cuiusque generis hominibus, omnibus gentibus tradendam esse Evangelii doctrinam? Potuerant Iudaei obiicere, se ne divinando quidem assequi potuisse, si ipsi religionem Messiae recusarent, eandem ad gentes esse transituram. Huic

rationi ita occurrit Paulus, ut simile quid diu a prophetis declaratum fuisse, rursus locis V. T. confirmet. *πρῶτος* Μωσῆς *λέγει*) Moses, qui Davidem, vel Iesaiam (v. 16.) tempore antecedit, hoc dicit. Deut. XXXII, 21. Πρῶτος pro *πρότερος*, refertur ad praecedens testimonium ex Davide, vel potius Iesaia. Semlerus: *prior*, sc. nobis Apostolis. *ἐγὼ — ἔθνει*) *Ego ad aemulationem provocabo vos per Non-populum*, i. e. per populum, qui eo nomine non est dignus, quia nullas, aut malas habet leges. *ἐπὶ ἔθνει — ὑμᾶς*) *Propter populum impium ad iram provocabo vos.* Ἔθνος *ἀσύνετον*, hebr. גוי נבל, *gens impia, profana.* Παραζηλώσω et *παροργιῶ*, hebr. אַקְנִיאֵם et אַכְעִיסֵם, *provocabo eos ad odium et invidiam contra gentes, quibus antea non invidebant.* Moses Israelitis nomine Dei minatur poenas gravissimas, si negligentes forent legum divinarum. Sensus est: Rem ita evenire patiar, ut eos male habet favor insignis, quo gentiles, qui hactenus populus meus non fuerunt, amplexurus sum, dum nempe vincentur ab hostibus. Paulus verba Mosis non citat tanquam vaticinium de vocatione gentium, sed hoc tantum vult, diu praedictum esse, Israelitas non ita esse electos in populum Deo peculiariter proprium, ut aliis gentibus benefacere nolit; fore, ut alii interdum populi longe sint superiores Israelitis, idque iam aliquoties factum, nunc magis quam unquam antea fieri. Factum id erat praecipue in destructione regni Iudaici per Chaldaeos, quam non poterant non Iudaei aegerrime ferre, quippe qui omnes alias nationes longe deteriores iudicarent.

20. Ἡσαΐας *δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει*) i. e. *ἀποτολ-*

μῶν sive παῤῥησιάζων λέγει, *dicere audet*, ingenue profitetur, non metuens furorem Iudaeorum, qui hoc tanquam pessimam calumniam in populum Dei dictam interpretari poterant. εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν) Haec et sequentia verba desumta sunt ex Ies. LXV, 1. ordine inverso, et agunt de reprobatione Iudaeorum, in quorum locum aliae gentes sint transiturae. *Cognoscor ab iis, qui me non curabant.* Εὑρίσκειν τὸν Θεὸν, est Deum *cognoscere et colere*, quemadmodum μὴ ζητεῖν τὸν Θεὸν, Deum non colere, vel curare. ἐμΦανὴς — ἐπερωτῶσι) *Innotui* (per revelationem) *non consulentibus me.* Ἐπερωτᾶν, hebr. שׁאל inprimis de oraculis expetendis dicitur. Potest tamen etiam synonymum esse τοῦ ζητεῖν, *pie colere Deum.* Tum phrasis ἐμΦανὸς ἐγενόμην explicanda est: *beneficiis eos excito ad me colendum, mihique obsequendum.*

21. Πρὸς — λέγει) *De Israelitis vero dicit*, Ies. LXV, 2. Πρὸς, *de, adversus.* Est oratio exprobrantis, et accusantis populum ob suam in impie agendo pertinaciam. ὅλην — ἀντιλέγοντα) *perpetuo benevolentiam meam offero populo non obedienti et refractario. Extendere manus ad aliquem,* est obviis ulnis eum advocare, hinc vero beneficia alicui offerre. Ὅλην τὴν ἡμέραν, כל־היום, *perpetuo.* Hebraicum סורר LXX. interpretes duobus verbis expresserunt ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα, populum non modo non obedientem, sed et contumaciter se opponentem iussis. Vox ἀντιλέγειν apud nostros non de verbis tantum, sed et de rebus usurpatur. Luc. II, 34. Act. XIII, 45.

CAP. XI.

1. Λέγω—λαὸν αὐτοῦ;) *Quaero igitur: num Deus populum suum repudiavit?* Posset aliquis hoc intelligere ita, ut putet, ex mea sententia universum populum Iudaicum exclusum esse a benevolentia divina et beneficiis Messiae, quod absit! Μὴ γένοιτο, haec non est mea sententia. Non universam gentem Iudaicam exclusam esse a benevolentia divina, ostendit nunc Apostolus, partim propter Christianos e Iudaeis, ut eos de tristissima hac gentis suae conditione lugentes quodammodo erigeret, partim propter Ethnico-Christianos, ut iis Iudaeorum fato insolenter insultantibus omnem fastus superbiaeque materiam praecideret; utrosque vero ad pie adorandam Dei sapientiam et benignitatem excitaret atque compelleret. Ἀπωθεῖσθαι, *repellere, abiicere*, deinde vero *negligere, aversari*, quod, quae aversamur, a conspectu nostro soleamus amovere. *Populus* opponitur *certis quibusdam civibus.* καὶ γὰρ—Βενιαμίν) Quasi dicat, si hoc dicerem, omnes omnino Israelitas Deo exosos, iam et ego sine ulla spe salutis essem, et frustra tanta perpeterer. Sum enim et ego non tantum ex Abrahamo ortus, sed et ex Israele, nempe per *Beniaminum.* Designate originem suam explicat, quo minus de ea dubitetur.

2. Οὐκ ἀπώσατο—προέγνω) *Non repudiavit Deus populum suum, quam ab aeterno cognitum habuit.* Eos nempe non reiiciendos decrevit, quos praevidit credituros esse in Christum. Declarat nempe Apostolus, se hic non intelligere eum populum Dei, qui ge-

nus ducat ab Abrahamo, sed eum, qui fide et moribus imitetur Abrahamum. Hunc populum suum Deus non reiicit, sed perpetuo amat et amabit. Cf. c. IX, 6. sq. ἐν Ἠλίᾳ) *In historia Eliae*, in illa parte libri Regum, quae, quod res Elias contineret, ideo metonymice de eius nomine appellatur. ὡς — Ἰσραὴλ) *Dum Israelitas apud Deum hoc modo accusat.* Sicut ἐντυγχάνειν ὑπέρ τινος est *negotium alicuius commendare*, intercedere pro aliquo, ita ἐντυγχάνειν κατά τινος, est *aliquem accusare.* Participium λέγων quod addunt nonnulli, ab optimis codicibus abest. Quemadmodum olim, inquit in sequentibus, tempore Eliae, numerus Israelitarum, qui a Baalis cultu abstinuissent, longe maior erat, quam ipse Propheta crederet, sic etiam nunc satis magnus numerus Iudaeorum servatur, etiamsi paucissimi servari videantur.

3. Κύριε — ἀπέκτειναν) 1 Reg. XIX, 10. 14. Ahabus rex, impulsu reginae Iesebelis, Sidonia stirpe oriundae, multos prophetas interfici iusserat, 1 Reg. XVIII, 4. 13. καὶ τὰ — κατέσκαψαν) *Et altaria tua diruerunt.* Κατασκάπτειν, *suffodiendo evertere, diruere.* Altaria illa, quae eversa dicuntur, ea erant, quae pii in decem tribubus in veri Dei honorem sibi struxerant, ex quo permissi non erant ad templum ire, quo tempore lex de altaribus alibi struendis cessare videbatur. ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου) *Vitam mihi adimere student.* נֶפֶשׁ, ψυχή, *vita.*

4. Ὁ χρηματισμός) *Monitum, s. oraculum divinum.* Χρηματίζειν dicitur de omni ratione, qua Deus aliquid hominibus praeter ordinem significat, ut

Matth. II, 12. Κατέλιπον — τῇ Βάαλ) *Servavi mihi septem millia hominum, qui Baalis imaginem non adorarunt.* Τῇ Βάαλ, i. e. τῇ εἰκόνι τῆς Βάαλ. Baal, idolum Phoeniciorum et Cananitarum, in versione τῶν LXX. in genere masculino ὁ βάαλ (dominus), et ἡ βάαλ (domina) occurrit. Coluerunt illud numen sub imagine tauri, aut vitulae. Imago tauri exprimebat *solem:* imago vitulae aut vaccae exprimebat *lunam*, ut Moloch vocatur rex coeli, *sol*, et *Melechet*, regina coeli, *luna*. Illum a viris, hanc a mulieribus cultam esse existimat *Abarbanel* ad Ier. XLIV.

3. Οὕτως — γέγονεν) *Sic quoque nunc reliquiae*, (i. e. pauci) *servantur per gratuitam Dei benignitatem.* Λεῖμμα idem denotat, quod κατάλειμμα supra IX, 27. *pars populi.* Ἐκλογή, *libertas*, deinde vero *propensa voluntas.* Χάρις, unde fluit ἐκλογή, est Dei bonitas, benignitas, beneficium.

6. Εἰ δὲ — ἔργων) *Sin autem ex beneficio* (sc. Deus nunc servat paucos, in Christum credituros) sequitur, *id non fieri ἐξ ἔργων* sc. τοῦ νόμου, *propter opera*, s. ex merito; non propter observationem legis Mosaicae, per quam Iudaei favorem Dei mereri volunt. Ἔτι hic et mox postea abundat. ἐπεὶ — χάρις) *Alioquin beneficium non esset beneficium*, sed officium, sive debitum, ὀφείλημα, c. IV, 4. Γίνεται, pro ἐστί. εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον) Haec recte desunt in Manuscriptis optimis, nec non in multis Versionibus et Patribus. Ceterum parenthesi includendum est hoc comma; non enim ad universi loci consilium, sed ad solam, quae praecesserat, χάριτος vocem pertinet.

7. Τί οὖν;) Quid igitur ex hactenus dictis sequitur? ὃ ἐπιζητεῖ - ἐπέτυχεν) *Quod maxima pars Israelitarum quaerit, id non consequitur.* Ἰσραὴλ h. l. sunt Iudaei, qui natione et ortu tantum sunt Israelitae, qui autem reiiciunt Messiam. Hi quaerebant benevolentiam divinam, sed operibus suis, et propriis meritis, supra c. IX, 31. X, 3. proptereaque eam non consecuti sunt. Pro τούτου plurimi optimique codices habent τοῦτο, quam lectionem *Koppe* probans, ὁ ad Ἰσραὴλ refert, quasi esset: Ἰσραὴλ ὃ ἐπιζητεῖ (i. e. τὸ ἐπιζητοῦν, καίπερ ἐπιζητεῖ) τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν, *sunt Israelitae, qui magno studio affectant felicitatem in regno Messiae, et tamen non obtinent eam.* ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν) *Melior vero eorum pars consequitur*, sc. benevolentiam divinam, et cum ea coniuncta beneficia divina. Ἡ ἐκλογή, pro ἐκλεκτοί, quemadmodum περιτομήν habuimus supra pro circumcisis. Ἐκλεκτὸν saepe est, quod in re quaque est eximium, *selectum*, ut Matth. XX, 16. οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν) *Reliqui se excoecarunt*, vel *induruerunt*, nempe praeiudiciis suis. Πωρόω ducitur vel a πῶρος, *callus*, denotatque proprie *obducto callo durum reddo*, vel a πωρὸς, *coecus*, ut Hesychius: ἐπωρώθησαν, ἐτυφλώθησαν, sensu eodem.

8. Καθὼς γέγραπται) Deut. XXIX, 3. Ies. XXIX, 10. quae duo dicta commiscet Apostolus. Et nunc plurimos Iudaeos tales esse dicit, quales fuerint olim tempore Mosis et Iesaiae. Ἔδωκεν — ἡμέρας) *Dedit iis Deus animum somnolentum, oculos coecos, aures surdas, usque ad hodiernum diem.* Πνεῦμα κατανύξεως h. l. est *animus sopore sepultus*, i. e.

omnino stupidus et hebes. Apud Iesaiam c. XXIX, 10. רוח תרדמה, quod LXX. vertunt *πνεῦμα κατανύξεως.* Quanquam enim *κατάνυξις* graece *compunctionem* denotat, a *κατανύσσω, pungo;* Hellenistae tamen huic vocabulo *soporis* potestatem subiecerunt, quasi a *κατανυστάζω dormito* repetiissent; quare etiam Ps. IV, 5. *κατανύσσειν* ipsis est idem, quod *κατανυστάζειν*, dormitare. Πνεῦμα, cum vocabulo virtutis aut vitii coniunctum, indicat *indolem, animi affectionem, propensionem ad aliquid.* Πνεῦμα *κατανύξεως* igitur est *somnolentia, der Hang zur Schläfrigkeit,* et significat animi qualitatem, quae plane aliena est a discendo et attendendo. *ὀφθαλμοὺς — ἀκούειν*) Deut. XXIX, 4. Ies. VI, 10. Est hebraica phrasis, pro: *ὀφθαλμοὺς τῆς ἀβλεψίας*, i. e. *οὐδὲν βλέποντας, τυφλοὺς*, et *ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, ἤγουν τῆς ἀνηκοΐας.* i. e. *ἀνήκοα.* Nec oculis nec auribus recte uti volunt. Non desunt media salutis, sed respuunt ea scientes volentesque. *ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας*) Addidit haec Paulus, quia istas Prophetarum querelas ad sua etiam tempora accommodari voluit. Caeterum notum est, Scriptores Orientales Deo tribuere immeditate id etiam, quod non impedit; nos vero, edocti, Deum pro summa sua sanctitate non posse homines ad scelera vitiaque impellere, recte statuimus, talia effata ita esse capienda: Deum ea fieri passum esse, nec impedivisse.

9. Καὶ Δαβὶδ—ἀνταπόδομα αὐτοῖς) *Sed David dicit: Convivium eorum sit iis laqueo et capturae* (fraudi et exitio), *offendiculo et remunerationi.* Ps. LXIX, 23. Καὶ hic vertendum est: *sed.* In Psalmo denunciantur mala his, qui aliquem insignibus malis

vexaverant. Vexatus ille sic loquens introducitur: „*Et dederunt in cibum meum herbam venenatam, et siti meae* extinguendae *bibendum dederunt mihi omphacium.*“ Deinde sequitur: „*Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.*“ (Cf. Scholia ad Ps. LXXI.) Haec Paulus accommodat ad suam rem. Quemadmodum Davides (inquit,) iniustis hominibus denunciat mala, ita et Deus his Iudaeis contumaciam suam erga Messiam rependet. ἡ τράπεζα αὐτῶν, *convivium.* Τράπεζα per meton. cibus, qui mensae imponitur, et convivium ipsum, s. convictus. Παγὶς et θήρα, *laqueus, captura*, sunt synonyma. *Laqueus* metaphorice denotat periculum, insidiae; nam laqueo insidiae fiunt bestiis et avibus. σκάνδαλον, מוקש, quod *muscipulam* s. *decipulam* denotat, a LXX. passim σκάνδαλον vertitur, ut Ios. XXIII, 13. Iud. VIII, 27. et 1 Sam. XVIII, 21.

10. Σκοτισθήτωσαν — βλέπειν) *Fac, ut nihil omnino cernant*, i. e. incidant coecorum instar in mala ipsis parata; nam solet hoc dici de gravibus miseriis, Lament. V, 17. καὶ τὸν — σύγκαμψον) *Fac, ut tergum ipsorum semper incurvetur*, i. e. onera gravia ipsis impone. Idem valet curvare dorsum, quod *lassare*, gravibus impositis oneribus, deinde vero indicatur *servitus*, qualis innumeris Iudaeorum evenit per Titum.

11. Λέγω — πέσωσι;) *Dico vero: num ita lapsi sunt, ut pereundum sit ipsis* (omnibus)? *Num errare et delinquere eos passus est Deus eo consilio, ut sine spe salutis eos redderet miseros?* Negat hoc Apostolus, et docet, eo consilio hoc permissum esse a Deo,

ut eo celerius ad gentes alias perferri possit doctrina Christi, et addit: fore aliquando tempus, quo reliqui, increduli adhuc, Iudaei ad religionem Iesu sint accessuri. *πίπτειν*, per metaphoram *miserum fieri*, *perire*, h. l. ultimam perniciem denotat, sicut *πταίειν*, *impingere*, *peccare*, et in specie contra Messiam peccare incredulitate. *ἀλλὰ τῷ—παραζηλῶσαι αὐτούς*) *Sed potius ipsorum delicto occasio data est gentilibus consequendae salutis, ut per hos ad aemulationem excitarentur* (Iudaei.) *Παράπτωμα* h. l. *ἀπείθεια*, qua Iudaei plurimi Messiam reiecerunt. Hac incredulitate Iudaeorum data est occasio Apostolis annunciandi Evangelium gentibus. Act. XIII, 46. 47. Apparuit hac ratione, nullam iniuriam Iudaeis a Deo fieri, quod gentes vocaret ad ea, quae ipsi repudiaverant. Contra, si Iudaeorum pars maxima in Christum credidisset, ea obstitisset, ne gentes, nisi circumcisae et legi Mosis subditae, ad corpus ecclesiae reciperentur Act. XV, 1. XXI, 20. Nunc vero multo minor pars quum essent Iudaei, legem dare ceteris non potuere. Sed nunc vicissim gentiles ad Christum conversi *παραζηλῶσαι*, i. e. ad *aemulationem excitare* poterant Iudaeos, ut et ipsi Messiam amplecterentur.

12. *Εἰ δὲ — κόσμου*) Sc. *ἐγένετο*, i. e. *εἰ διὰ παραπτώματος αὐτῶν ἐπλουτίσθη (ἐσώθη) ὁ κόσμος. Si vero delictum eorum*, quo fidem Christo denegarunt, *res saluberrima fuit gentibus. Τὸ παράπτωμα*, eodem sensu quo v. 11. *Πλοῦτος* per hebraismum h. l. est *emolumentum*, *commodum*, *felicitas*, *res longe saluberrima*, ut Hebr. XI, 26. *Κόσμος*, *homines*, qui in mundo sunt, gentiles, oppositi Iudaeis. *καὶ τὸ—*

ἐθνῶν) *Si paucitas eorum emolumento fuit gentibus*, vel: *si eorum conditio deterior salutaris fuit gentibus.* Ἥττημα est vel *paucitas*, vel *conditio deterior*, *clades.* Huc referri quodammodo potest locus Ies. XXXI, 8. οἱ δὲ νεανίσκοι ἔσονται εἰς ἥττημα, i. e. *vincentur*, *prosternentur* ab hostibus. Illa incredulitas multitudinis, et paucitas Iudaeorum credentium facta est opulentia gentium, quia occasionem istam arripuit Deus gentes vocandi. πόσῳ — αὐτῶν;) *Quanto magis eorum* (Iudaeorum) *multitudo* exemplo suo ac doctrina alios adhuc e gentibus ad fidem perducet? Hebraicum מלא LXX. non tantum πλήρωμα reddunt, sed interdum etiam πλῆθος, ut Gen. XLVIII, 19. Est igitur πλήρωμα h. l. *multitudo.* Dictum est hoc Christianis e gentibus, ne iudaicam gentem spernerent.

13. Ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν) *Vobis Christianis e gentibus hoc dictum esto.* Commata 13. et 14. in parenthesi legenda sunt. Perpendere eos iubet, quanta felicitate fruantur, dum interea Iudaeorum magna pars peccet, sibique noceat. Ἔθνη vocat eos, qui fuerant gentiles. ἐφ' ὅσον — δοξάζω) *Quum ego sim gentilium Apostolus, honori duco mihi administrationem muneris mei.* Ἐφ' ὅσον, *quatenus*, *in quantum*, vel subaudito vocabulo χρόνον, *quamdiu*, Matth. IX, 15. Ἐθνῶν ἀπόστολος, ex Christi mandato Act. IX, 16. Gal. II, 7. Apostolum *gentium* se dicit Apostolus, non quod non et Synagogas, et quidem primo semper loco adierit, sed quod praecipue in ea loca se conferret, ubi plurimi essent gentiles. Δοξάζειν τὴν διακονίαν, *celebrare*, *laudare munus*, honorem sibi quaerere ex muneris administratione.

14. Εἴπως — ἐξ αὐτῶν) *Si fortasse consanguineos meos ad aemulationem excitem, et ad salutem adducam.* Ἡ σάρξ h. l. per Hebraismum consanguineos vel *gentem* denotat, ut בשר Ies. LVIII, 7. Exemplo suo monet Christianos ex gentibus, ut et ipsi optent, et quantum in ipsis sit, promoveant conversionem Iudaeorum. Equidem, inquit, libenter gentibus Evangelium annuncio, et gaudeo de muneris mei successu, sed gentem meam adeo non despicio, ut potius salus eius mihi maxime sit curae cordique. καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν) *Et ad salutem aeternam* s. ad religionem christianam *adducam.* 1 Cor. VII, 16. IX, 22.

15. Εἰ γὰρ — κόσμου) Sc. ἐστὶν s. ἐγένετο. *Quum enim reiectio eorum occasionem dederit, ut multi ex gentibus Deo reconciliarentur.* Εἰ, *quum*, Io. XIII, 32. Act. IV, 9. Ἀποβολή, *reiectio*, per metonymiam effectus pro caussa, est *contumacia* Iudaeorum, propter quam a Deo reiecti sunt, idem quod παράπτωμα v. 11. 12. et ἀπιστία, v. 20. Καταλλαγή, *occasio reconciliationis*, sc. cum Deo. τίς ἡ — νεκρῶν;) *Nonne receptio eorum futura esset quasi vita ex mortuis*, i. e. exoptatissima, et allatura gentibus etiam maxima commoda? *Resurrectio ex mortuis* metaphorice denotat magnam et laetam rerum conversionem, maximam felicitatem. *Ter.* Hecyra V, 4. *Egone qui ab orco mortuum me reducem in lucem feceris, sinam sine munere a me abire?* Πρόσληψις contrarium est τῇ ἀποβολῇ, *receptio in Dei favorem*, quam praecedere debet conversio ad Christum.

16. Ostendit Apostolus etiam Iudaeis reliquis adi-

tum patere ad gratiam Dei, si ad Christum convertantur, et ad hanc rem illustrandam utitur nonnullis similitudinibus. εἰ δὲ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα) Sc. ἅγιον ἐστι. *Si primitiae sunt sanctae* (Deo consecratae), *etiam massa est sancta*, i. e. humano usui permissa. Ἀπαρχή, *primitiae*, תרומה quae offerebantur e fructibus terrae Israeliticae ad usus hominum iam praeparatis, quibus oblatis, omnes cibi e fructibus huius anni praeparati, erant sancti, i. e. sine peccato iis vesci licebat. Num. XV, 17—21. Cum *primitiis* comparat Apostolus eos, qui primi crediderunt in Christum, et fuerunt Iudaei: cum *massa* comparat reliquos Iudaeos, nondum conversos. Sensus igitur est: *Quum multi Iudaei per fidem in Christum iam sint oblati* vel consecrati *Deo, etiam reliqua pars populi recte potest vocari ad regnum Christi.* Alii per τὴν ἀπαρχὴν intelligunt patriarchas, primos gentis auctores, Abrahamum, Isaacum et Iacobum, et per τὸ φύραμα omnem reliquam populi multitudinem, distinctam a primis huius gentis auctoribus. Pari modo ex eorundem sententia in sequentibus ἡ ῥίζα sunt auctores gentis, et οἱ κλάδοι sunt eorum posteri; ut sensus sit: Si Patriarchae Deo fuerunt sacri, posteri etiam eorum sunt, vel esse possunt Deo sacri. Aliis *stirps* non est unus Abrahamus vel Patriarchae, sed *universa gens Iudaica*, quatenus olim fuerat populus Deo peculiaris s. *ecclesia Iudaica.* Tum sensus esset: Si universa gens recte potest vocari populus Dei, etiam singula eius membra nunc possunt per fidem in Christum consecrari Deo. *Koppe: Populus ex parentibus sanctis stirpem ducens ipse est sanctus.*

17. Εἰ—ἐξεκλάσθησαν) *Quamvis autem quidam rami defracti sunt.* Utitur voce agricolarum, qui inutiles ramos defringunt; sic etiam Iudaei increduli tunc temporis a iuribus populi Dei exclusi sunt. Euphemismus est, cum dicit *quidam* pro longe plurimis. σὺ δὲ—ἐν αὐτοῖς) *Tu autem, qui oleaster eras, stirpi istorum insitus es.* Unum aliquem gentilium alloquitur pro omnibus. Ἐν αὐτοῖς, i. e. positus es inter ramos illius arboris. Ethnici comparantur *surculis feris, miti arbori insitis.* Ἀγριέλαιος, s. ipsa *olea agrestis*, s. subintellecto κλάδος, *oleae agrestis surculus.* Ἐγκεντρίζειν proprie est *stimulare*, diciturque de equis per calcaria stimulandis; hinc ad *insitionem surculorum* nobiliorum accommodatur. Indicatur hac similitudine coniunctio gentilium cum vero populo Dei, ecclesia christiana nempe, quae ab initio nonnisi ex Iudaeis constitit. καὶ συγκοινωνὸς—ἐγένου) *Et pinguedinis ex radice olivae profluentis particeps factus es.* Est Hendyadys, pro: τῆς πιότητος τῆς ῥίζης τῆς ἐλαίας; nam a radice succus ad ramos diffunditur, et proprie id convenit oleae, Iud. IX, 9. Indicantur vero pinguedine radicis praecipua Israelitarum bona, et inprimis promissa, quae Deus fecit Abrahamo. Sensus: *Vos gentes in societatem venistis promissae olim Iudaeis tantum felicitatis.*

18. Μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων) *Noli despicere ramos* defractos, multo magis adhuc adhaerentes, i. e. absit, ut Iudaeos despiciatis vobisque inferiores existimetis. οὐ σὺ—ῥίζα σέ) Supple ante haec verba: *Cogitare debes. Scire debes, quod non tu stirpem sustentas, s. alis, sed stirps te alit;* i. e. vos gentiles

cogitetis, salutem vobis oblatam a Iudaeis ad vos pervenisse, non autem vice versa.

19. Ἐρεῖς οὖν) *Dicis igitur.* Verba ponit Christianorum quorundam ex gentibus, sicut ante Iudaeorum posuit. ἐξεκλάσθησαν — ἐγκεντρισθῶ) *Defracti sunt rami, ut ego insererer.* Deus, Iudaeos abiiciendo, mihi locum fecit. Ergo potior sum Iudaeis.

20. Καλῶς) *Bene*, dixisti scilicet. Formula dictum approbantis, ut et εὖ, εὖγε, καλῶς γε. Τῇ ἀπιστίᾳ. pro τῆς ἀπιστίας ἕνεκα, quia Messiam repudiarunt. τῇ πίστει ἕστηκας) i. e. per fidem divino favore frueris, 1 Cor. X, 12. Ἕστηκας, nempe ἐν τῇ ἐλαίᾳ. μὴ ὑψηλοφρόνει) *Ne superbias*, cf. infr. XII, 16. ἀλλὰ φοβοῦ) *Sed modestus esto.* Nam φόβος hic opponitur superbiae, et significat *humilitatem, modestiam.*

21. Εἰ γὰρ — φείσηται) *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, cave tibi, ne fortasse nec tibi parcat*, i. e. Quum enim Deus non pepercerit Iudaeis, qui propter genus ab Abrahamo et Patriarchis pertinerent ad populum Dei; nunc supplendum est: φοβοῦ, *cave tibi.*

22. Ἰδὲ οὖν — Θεοῦ) *Considera igitur benignitatem et severitatem Dei.* Ἀποτομία, *severitas, durities.* Sic *Plutarchus de educat. lib.* ἀποτομίαν opponit τῇ πραότητι, dicens: δεῖ τοὺς πατέρας, τὴν τῶν ἐπιτιμημάτων ἀποτομίαν τῇ πραότητι μίγνύναι, *patres reprehensionum severitatem mansuetudine temperare oportet.* Κρίσις ἀπότομος, *sententia, s.*

poena severa legitur Sap. VI, 5. Ἐπὶ μὲν ἐκκοπῇσῃ) *Severitatem quidem erga eos qui peccant; benignitatem vero erga te, si modo dignum te praebueris benignitate; alias tu etiam resecaberis.* Post χρηστότητι suppleri debet Θεοῦ, ut sensus sit: Si Dei bonitatem retineas, s. ea recte utaris, ut Act. XIII, 43. ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ) *Alioquin et tu excideris*, i. e. ex populo Dei excluderis. Ἐπεὶ, *alioqui*, ut v. 6.

23. Καὶ ἐκεῖνοι — ἐγκεντρισθήσονται) *Contra autem illi* (Iudaei), *si fidem* Christo *pertinaciter denegare desierint, stirpi* populi Dei *rursus inserentur*, vel potius *inseri poterunt. Possunt* gentiles iterum reiici propter incredulitatem, Iudaei vero iterum *recipi* per fidem. Δυνατὸς γάρ ἐστιν, i. e. δύναται γάρ. Nihil est praeter incredulitatem, quod Deum impediat, eos rursum pro suis adsumere, et paterne tractare.

24. Εἰ γὰρ σὺ — ἐλαίᾳ) *Si enim tu, ex oleastro tibi naturali resectus, et praeter naturam insitus es in oleam cultam, quanto magis hi naturales* (rami) *inserentur oleae suae?* Sensus est: Quum tu, separatus ab illa gente, Deorum cultui dedita, in qua natus es, additus fueris populo Dei, non per natales, sed divino beneficio: quanto magis hi, qui nati sunt in illo populo, rursus in eum recipi, denuo huic coetui addi possunt?

25. Οὐ γὰρ — εἰσέλθῃ) *Nolo enim vos ignorare, o carissimi, arcanam hanc rem, ne vobis nimis placeatis, nempe duritiem illam ex parte populo Israelitico accidisse, usque dum magna multitudo genti-*

lium accesserit (ad coetum Christi). Μυστήριον est *res arcana*, quam homines, nisi Deo dante, scire nequeunt, ut 1 Cor. XV, 51. et dicitur etiam de hominum arcanis, Tob. XII, 6. Iudith II, 2. ἵνα μὴ — Φρόνιμοι) i. e. ne existimetis, vos esse ita prudentes, ut vestro ingenio possitis, quae futura sunt, praenoscere; vel, ut *Beza* explicat, *ne intus insolescatis*, ut Φρόνιμος non ad prudentiam, sed ad affectum referatur. ὅτι πώρωσις — γέγονεν) *Quosdam Israelitas se excoecasse.* De voce πώρωσις cf. v. 7. Ἀπὸ μέρους, opponitur τῷ πᾶς, v. 26. Πλήρωμα, *ingens multitudo.* Gen. XLVIII, 19. מלא־הגוים vertitur πλῆθος ἐθνῶν. Hesychius: πλήρωμα, πλῆθος. Εἰσέλθῃ sc. εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Χριστοῦ. Deut. XXIII, 2. 4.

26. Καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται) *Tum vero plerique Israelitarum servabuntur*, liberabuntur ἀπ' ἀπιστίας. Καὶ οὕτω, pro καὶ τότε, καὶ ἔπειτα. Sic ap. Theophrast. Charact. c. 18. Πᾶς Ἰσραὴλ, cuius futura salus praenunciatur, opponitur τῷ μέρει, v. 25. i. e. *illi parti* populi Iudaici, quae primis christianorum sacrorum temporibus in rebellione adversus Christum perseveravit. Πᾶς Ἰσραὴλ) Inde orta est opinio, fore aliquando universae gentis Iudaicae conversionem ad religionem christianam, et quidem conversionem simultaneam (eine allgemeine Iudenbekehrung); fore ut omnes, qui sunt eodem tempore in orbeterrarum Iudaei, vi divina, miraculo divino perducantur ad religionem christianam. Sed πᾶς saepe est *maxima pars*, πάντες, *plerique*, *multi*, ut 1 Cor. VIII, 1. coll. v. 7. 1 Cor. VI, 22. Non definitur, *quando* id sit eventurum, an sit eventurum eodem tempore, aut per longum temporis de-

cursum. Quanquam enim v. 25. tempus definiri videtur, ubi dicitur, Iudaeos fore contumaces *donec copia gentilium se adiunxerit coetui christiano;* tamen iterum non definitur, *quanta* futura sit haec copia. Ergo nihil aliud praedicitur nisi hoc: maximae parti gentis Iudaicae destinatam esse magnam moralem felicitatem. Sed alii hoc concedere nolunt, et vertunt verbum σωθήσεται: *servari poterit*; cui sententiae vero obstare videntur vaticinia v. 26. 27. allata. Accedit, quod talem rem, quae per se patet, usuque venit, Apostolus non fuisset dicturus μυστήριον v. 25. Restat igitur ut sermo sit de conversione magnae partis Israelitarum, quae eodem iure μυστήριον dicenda sit, quo gentilium conversio infra XVI, 25. et Eph. III, 4—6. Ob easdem et alias rationes πᾶς Ἰσραὴλ non potest accipi *improprie* de *Christianis* ex Iudaeis Ethnicisque collectis. Secundum *Wetstenii* aliorumque sententiam, aut Paulus non eventum praedicit, sed consilium Dei indicat, aut potius loquitur de magna Iudaeorum turba, quae paulo post, eversa republica et combusto templo, ad Christum accessit. καθὼς γέγραπται) Ies. LIX, 20. 21. Ἥξει—Ἰακώβ) *Veniet e Sione liberator, qui avertet perversitates a Iacobitis.* Ὁ ῥυόμενος גאל, σωτήρ, *Messiae* nomen. *E Sione*, i. e. *ex gente Davidica*, cuius erat arx in monte Sione exstructa. Pro ἐκ Σιὼν LXX. interpretes habent ἕνεκα Σιὼν, hebr. לציון. Fortassis ex liberariorum culpa ex ἕνεκα factum est ἐκ. καὶ—Ἰακώβ) *Et impietatem posterorum Iacobi tollet* s. *delebit.* Hebraicus textus habet: ולשבי פשע ביעקב *et revertentitibus a peccato in Iacob.* LXX. vero vel loco verbi

ולשבי lagerunt וַיָּשִׁיבוּ, vel certe ita explicandum putarunt.

27. Καὶ αὕτη — αὐτῶν) *Et hoc est promissum illud, quod ipsis praestabo, quando condonavero ipsis peccata.* Ies. LIX, 21. Ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, *meum promissum*, sicut Phil. IV, 18. τὰ παρ' ὑμῶν, *vestra.* Hoc autem loco διαθήκη est ipsa promissionis impletio. Verba: ὅταν — αὐτῶν, Paulus addidit ex Ies. XXVII, 9. Est autem *condonare peccata*, e miseria quavis, quae ex peccatis oritur, homines liberare. Quod ad hunc Iesaiae locum attinet, praedicitur, venturum esse aliquem nationis liberatorem. Hoc sine dubio iam evenit tum, quum venit Messias, multosque Iudaeorum abstraxit ab ἀπιστίᾳ. Hinc autem concludit Paulus, id porro etiam futurum esse, ut quemadmodum tum, quum Iesus in terris apparuit, nationi venit liberator, ita et porro huic genti contingat liberatio a perversitate.

28. Κατὰ — πατέρας) *Quod quidem ad Evangelium attinet*, (Iudaei) *adversarii sunt, propter vos, quatenus autem sunt electus populus Dei, cari sunt propter maiores.* Iudaei sunt ἐχθροὶ, sc. ipsi Evangelio, vel, ut alii volunt: adversantur Deo, et quidem δι' ὑμᾶς, vobis Ethnicis commodo et utilitati. Ἐκλογὴ h. l. est illud beneficium divinum, quo Deus Israelitas sibi peculiarem suum populum elegit. Ἀγαπητοὶ. sc. Θεοῦ εἰσι. Διὰ τοὺς πατέρας, maiorum caussa, quos amabat Deus; quorumque caussa etiam posteris se bene facturum esse promisit. Quum, inquit Apostolus, Iudaei sint populus in maioribus suis a Deo electus, eique inprimis carus, utique servari possunt,

atque adeo a Deo servabuntur, si mores maiorum imitentur.

29. Ἀμεταμέλητα — Θεοῦ) *Non enim poenitet Deum donorum et beneficiorum suorum.* Κλῆσις semper connotat clementiam et amorem, uti καλεῖν, et saepe potest explicari per *beneficia divina*, 1 Cor. VII, 10. 2 Petr. V, 10. Sermo hic est de dono quodam absoluto, ut loqui solent, quum Deus promisit, et quidem propter patres, quorum hic iam praecessit mentio, se nunquam internecione extincturum Iudaeos, sicut alios saepe populos extinxit. Levit. XXVI, 44. Ierem. XXX, 11. Deinde etiam promisit Deus, se nunquam toti isti populo praecludere velle vias, per quas ad resipiscendum adduci possit. Aliter se res habet cum donis Dei conditionatis, in quibus Deo tribuitur poenitentia secundum nostrum loquendi modum. Ier. XVIII, 7. 8.

30. Ὥσπερ—ἀπειθείᾳ) *Sicut enim vos olim Deo non obedivistis, nunc autem Christiani facti estis occasione incredulitatis eorum* (sc. Iudaeorum). Ὑμεῖς, sc. *Christiani e gentibus.* Ἠπειθήσατε τῷ Θεῷ, *relicto vero Deo, secuti estis et coluistis idola.* Νῦν δὲ ἠλεήθητε, *nunc autem gratia divina vocati* (Christiani facti) *estis.* De vocatione ad religionem Christianam explicanda est h. l. vox ἐλεεῖν, qua utitur Apostolus eo consilio, ut declaret, omnia a benignitate divina pendere, nihil propriis hominum meritis esse tribuendum. Τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, i. e. διὰ τὴν τούτων ἀπειθ. occasionem nacti illorum (Iudaeorum) incredulitate.

31. Οὕτως καὶ—ἐλεηθῶσι) *Sic et illi* (Iudaei) *nunc increduli sunt, ita tamen, ut beneficio quod vobis contigit, excitari possint, ad eandem felicitatem quaerendam.* Sic vertenda sunt haec verba, si post ἠπειθήσαν ponitur comma. Alii τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει iungunt superiori ἠπειθήσαν, et vertunt: *vestrae saluti;* quae res in salutem vestram cessit. Sed priorem rationem praefero. Ex eo igitur, quod Iudaei adhuc sunt increduli, haud sequitur eos aeternum iri reprobatum.

32. Συνέκλεισε—ἐλεήσῃ) *Permisit enim Deus omnes immorigero sensui, eo eventu, ut omnibus exhibeat favorem.* Οἱ πάντες h. l. non sunt singula hominum individua, sed Iudaei et Gentiles, duae illae partes generis humani. Συγκλείειν τινὰ ὑπό τι est *tradere aliquem alicui rei*, ut hebraicum הסגיר cum ב et ל constructum: deinde vero est etiam aliquem *permittere* alicuius potestati, quemadmodum etiam παραδιδόναι interdum hoc sensu occurrit, quod LXX. saepe pro הסגיר ponunt, ut Deut. XXIII, 16. XXXII, 30. ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ) intelligendum hoc non τελικῶς, sed ἐκβατικῶς. Cuius tandem incredulitatis is erit exitus, ut benignitatem suam omnibus ostendat.

33. Ὦ βάθος — Θεοῦ) *O immensam bonitatem, et sapientiam et cognitionem divinam!* Βάθος tribuitur his proprietatibus divinis ob immensam magnitudinem, quare Hesychius τὰ βάθη exponit τὰ ἀχώρητα, τὰ ἀκατάληπτα. Eam etiam ob caussam τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ vocantur consilia Dei (1 Cor. II, 16.), quia nemo ea scire potest, nisi Deus detexerit. Πλοῦτος

hic intelligenda abundantia, nempe bonitatis, quod nomen additur supra II, 4. Impenetrabilis est bonitas divina in hac re, quod Deus olim gentium, deinde Iudaeorum contumaciam tam diu pertulit; impenetrabilis *sapientia*, quod gentes non vocavit, nisi post ostensam mundo Iudaeorum contumaciam; impenetrabilis *scientia* Dei, quod gentiles quidem miraculis nunquam antea auditis, Iudaeos vero partim invidia, partim summis calamitatibus ad se pertraxit. ὡς ἀνεξερεύνητα — ἐδοὶ αὐτοῦ) *Quam imperscrutabilia sunt eius decreta, et quam impervestigabiles rationes, quibus decreta sua exsequitur!* Κρίματα vocat Dei decreta, משפטים Ps. LXXII, 1. aut universe *Dei imperium, providentiae regimen*. Per *vias* autem, דרכים intelligit rationes illas, per quas decreta sua Deus ad exitum perducit. Sensus est: Neminem perscrutari posse decretorum divinorum caussas et rationes: neminem pervestigare modum, quo Deus decreta sua exsequatur. Deum id, quod assequi vult, assequi optimo modo, eoque longe superante nostram diiudicandi et inveniendi facultatem.

34. Τίς — ἐγένετο;) *Quis novit mentem Dei?* consilia divina? *aut quis consilium dedit sapientissimo?* Desumta sunt haec ex Ies. XL, 13. 14. Reges terreni habent consiliarios, qui intima ipsorum noverint. At Deus ad sua consilia homines non admittit. Non potest igitur eius providentia nec ingenio humano penetrari, nec adiuvari consiliis humanis. Scimus quidem consilia Dei quaedam, sed a Deo patefacta, et ea ipsa exigua sunt pars consiliorum Dei.

45. Ἢ τίς — αὐτῷ) *Aut quis prior exhibuit aliquid, ut vicem reddere debeat?* Multi existimant, respici his verbis ad Iob. XLI, 3. Quasi dicat Apostolus: Si cui rationes divinae dispensationis a me hactenus allatae non satisfaciunt, cogitet, de beneficiis distribuendis, non de meritis remunerandis hic agi, nec posse ab hominibus rationes perspici, cur Deus hos homines aliis praeferat. Deus nemini hominum quicquam debet.

56. Ὅτι — πάντα) *Nam ipse est omnium rerum auctor, conservator et gubernator; ad eum omnia spectant*, vel referenda sunt. Τὰ πάντα ἐξ αὐτοῦ sc. ἐστὶ, *ipse est auctor omnium rerum.* Sunt omnia δι' αὐτοῦ, *omnia per eum conservantur et gubernantur.* Omnia sunt εἰς αὐτὸν, conferunt ad consilium Dei, inserviunt eius consiliis, ei quovis modo subsunt, ideoque faciunt et vergunt ad eius agnitionem, admirationem, venerationem, ac debent etiam huc vergere. Πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ. Πάντα refertur ad omnia illa, quae in mundo fiunt, inprimis vero ad totam illam rem, de qua hactenus egerat Apostolus. Ab ipso omnes homines ad salutem vocantur, per ipsum bona accipiunt, idque ut ipsum honorent. Alii discrimen inter formulas ἐξ αὐτοῦ — αὐτὸν) non anxie quaerendum, sed cumulatas particulas vehementiori animi affectui tribuendas esse existimant, ut sententia sit: *Ab ipso omnia pendent.* Sic *M. Antonin.* IV, 23. ὦ Φύσις, ἐκ σοῦ πάντα, εἰς σὲ πάντα. Sed hic locus noster non debebat conferri cum his *M. Antonini* verbis, quum ab eo, quippe scholae Stoicae philosopho, dicantur omnia ex materia quadam ortum habuisse, omnia in ea

ut partes in toto, esse, omnia denique dissolvi, et ita reverti ad materiam. Eidem philosopho ex eiusdem scholae placitis, princeps materia, divinitatem habens, est aether, in quam tandem omnia dissoluta sic reditura sint, ut totus mundus ignescat, sive aether fiat. *Cic.* de Nat. D. 2, 46. *αὐτῷ—ἀμὴν*) Quaecunque Deus agit, non a nobis diiudicanda, sed cum veneratione et laude excipienda sunt. Similia epiphonemata habuimus bis supra I, 25. IX, 5.

CAP. XII.

1. **Π***αρακαλῶ — Θεοῦ*) *Hortor igitur vos, fratres, propter insignia haec beneficia, quae benignitati divinae debetis.* Sequitur pars huius epistolae *paraenetica*, in qua hoc tanquam primum ponit Apostolus, obstrictos esse Christianos ad vitam tantis beneficiis divinis dignam. *Οἰκτιρμοὶ*, רחמים, per meton. caussae pro effectu, insignia illa beneficia, quae misericordiae Dei debemus. *παραστῆσαι—τῷ Θεῷ*) *Ut vos ipsos Deo consecretis, tanquam victimas vivas eidemque sacras et acceptas.* Παραστῆσαι, הקריב, alias *προσφέρειν*, quam vocem habes de holocaustis, Levit. I, 2. et sequentibus. Et *θυσία* nomen generale *κατ' ἐξοχήν*, dicitur de holocausto, ideoque עולה vertitur *θυσία*, Exod. X, 25. XXIX, 42. aliisque locis; *ζῶσα* autem, quia non iam corpus mortuum, ut olim Iudaei, sed nos ipsos vivos Deo offerre debemus. Τὰ *σώματα ὑμῶν*, per Synecd. part. pro toto, *vos ipsos*, ut 1 Cor. VI, 15. qua phrasi h. l. utitur, quia de immolatione sermo est. *Sanctum* in lege dicitur, quicquid Deo

oblatum est, quod vero sine vitio esse debebat, Levit. I, 3. 10. quanto magis homines christiani a vitiis repurgati debent se dicare Deo? Hortatur itaque Apostolus Christianos, *ut totam vitam consecrent Deo, eiusque voluntati toto animo omnibusque viribus obsequantur.* τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν) *Qui sit vester cultus divinus mente et animo* (non solo corpore) *praestitus.* Λατρεία, עבדה Levitica erat δι' ἀλόγων, i. e. per pecudes; nostra debet esse λογική, i. e. νοητή, πνευματική. Opponitur ritibus et cerimoniis, etiam ab iis, quorum animus non purgatus erat, servari solitis, 1 Petr. II, 2. Malach. I, 11. Non multum sensu differt *Koppii* explicatio, qua λατρεία est *sacrificium ipsum*, et λατρ. λογική, (oppositum θυσίᾳ ζώων ἀλόγων) *sacrificium mente animoque offerendum*, verba autem τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν, sunt pro: ὑμᾶς αὐτοὺς ὡς λογικὴν λατρείαν, i. e. τὸν νοῦν ὑμῶν, ὥσπερ λατρείαν, *vosmet ipsos, vestram ipsorum mentem, ceu sacrificium.*

2. Καὶ μὴ — τούτῳ) *Nec conformate vos ad pravos mores hominum huius aetatis.* Αἰὼν, עולם, *seculum*, vel potius homines huius seculi vel aetatis: praecipue vero gentiles a Iudaeis vocati sunt עולם. Eph. IV, 17. συσχηματίζεσθαι *imitari alterum*, sive serio id fiat, sive simulate. 1 Petr. I, 14. ἀλλὰ — τοῦ νοὸς ὑμῶν) *Sed aliam personam induite emendatione animi vestri.* Μεταμορφοῦσθαι proprie est *transfigurari*, et usurpatur etiam de moribus. Seneca epist. 6. *Sentio non emendari me tantum, sed transfigurari.* Duo igitur requirit Apostolus, ut externos mores mutent, et animum emendent, quae animi emendatio mu-

tationem externorum morum in melius praecedere debet. *εἰς τὸ δοκιμάζειν — τέλειον*) *Ut exploretis* (et probetis), *quid Deus velit* (a vobis fieri), *quid sit bonum*, (Deo) *acceptum*, *et homine ad perfectionem adspirante dignum.* Ostenditur, quo modo melior animi sensus se prodere debeat. Post *θέλημα Θεοῦ* ponendum esse videtur comma. Est autem *θέλημα Θεοῦ* id, quod Deus vult ab hominibus fieri, quod postulat. Τὸ *ἀγαθὸν*, *rectum*, *honestum* etc. Τὸ *εὐάρεστον*, sc. *Θεῷ*. Τέλειον, i. e. *ἄμωμον*, *labe carens*, idem quod *ἀγαθὸν* Iac. I, 4. 17. Vulgo epitheta *ἀγαθὸν*, *εὐάρεστον* etc. iunguntur *τῷ*: *θέλημα Θεοῦ*. Tum *τέλειον* est perfectum, quod omnes suas partes habet.

3. Λέγω — *ἐν ὑμῖν*) *Moneo enim quemlibet vestrum pro auctoritate muneris apostolici mihi demandati.* Λέγειν h. l. est *monere*, *iubere.* Ἡ *χάρις* h. l. munus apostolicum ex gratia Dei demandatum. Meton. caussae pro effectu. Παντὶ *τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν*, i. e. *ἑκάστῳ ὑμῶν.* Commendat nunc Apostolus *singularum* virtutum christianarum studium, inprimis *modestiae*, quae tum negligebatur praesertim ab iis, qui sapientia, vel muneris dignitate prae aliis excellere videbantur. *μὴ — Φρονεῖν*) *Ne quis superbiat*, *vel immodeste de se sentiat.* Paranomasia: *ὑπερΦρονεῖν*, *σωΦρονεῖν*. *Φρονεῖν*, *studium habere alicuius rei*; *ὑπερΦρονεῖν*, *immoderato studio esse*, nempe eminendi studio: Παρ' *ὃ δεῖ Φρονεῖν*, *studium habere contra quam oportet*, contra normam; ergo illicitum studium. Est mera periphrasis verbi *ὑπερΦρονεῖν*. Ἀλλὰ — *σωΦρονεῖν*) *Sed ut modeste de se sentiat.* Σωφρονεῖν, h. l. significat *moderatum esse.* Idem est, ac si di-

xisset: *Φρονεῖν σωφρόνως.* Vetus Latina: *sapere ad sobrietatem.* *ἑκάστῳ — πίστεως*) Est hic transpositio, pro: *ὡς ἑκάστῳ*, qualia multa apud Paulum. *Uti Deus cuivis mensuram aliquam scientiae tribuit.* Πίστις, ut *Morus* ad h. l. monet, nunc est *scientia religionis*, persuasio de religione, et facultates, qualitates huic scientiae annexae. — Quivis itaque de se sentiat convenienter gradui scientiae, persuasionis (der Ueberzeugung), et bonorum inde nexorum, quem a Deo accepit. Nunc sequuntur exempla.

4. *Καθάπερ — πρᾶξιν*) *Quemadmodum enim in uno eodemque corpore multa membra habemus, sed omnia membra non unam eandemque functionem habent.* Frequens est apud omnes scriptores comparatio corporis humani cum corpore sociali, quale est corpus reipublicae, ad quod similitudinem corpore humano deduxit *Menenius Agrippa*, ea oratione, quam habet *Livius* Lib. II. Tale est ecclesiae christianae corpus, cui similitudines ab humano corpore sumtas aptat Apostolus, non hic tantum, sed et 1 Cor. XII, 12. seqq. Eph. IV, 25. V, 50. *Πρᾶξιν* dixit Paulus per meton. *functionem*, quod ministerium dixit *Menenius*, indicata iam oratione.

5. *Οὕτως — μέλη*) *Sic universa multitudo Christianorum unum quasi corpus efficit, alter autem alterius quasi membrum est.* *οἱ πολλοί*, sc. *πιστεύοντες. Nos credentes, qui multi sumus.* *ἓν σῶμα ἐν Χριστῷ*, corpus unum, Christo iunctum, *σῶμα οὗ ἡ κεφαλὴ Χριστός*, vel *respectu Christi*, societas christiana. *Καθ' εἷς* usurpatur sermone quotidiano; quanquam

κατὰ Nominativo iunctum est contra grammaticam. Alibi dicitur καθ' ἕνα, vel ὁ καθ' ἕνα ἕκαστος, *singuli*. Cf. Marc. XIV, 19. Ut bene sit ecclesiae christianae, Paulus inquit, magna opus est virium et facultatum varietate, iunctoque omnium usu.

6. Ἔχοντες – διάφορα) *Utimur vero donis, pro beneficio nobis exhibito, variis.* χάρις, *beneficium.* Nonnulli haec verba ad proxime superiora ὁ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη referunt, ut sit ἔχοντες δὲ pro καίπερ ἔχοντες, *quantacunque demum donorum munerumque varietate invicem differamus.* εἴτε — πίστεως) i. e. εἴτε προφητείαν ἔχει τις, ἐχέτω αὐτήν, s. χράσθω αὐτῇ κατὰ τὴν ἀναλογίαν πίστεως. *Si quis facultate singulari docendi sit instructus, utatur ea pro portione doni accepti.* De prophetis inter primos Christianos cf. *Koppii* Excurs. III. in Epist. ad Ephesios. Προφήτης, נביא, in genere est, quisquis cum Deo singulari quadam ratione est coniunctus, cui Deus revelat, quae antea ei parum cognita fuerant. Exinde varias accipit significationes, ut denotet hominem, qui profert vaticinia, vel arcana aliorum hominum consilia retegit, vel subito spiritus divini impulsu ad docendum, cohortandum consolandumque assurgit, vel carmen divinitus inspiratum decantat. Hoc loco προφητεία videtur esse donum eiusmodi, quo nonnulli Christiani, *singulari quodam Spiritus divini impetu abrepti docebant.* Nam προφητεία, ad quam referenda quae sequuntur, διδάσκειν et παρακαλεῖν, opponitur τῇ διακονίᾳ, ad quam referenda sunt τὸ μεταδιδόναι et προΐστασθαι. Facit nempe Apostolus duo Christianorum, qui χαρίσμασι fruebantur genera, *Prophe-*

tas et *diaconos*. Ἀναλογία, *portio*, *rata portio*. Demosthenes pro Corona: κατὰ τίμησιν — κατὰ τὸν ἀναλογισμὸν — κατὰ τὴν αὐτὴν δὲ ἀναλογίαν. Πίστις iterum est *scientia*, ut v. 3. Est igitur ἀναλογία τῆς πίστεως idem quod v. 3. μέτρον τῆς πίστεως. Varia Prophetarum erant officia, e. c. ut *docerent*, *cohortarentur*, *consolarentur* etc. Unumquodque horum officiorum requirebat suum donum; quo quisque contentus esse, et suo se modulo metiri discere debeat.

7. Εἴτε διακονίαν (sc. ἔχει τις) ἐν τῇ διακονίᾳ) Sc. μενέτω. *Sive habeat negotium Diaconi, in negotio Diaconi versetur*, subsistat intra muneris sui limites. Διακονία h. l. est *cura eleemosynarum colligendarum et in pauperes erogandarum*, quod munus varias in se complectabatur functiones, e. c. rerum ecclesiasticarum, aegrotorum curam, pecuniarum in ecclesia collectarum distributionem. Vid. Act. VI. 1 — 7. εἴτε — διδασκαλίᾳ) Οἱ διδάσκοντες h. l. sunt ii qui antea vocati sunt Prophetae, qui *docebant*, non suo ingenio, sed singulari spiritus sancti impulsu incitati. In aliis locis e. g. Eph. IV, 11. *Doctores* a Prophetis distinguuntur, ubi διδάσκαλοι sunt, qui ea, quae ab Apostolis edocti essent, proferebant.

8. Εἴτε — παρακλήσει) *Sive hortatur aliorum sit, in cohortando versetur.* Παρακαλεῖν h. l. est, populum publice admonere, et hortari, ut Act. XIII, 15. 1 Cor. XIV, 31. Sed hoc tamen non est certum. Fortasse in universum capi debet: Si sit in aliquo facultas cohortandi alios „si habeat a Deo hoc, ut alios amantissime et graviter possit hortari, is versetur in

hac re, nec velit ideo esse publicus doctor." *Morus.* Sequuntur nunc officia vitae communis, per quae alter alterum adiuvat. De quoque Christiano, qui liberalitatem erga pauperes demonstrare velit, loqui videtur Apostolus. ὁ προϊστάμενος, ἐν σπουδῇ) *Qui praeest aliis*, sive *alios curat, et in clientela habet, faciat id diligenter*, Rom. XVI, 2. 1 Tim. III, 4. ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι) *Is, qui misericordiam exercet, hilari animo id faciat.* Ἐλεεῖν, per meton. caussae pro effectu *miserorum curam gerere.*

9. Ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος) Sc. ἔστω. Ἀνυπόκριτος, *haud simulata.* Ἡ ἀγάπη, *amor erga omnes homines.* Aliis est synonymum τῆς Φιλαδελφίας. ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν) *Detestamini scelus* et vitium omne. Hesychius: ἀποστυγοῦντες, μισοῦντες, Theodoretus explicat: τὴν μὲν πονηρίαν ἄγαν μισεῖν, *scelus valde odisse.* Euripides in Ione v. 438. τὸν δ' ἄπαιδα ἀποστυγῶ βιόν, *orbam vero aversor vitam.* κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ *Summopere sectamini virtutem.* Κολλᾶσθαι exprimit hebr. דבק. Τὸ ἀγαθὸν, *quaevis virtus*, vel, ut alii volunt, quod alteri est utile.

10. Τῇ Φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους Φιλόστοργοι) *Tenerrimo vos invicem amore, ut fratres prosequimini.* Φιλαδελφία, *amor quem Christianis debemus*, nam omnes Christiani sunt fratres. Φιλόστοργοι, *vehementi amandi affectu erga alios praediti.* Usurpatur haec vox proprie de iis, qui magno amore erga liberos vel alumnos afficiuntur. *Aristoteles* H. A. IX. δοκεῖ τὸ τῶν ἵππων γένος εἶναι Φύσει Φιλόστοργον. τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι) *Honore vos invicem praevenientes.* s.

praeeuntes. Tacitus Agric. 6. *Viveruntque mira concordia per mutuam caritatem, et invicem se anteponendo.*

11. Τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροὶ) *Nolite in officiis explendis segnes esse.* Δούλος ὀκνηρός Matth. XXV, 26. τῷ πνεύματι ζέοντες) *Animo ferventes estote*, i. e. summo animi ardore agite quod vobis incumbit. Πνεῦμα, νοῦς, *animus.* τῷ κυρίῳ δουλεύοντες) In nonnullis codicibus, in latina vetere, apud Cyprianum καιρῷ legitur. Sed κυρίῳ habent graeci Codices fere omnes, Versiones Syrae, Arr. Copt. Aeth. Arm. Vulg. et multi Patres. *Domino servire* omnia quidem officia complectitur: at hic non docet Paulus, *quid* sit agendum, sed *quomodo*, nempe ex animo, sincere, aperte, candide, *tanquam Domino Iesu Christo*, qui omnia videt, qui renes et corda scrutatur, *servientes.* Io. IV, 24. Ephes. VI, 5—8. ei, qui potens, qui dives, qui iustus, qui immortalis est. Alii: *Facite vestrum, ut Christi religio servetur et propagetur.* Si legas: τῷ καιρῷ δουλεύοντες, sensus erit: *ferte ea, quae pro temporis ratione sunt ferenda*, vel: *diligenter utimini temporis opportunitate,* eodem sensu. Cicero ad famil. IX, 17. *servire tempori.* Lucan. in Pison. I, 143. *Temporibus servire decet; qui tempora certis ponderibus pensavit, eum si bella vocabunt, miles erit: si pax, positis toga gestiet armis.*

12. Τῇ ἐλπίδι — προσκαρτεροῦντες) *Propter spem laeti estote, in rebus afflictis constantes, in precibus assidui.* Haec coniunctim sunt spectanda. Si nempe res adversae ingruunt, Christiani debent me-

mores esse, se non carere spe, quae exhilaret et recreet animum, et adiungere preces ad Deum.

13. Ταῖς—κοινωνοῦντες) *Succurrite inopiae Christianorum.* Χρεία passim de *indigentia* qualibet, ut Phil. IV, 19. *Hesychius:* χρεῖαι, ἔνδειαι. *Latina vetus:* necessitates. Κοινωνεῖν *Theodoretus* recte explicat μεταδοῦναι χρημάτων. Tum temporis fame premebantur Christiani sub Claudio, Actor. XI, 28. et multi hospites Romam veniebant, infra XV, 24. Hebr. XIII, 2. 1 Petr. IV, 3. Τὴν Φιλοξενίαν autem commendat Apostolus, quia haec virtus inprimis necessaria erat illo tempore, quo multi Christiani patria expulsi in peregrinis terris oberrare cogebantur.

14. Εὐλογεῖτε—καταρᾶσθε) *Bene precamini affligentibus vos, bene precamini, nec imprecamini.* Εὐλογεῖν, *bene precari;* καταρᾶσθαι, *male precari, devovere.* Cf. Matth. V, 44. Latiori sensu autem *illud* est *bene velle, hoc* autem: *odio habere.* Sensus: *Hostibus vestris praestate animum benevolum, et ab omni vindictae cupiditate alienum.*

15. Χαίρειν) Enallage Infin. pro Imper. Atticis etiam familiaris. *Gaudete de felicitate aliorum, et de malis eorundem dolete.* χαίροντες h. l. sunt, qui prospera utuntur fortuna, atque de ea laetantur, κλαίοντες, qui *adversa*, atque propter eam tristitia afficiuntur.

16. Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους Φρονοῦντες) *Eodem animo inter vos mutuo affecti estote.* Phil. III, 15. 16.

Vult Apostolus, ut ita velimus proximo, sicut nobis volumus, ut in Evangelio Dominus dicit: *quae vultis, ut vobis faciant homines, et vos facite illis.* Hom. Iliad. IV, 361. *τὰ γὰρ Φρονέεις, ἄτ' ἐγώπερ.* Ibid. XIII, 487. *πάντες ἕνα Φρεσὶ θυμὸν ἔχοντες. Schol. ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Φρονοῦντες.* Μὴ *τὰ ὑψηλὰ—συναπαγόμενοι. Neque studete rebus altis, sed imitamini humiles. Φρονεῖν τὰ ὑψηλὰ*, malo sensu est, *velle semper antecellere alios, efferre se ultra alios. Οἱ ταπεινοὶ* h. l. non sunt conditione vel vitae statu, sed *mente* humiles; nam per totum hunc locum de virtutibus et vitiis est sermo. *Συναπάγεσθαι τινὶ* alias in partem sinistram dicitur, abripi ab aliquo, exemplo alterius abduci. Sed Paulus usus est hoc verbo suo quodam modo in meliorem partem: *Ducamini exemplo demissorum. μὴ γίνεσθε Φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς*) *Nolite prudentiae opinione turgere*, vestro iudicio sapere. *Φρόνιμοι*, i. e. *σοφοί*, Prov. III, 7.

17. *Προνοούμενοι—ἀνθρώπων*) *Honeste vos gerite erga omnes homines.* Cf. Prov. III, 4. *Προνοεῖσθαι, studere, operam dare.* Iosephus, A. I, 2, 1. *Ἄβελος ἀρετῆς προενόει, Abelus virtutis studiosus erat. Morus* vertit: *providi estote iudicio omnium hominum;* coram omnibus hominibus vivite caute. *Καλὰ*, pro adverbio *καλῶς*, ut formula *prospicere bene* describat hominem providum, prudentem, cautumque. 2 Cor. III, 21.

18. *Εἰ δυνατὸν—εἰρηνεύοντες*) *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem colite. Εἰρηνεύειν μετά τινος*, ita cum altero vivere,

ut nulla re eum laedas, sed quaevis bona officia ei praestes.

19. Δότε τόπον τῇ ὀργῇ) Sc. τοῦ Θεοῦ. *Vindictae divinae locum date*, i. e. permittite vindictam, i. e. poenam Deo. Chrysostomus: συγχώρητον τῷ θεῷ ἐπεξελθεῖν, permitte Deo puniendi facultatem et occasionem. Hanc explicationem sequentia postulant. Ὀργή, *ultio divina*. Τόπον διδόναι, *cedere*. Alii interpretantur: *Cedite iratis*. vel: *date facultatem vestrae irae detumescendi; differte iram*. Latina phrasis est: *spatium dare irae*. γέγραπται — κύριος) Deut. XXXII, 35. Ἐμοὶ hic valet: *ad me pertinet. Ipse ego vindictam sumam, ipse ego remunerabor.*

20. Ἐὰν — πότιζε αὐτόν) *Si igitur esuriat adversarius tuus, porrige ei cibum, si sitiat, potum ei praebe.* Duobus exemplis, quibus quaevis alia beneficiorum genera comprehenduntur, commendatur benevolentia erga inimicos. Non satis esse, Apostolus inquit, mala malis non compensare, sed adiuvandos etiam esse inimicos a nobis, si ope nostra indigeant. ψωμίζειν, *alere, cibum suppeditare*. Ps. LXXX, 6. Sap. XVI, 20. Hesych. τρέφειν. τοῦτο γὰρ — κεφαλὴν αὐτοῦ) Prov. XXV, 22. *Id si feceris, dolorem ipsi iniicies maximum.* R. Levi filius Gerson ad loc. Prov. *Haec enim res male habebit eum, quasi carbones intulisses in caput eius, ad urendum eum; quia maxime eum pudebit, beneficium a te accepisse, loco mali, quo te affecit.* Alii: *Si alter illa tanta tua patientia et beneficentia non redierit ad mentem meliorem, gravis ei impendet poena.* Verum, si quid video, non necesse

est, ut phrasin proverbialem (cuius sensus est: *facere ut quis atrocissimis doloribus excrucietur*) de poenis divinis intelligamus. Ἐπὶ τ. κεφ. αὐτοῦ, עַל רֹאשׁוֹ i. e. ἐπ' αὐτὸν.

21. Μὴ νικῶ — τὸ κακόν) *Ne vincaris iniuriis* (tibi illatis) *sed vince beneficiis malitiam* aliorum. Per τὸ κακόν, *malum*, *damna*, *iniuriae*, quas ab hostibus patiuntur pii, per τὸ ἀγαθὸν vero *beneficia* intelliguntur, quae pii etiam hostibus suis praestant. *Vincerentur* pii, si iteratis hostium, iniuriis fatigati, ad ulciscendas easdem rapi se paterentur. τὸ κακόν vero, sive *malitia* hostium beneficiis vincitur, si illi diu obluctati iram et odium deponere, et a malis inferendis desistere tandem coguntur. *Seneca* de ira, II, 32. *Non enim ut in beneficiis honestum est merita meritis repensare, ita iniurias iniuriis: illic vinci turpe est, hic vincere.* Idem de beneficiis VII, 31. *Vincit malos pertinax bonitas, nec quisquam tam duri infestique adversus diligenda animi est, ut etiam vi tractus bonos non amet.*

CAP. XIII.

1. Πᾶσα—ὑποτασσέσθω) *Quisque summis magistratibus obediat.* Ἐξουσίαι, *magistratus*, quos interdum Latini etiam vocant *potestates*. Plinius Paneg. 59. *Nam praeter id, quod est arduum, duas easque summas simul capere potestates* (nempe consulatum et principatum.) Ammianus Marcellinus, Lib. XXV, 4. *absque his* (fundis), *quos velut iure vendidere prae-*

teritae potestates. Quum autem hic additum sit ὑπερεχούσαις, intelligendi sunt *summi magistratus* in universum, ac inprimis *Imperatores Romani.* Nam ὑπερέχειν *dignitatis quandam praestantiam prae aliis* indicat. Igitur ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι idem quod apud Iosephum B. I. VII, 11. 1. οἱ προύχοντες τοῖς ἀξιώμασι, *Principes, et magistratus summi, qui prae ceteris dignitate potestateque conspiciendi eminent.* Sap. VI, 5. οἱ ὑπερέχοντες sunt *reges et proceres.* 1 Tim. II, 2. Sequitur paraenesis ad obsequium magistratibus quibusvis, etiam iniquis praestandum. Quam necessaria fuerit ista admonitio, discimus ex historia. Nam sub imperio Claudii et Neronis innumeri fuerunt civium, qui horum Imperatorum dominationem exosi, imperium eorum detrectare, resque novas moliri conarentur. Inde factum est, ut Caligula morte violenta, Claudius veneno et Nero denique non feliciori fato, de medio tollerentur. Et iam antea Iudaei, Romae commorantes, ob tumultum concitatum sub imperio Claudii, ex urbe erant eiecti. Act. XVIII, 2. Sueton. in Claud. c. 25. Hanc doctrinam, Imperatoribus non esse praebendum obsequium, Iudaei sine dubio hauserunt e doctrina Pharisaeorum. Ioseph. A. XVIII, 2, 4. οὐ γὰρ — Θεοῦ) *Neque enim magistratus officium nisi a Deo est.* Ipsa magistratus institutio a Deo est. Non sine singulari quadam providentia divina magistratuum dignitas orta est. αἱ δὲ οὖσαι — εἰσὶν) *Quare etiam qui nunc sunt magistratus, a Deo sunt constituti.* Nam Deus populos etiam a principibus improbis regi permittit, si velit castigare peccatores.

2. *Ὥστε — ἀνθέστηκεν*) *Ἀντιτάσσεσθαι, per vim se opponere. Διαταγὴ τοῦ Θεοῦ, institutum divinum.* Bereschit R. Sect. 94. *Quicunque se opponit regi, idem est ac si se opponeret maiestati divinae. ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται*) *Suam poenam ferent*, Matth. XXIII, 14. Solent verba de rebus bonis ad malas transferri. *Ἑαυτοῖς, sua culpa.* Punientur autem tum a magistratibus, tum alia ratione a Deo ipso.

3. *Οἱ γὰρ — κακῶν*) *Magistratus enim non sunt formidandi recte agentibus, sed delinquentibus. Φόβος* pro *Φοβεροὶ*, eleganter. Sic Menander apud Stobaeum serm. 71. dicit: *ἔστι δὲ γυνὴ λέγουσα χρήστ' ὑπερβάλλων Φόβος, mulier verbis benigna maxime timenda est.* In sequentibus est metonymia effecti pro caussa; nam *opera* ponuntur pro operantibus: *ἀγαθῶν ἐργῶν*, i. e. *τῶν τ' ἀγαθὸν ἐργαζωμένων. καὶ ἔξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς*) *Probabit te*, tanquam civem bonum. Saepe etiam *ἔπαινος* et *τιμὴ* de *praemio* dicitur. Dicent: *Bonus est vir Caius Seius, tantum quod Christianus*, ut est apud Tertullianum. Quum haec scriberet Paulus, non saeviebatur Romae in Christianos. Etiam Iudaei Romam redierant.

4. *Θεοῦ γὰρ — ἀγαθόν*) *In tuum enim commodum constituti sunt magistratus a Deo. οὐ γὰρ — Φορεῖ*) *Οὐ γὰρ εἰκῆ* est *λιτότης*, pro: *gravi de caussa gladium gerit.* Romani Imperatores pugionem gerebant, quod ius vitae necisque civium interpretatur *Tacitus* Hist. III. *Sueton.* Vitell. 15. *assistenti consuli exsolutum a latere pugionem, velut ius necis vitaeque civium reddebat. ἔκδικος — πράσσοντι*) *Qui scelestos*

severe punire debet. Ἔκδικος, pro particip. ἐκδικῶν. Εἰς ὀργὴν, meton. *in poenam*, h l. redundat.

5. Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι) *Hinc patet obedientiae praestandae necessitas.* Διὰ τὴν ὀργὴν, *poenae metu.* Διὰ τὴν συνείδησιν, *conscientae caussa*, quia Christus praecepit, Matth. XXII, 21.

6. Διὰ — τελεῖτε) *Propter hoc enim etiam tributa solvite.* Ὁ φόρος tributum denotat, quod personis s. fundis imponitur, et idem fere est, quod κῆνσος, ut Luc. XX, 22. coll. Matth. XXII, 17. Λειτουργοὶ (vid. not. ad Luc. I, 23.) sunt *magistratus ipsi*, servata propria significatione, qua λειτουργὸς est *minister publicus. Constituti a Deo, ut utilitati publicae consulant.* εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες) *Qui hoc ipsum assidue curant*, s. *curare debent*, sc. ut se tanquam Dei ministros in curanda civium salute et felicitate gerant. Tacitus Hist. IV, 74. *Nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt.*

7. Τὰς ὀφειλάς) *Quaecunque ipsis debentur*, non regibus tantum, sed et praesidibus, procuratoribus, publicanis et ministris regum. τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον) i. e. τῷ προσήκοντι λαβεῖν τὸν φόρον, ἀπόδοτε τὸν φόρον. Cf. v. 6. τὸ τέλος) *Vectigal*, quod pro mercium transportatione solvitur. *Strabo* Lib. II. ἀνάγκη γὰρ μειοῦσθαι τὰ τέλη, φόρων ἐπιβαλλομένων, *necesse enim est, vectigalia minui, si tributa imponuntur.* τὸν φόβον, τὴν τιμὴν) *Timorem* Hebraeorum more vocat obedientiam; *honoris* autem nomine intelligit re-

verentiam, quam magistratui habere par est. Aliis τιμὴ sunt *officia erga aequales*, ut 1 Petr. III, 7.

8. Μηδενὶ — ἀλλήλους) Quod ceteros homines attinet, qui non sunt magistratus, *nihil cuiquam debetis, quam mutuum amorem*. Est autem argute et eleganter dictum. Cetera debita solvuntur, nec manent; dilectionis debitum semper et solvitur, et manet. Alii ὀφείλετε in Imperativo explicant: *Exsolvite vos quolibet aliis debito, excepta mutua benevolentia*, qua nempe nunquam penitus exsolvi potestis. ὁ γὰρ — πεπλήρωκε) *Nam qui alterum amat, id, quod in lege summum est, praestat* Summa legis, quatenus officia erga homines praestanda praecipit, continetur praecepto de *amore*, vel mutua benevolentia, Matth. XXII, 39. 40. Gal. V, 14. Iac. II, 8.

9. Τὸ γὰρ) Sc. εἰρημένον s. γεγραμμένον. Vel δεικτικῶς ponitur, quemadmodum solet articulus generis neutrius. εἴ τις ἑτέρα ἐντολή) Nempe eiusdem naturae, id exigens, quod alter debemus alteri, puta honorare parentes, et alia, quae sunt in lege, sed extra Decalogum. ἀνακεφαλαιοῦνται) *Continetur*, s. comprehenditur hac veluti summa. Comprehenduntur illa legis praecepta in isto Christi praecepto Matth. XIX, 19. ut pars in toto, multas etiam alias partes habente. Ἐν τοῦτῳ τῷ λόγῳ, i. e. *in hac sententia*, γνώμῃ, vel etiam *in hoc praecepto;* nam sic Hebraei דבר eximie usurpant.

10. Ἡ ἀγάπη — ἐργάζεται) *Dilectio*, i. e. *is qui alterum diligit* (abstractum pro concreto, ὁ ἀγαπῶν),

alteri nihil facit mali. Si nihil mali, ergo nec matrimonium eius, nec vitam violabit, nec res surripiet. πλήρωμα οὖν νόμου ἡ ἀγάπη) *Ergo, qui alterum amat, id, quod in lege summum est, praestat.* Πλήρωμα νόμου h. l. est illud legis praeceptum, quod cetera omnia in se comprehendit.

11. Καὶ τοῦτο) i. e. *praesertim*, καὶ μάλιστα, καὶ τοσούτῳ μᾶλλον, *idque eo magis.* His virtutibus, inquit, eo magis operam dare debetis, quo maior vobis data est opportunitas. εἰδότες τὸν καιρὸν) Considerantes, quale iam sit tempus, qualis opportunitas. ὅτι ὥρα—ἐγερθῆναι) *Tempus nimirum adesse a somno expergiscendi*, i. e. abiiciendi tarditatem in explendis pietatis christianae officiis. νῦν γὰρ — ἐπιστεύσαμεν) *Nunc enim nobis propior* (facilior) *est salutis cognitio*, i. e. (*pluribus salutaris doctrinae cognoscendae auxiliis utimur*) *quam eo tempore, quo primo fidem Christo dedimus.* Ἐγγύτερον h. l. usurpatur ut ἐγγὺς Rom. X, 8. Σωτηρία autem metonymice ipsam *salutis cognitionem*, sive Evangelium denotat. Πιστεύειν h. l. est *fidem dare Christo.* Verba enim talia interdum initium, interdum progressum, interdum exitum significant. Sensus igitur verborum est: Decet nos eo magis tarditatem omnem in colendis pietatis christianae officiis deponere, quo maiora nunc quidem apud nos sunt salutaris cognitionis incrementa, postquam nempe tantum temporis praeterlapsum est, ex quo fidem Christo dedimus, διὰ χρόνου, ut ait Hebr. V, 12. Alii τὴν σωτηρίαν intelligunt *omnem felicitatem in regno Messiae olim exspectandam.* Diceret igitur Apostolus, operam dandam esse virtutibus, *pro-*

pter prope instantem Christi in terram reditum, atque cum eo vitae melioris feliciorisque auspicia. Sed aptior sequentibus est prior explicatio.

12. Ἡ νὺξ — ἤγγικεν) *Nox nunc fere praeteriit, dies autem iam appropinquat.* Προκόπτειν est *maximam partem iam confecisse.* Iosephus de B. I. IV, 4, 6. καὶ δὴ τῆς νυκτὸς προκοπτούσης, καὶ τοῦ χειμῶνος ἐπακμάζοντος, κοιμίζει μὲν τοὺς ἐπὶ τῇ στοᾷ Φρουροὺς, *enimvero, quum iam multa nox esset* etc. *Nox* est tempus ignorantiae rerum divinarum, quae non tantum apud gentiles erat, sed et Iudaeos invaserat, Io. I, 5. Nunc autem Romanis ad Christum conversis affulserat *lux doctrinae christianae.* Qui totum locum ad futura regni Messiae tempora referunt, verbum ἤγγικεν, servata praeteriti significatione, vertunt: *propius iam accessit ad nos.* Iidem νύκτα symbolum *vitae humanae flagitiis et calamitatibus funestae*, ἡμέραν vero symbolum *vitae virtute et felicitate insignis,* qualis in regno Messiae exspectari potest, interpretantur. Durius, si quid video. ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους) i. e. *exuamus pristini temporis vitiositatem.* Τὰ ἔργα τοῦ σκότους, opera, quae in tenebris peragi solent. Ovidius Amor. I, 6, 59. *Nox* et amor vinumque nihil moderabile suadent. Tacitus H. IV, 36. omnem pudorem nox ademerat. καὶ ἐνδυσώμεθα τὰ ὅπλα τοῦ Φωτός) i. e. *induamus christianae virtutis ornamenta.* Τὰ ὅπλα, *instrumenta, arma*, sed et *vestes.* Proprie itaque sunt vestes, quibus interdiu induimur: improprie autem eiusdem vitae institutum, quod decet homines luce Evangelii illustratos, τὰ ἔργα τοῦ Φωτός.

Theodoretus: ὅπλα φωτός, τῶν ἀγαθῶν τὴν ἐνέργειαν.

13. Ὡς ἐν ἡμέρᾳ, εὐσχημόνως περιπατήσωμεν) *Vitam igitur honestam agamus, qualis lucem divinam decet.* Σχῆμα saepe de *vestibus* adhibetur, de iis praesertim, quibus uti solebant, qui in theatris aut alibi aliorum repraesentabant personas. Plaut. Amphitr. in Prologo v. 116. Hinc petita translatio, ut εὐσχήμονες dicerentur, qui decentem quandam veluti induebant personam, et morum studebant honestati, illustria imitantes exempla. μὴ κώμοις καὶ μέθαις) *Non comissationibus et compotationibus dediti.* Hesychius: κῶμος, τὰ ἀσελγῆ καὶ πορνικὰ ἄσματα. *Lucian.* bis accusat. 16. et 17. μέθ' ἡμέραν ἐκώμαζε διὰ τῆς ἀγορᾶς μέσης, ψαλτρίαν ἔχων καὶ καταδόμενος ἔωθεν εἰς ἑσπέραν, μεθύων ἀεὶ καὶ κραιπαλῶν, καὶ τὴν κεφαλὴν τοῖς στεφάνοις διηνθισμένος. In his comissationibus et discursionibus nocturnis mares foeminarum et hae marium vestes et personam induere poterant, quod adeo frequens erat, ut id neglectum maioris impudentiae esse putaretur. Demosthenes de *fals. legat.* Cerybionem exsecrandum hominem vocat, ὃς ἐν ταῖς πομπαῖς ἄνευ τοῦ προσωπείου κωμάζει, *qui in festis absque persona comissetur.* Κῶμος gravius peccatum est quam μέθη. μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις) *Non scortationibus et lasciviis.* Hesychius: ἀσέλγεια, πορνεία. Κοίτη, alias *cubile*, hic concubitum denotat. Sic Pindarus *Pyth.* 11. v. 38. dicit: ἢ ἑτέρῳ λέχει δαμαλιζομέναν ἐννύχιοι παράγον κοῖται; *num illam in alio lecto lascivientem nocturni perverterunt concubitus?*

14. Ἀλλ' ἐνδύσασθε—Χριστὸν) *Sed imitamini Christum*, similes illi fieri studete. Sic apud *Dionys. Halic. Ant.* L. XI. Appius et reliqui decemviri vocantur οὐκέτι μετριάζοντες, ἀλλὰ τὸν Ταρκύνιον ἐκεῖνον ἐνδυόμενοι, *non amplius modum servantes, sed Tarquinium illum induentes*, i. e. imitantes. Petita est locutio ab illis, qui in theatris aut alibi aliorum personam induentes, eorum actiones imitari atque exprimere studebant. καὶ τῆς σαρκὸς — ἐπιθυμίας) *Et corporis curam agite sic, ut cupiditates non incendantur.* Ex Hebraismo σάρξ h. l. pro σῶμα ponitur. Eandem sententiam Iosephus Ant. VIII, 13. 8. loquendi more Veterum Graecorum ita expressit: ἐπὶ τὴν τοῦ σώματος πρόνοιαν τρέπεσθαι, ex quo loco etiam patet, τῇ προνοίᾳ σώματος indicari curam corpori habendam, quum quod ad habitum, tum quod ad victum. Εἰς ἐπιθυμίας, i. e. *usque ad cupiditates. s. libidines.* Per *cupiditates* autem hic non tantum *vitia animi*, sed et ipsa *facta externa* intelliguntur, qualia v. 13. nominantur. 1 Petr. IV, 2. 3. 1 Io. II, 16. Videtur autem Paulus eo consilio curam corporis Romanis suis praecepisse, ne, ut multi inter Iudaeos faciebant, corpus ergastulum quoddam et animi impedimentum, atque adeo durius habendum omnique modo affligendum putarent, quae perversa opinio sectam Essenorum tenebat, de qua est apud Iosephum de B. I. II, 8.

CAP. XIV.

1. Ut sequentia recte intelligamus, notanda sunt haec: Iudaei multi ad Christum conversi, omni modo servare

volebant, et aliis servanda imponere praecepta Mosis, etiam ritualia, Act. XV. et vocatos ex gentibus ista praecepta non servantes aversabantur. Contra vocati e gentibus, conscii datae per Christum libertatis, Iudaeos Iudaice viventes defugiebant, et ut imperitos spernebant; unde secuturum erat schisma, mire in ipsis initiis obstiturum Evangelii progressibus. Huic malo ut occurrat Paulus, mediam instituit viam, et Iudaeos, qui in Christum crediderant, monet, ita sequantur suam opinionem, ut a damnandis aliis, aliter sentientibus, abstineant; ex gentibus vero vocatos, ne illos, quanquam Iudaice viventes, ut imperitos spernant. A vulgari aliorum sententia discedit *Koppe*, et per *infirmos fide* intelligendos esse putat eos inter Christianos, qui severiori Essenorum disciplinae addicti, *carnibus* vel *omnino*, vel saltem *certis quibusdam diebus* abstinendum putarent. Certum est, admodum frequentatam fuisse eo tempore abstinentiam a carnibus inter Iudaeos, Graecos et Romanos, quod etiam multis veterum locis probat vir doctissimus. Et quum *Romae* etiam fuerint Iudaei, huic severiori disciplinae addicti, ut patet ex *Iosephi* loco, statim v. 2. a nobis commemorando, huius generis homines, si non unice hic intelligendi, includendi tamen esse videri possent. Sed contra hanc sententiam recte monet *Morus* (in dissertt. theolog. et philog. p. 220. *), qui monentur in hac re esse concordes, eos fuisse homines, qui e paganis Iudaeisque in eundem coetum coierant, horum autem discordiam non pependisse e quaestione, an quis ex opinionibus philosophicis abstineret uno alteroque cibo; sed, an propter Mosaicam legem abstineret. Egregia etiam est eiusdem Viri docti observatio: (lib. cit. p. 228. *),

in N. T. libris ibi contra merum Iudaismum dici, ubi Iudaicae legis vis in decernendo delectu ciborum sublata dicitur, et ostenditur male agi, quod ea vis adhuc inculcetur Christianis, e contrario ibi contra opiniones Iudaismo additas, delectum illum commendantes, dici, ubi defensio huius delectus niti dicitur nugis et affectatione insignis sapientiae aut pietatis. Tota haec Viri egregii disputatio (*exemplum cogitandi de religione, nominatim de officiis, ex cap. XIV. Epistolae Pauli ad Romanos depromtum,*) digna est lectu, et ad hanc rem illustrandam multum facit. τὸν — προσλαμβάνεσθε) *Eum, qui infirmus est in fide*, i. e. non satis accuratam cognitionem *officiorum quorundam* consecutus est, *benigne tractate.* Πίστις h. l. non est assensus, qui praebetur doctrinae, sed est persuasio de eo, quid liceat, quid non? et πίστεως obiectum non sunt dogmata, sed officia de agendo. Igitur ἀσθενῶν τῇ πίστει est homo, dubius et fluctuans in officiis quibusdam. Theodoretus: τὸν ἀσθενοῦντα δὲ τὸν ταῖς νομικαῖς παρατηρήσεσι δεδουλωμένον καλεῖ. Προσλαμβάνεσθαι est *comiter, benigne tractare*, quemadmodum qui infirmus aut prostratus est, solet manibus aliorum porrectis sublevari, quo quidem sensu ἀντιλαμβάνεσθαι dicitur Luc. I, 54. μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν) i. e. *ne in ipsius sententiam curiose inquiratis, eamque severe damnetis* Iac. II, 4. Διακρίνειν, *diiudicare*, Matth. XVI, 3. 1 Cor. VI, 5. Διαλογισμοί, *cogitationes*, Matth. XV, 19. aliisque locis. Nolite alios iniquius diiudicare, quasi malo animo id agant, quod agunt. Alii: καὶ μὴ διακρίνεσθε διὰ τοὺς διαλογισμούς, *nolite rixari propter opiniones*, vel: μὴ εἰς τὸ διακρίνεσθαι ὑμᾶς διαλογισμοῖς, pro: ἄνευ

διακρίσεως καὶ διαλογισμοῦ, (et verbo διακρίνεσθαι et nomine διαλογισμοὶ *dubitandi* significatione sumtis,) *nolite ullo modo dubitare*, *ohne euch irgend ein Bedenken zu machen.* Sed prior explicatio contextui est convenientior.

2. Ὃς — πάντα) *Est qui credat*, *licere omnibus promiscue vesci.* Supple: ἐξεῖναι. Πάντα i. e. omnis generis edulia, non *olera* tantum, vorum etiam *carnes*, etiam in lege Mosis vetitas. Non amplius opus esse delectu ciborum, Mosis lege constituto. ὁ δὲ — ἐσθίει) *Infirmus autem* i. e. exigua cognitione praeditus, *oleribus vescitur. Augustinus* Exposit. ex Epist. ad Romanos 78. Quidam infirmiores vero abstinebant a carnibus et a vino, ne vel nescientes inciderent in ea, quae idolis sacrificabantur. Omnis enim tunc immolatitia caro in macello venundabatur etc. Constat ex Iosepho (Vit. 3.) Romae isto tempore Iudaeos fuisse, qui pietatis caussa nonnisi frugibus vescerentur, propterea, quod fruges et olera, etiam in terra gentilium per legem Iudaicam haud prohibita, tanquam cibum certissime mundum, unice sibi concessa crederent.

3. Ὁ ἐσθίων — ἐξουθενείτω) *Qui vescitur*, nempe carnibus ex animalibus, vetitis etiam in lege Mosis, *eum qui abstinet carnibus*, et oleribus contentus est, *non condemnat*, tanquam rudem et imperitum. καὶ ὁ — κρινέτω) Is vero, qui abstinet a carnibus non damnet tum, qui promiscuo victu utitur, tanquam hominem improbum, atque poenis divinis dignum. Κρινέτω, pro κατακρινέτω. ὁ Θεὸς γὰρ αὐτὸν προσελάβετο) *Nam Deus eum benigne excepit. Deus eiusmodi homi-*

nem, utentem plane aut non omnino utentem libertate christiana, tamen hoc *beneficio auxit*, ut eum adduceret admitteretque ad Christi coetum. Voluit ergo eum, religionis huius socium, reddere bonorum ei propriorum participem. Huic consilio Dei et modo se gerendi erga illum hominem obsistit paganus, qui talem Iudaeum sinistre diiudicat, et culpae gravissimae coarguit: obsistit vero etiam Iudaeus, qui talem paganum, nihil se patriis Iudaeorum moribus adstringentem, vituperat et sceleris arguit.

4. Σὺ — οἰκέτην;) *Quo tu iure audes servum alienum damnare?* Non ad te, Iudaee vel pagane, qui iniquius diiudicas alterum, pertinet iudicium de huiusmodi factis, sic cum religione coniunctis, sed ad solum Deum, ad quem unum omnis religio refertur. Ut ergo fas est in communi vita servum, in officiis titubantem, hero permittere: sic haud paullo magis decet, cultorem Dei (δοῦλον Θεοῦ) Deo permittere, qui unus aestimare debet, titubetne ille ipsius cultor, et quare; an recte praestet officium, et animo bono, et sedulo. Τῷ ἰδίῳ — στῆσαι αὐτόν) *In Domini potestate est, sive* (in talibus rebus) *certus animi recte agat, sive incertus erret, non autem semper incertus errabit. Potest enim Deus eum certiorem reddere,* atque ei sic ab errore cavere. Στήκειν h. l. dicitur, qui certus animi, persuasus de sua sententia, recte agit; πίπτειν, qui incertus errat. Eum igitur, qui incertus errat, non semper erraturum esse, dicit Apostolus (σταθήσεται). *Deus enim* (addit) potest eum στῆσαι, *certiorem reddere.* Dicere poterat aliquis: At ei, qui libertate christiana utitur vel non utitur, non est per-

suasum de quo debebat, si Christianus vere dici haberique velit. Respondet Apostolus: Deus eum certiorem reddere potest. Hoc tempus exspecta. Noli praecipitare rem et festinare, ubi Deus lentius progreditur. Fer modo illum haesitantem leniter, qui de reliquo necessaria officia non negligit, sed summam rei in exercitio religionis curat. Imitare Deum, etiam in talibus μακρόθυμον.

5. Ὃς μὲν—ἡμέραν) *Ille aestimat diem prae die*, dies quosdam iuxta legem Mosaicam prae ceteris sacros existimat; praefert sabbata, pascha, pentecosten, festum tabernaculorum, interlunia, diebus aliis. Κρίνει, aestimat, ut 1 Cor. II, 2. Sic κρίνω πολεμίους *pro hostibus habeo*, apud Demosthenem. Ἡμέραν παρ' ἡμέραν, *diem prae die*, quomodo παρὰ a LXX. haud raro sumitur. ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν) Sc. ἴσην. *Hic vero quemvis diem aestimat*, quemvis diem pariter sanctum habet, i. e. pietatis officiis destinatum. *Koppius* arbitratur, etiam versibus 5. et 6. eandem de abstinentia a carnibus vescendo sententiam, tantum quodammodo immutatam esse quaerendam, hac ratione usus, quod post v. 6. toto capite huius quidem dierum delectus non amplius meminerit Apostolus, contra vero ad priorem *de carnium abstinentia* locum saepius redeat v. 14. 15. 17. 20. 21. 23. Equidem non video, cur Apostolus, *alia etiam admonitione interposita*, ad priorem locum redire non potuerit. Pro certo sumit Koppius, fuisse iam tum inter Christianos, qui, *vulgo* quidem vesci carnibus non dubitantes, *certis* tamen *diebus* (velut *feria quarta*, *sexta* et *die Sabbati*) abstinendum iis esse arbitrarentur. An vero cer-

tis argumentis hoc confirmari possit, valde dubito. Accedit quod Apostolus v. 6. ipse distinguat utrumque genus disceptationum, et de diebus, et de cibis. ἕκαστος—πληροφορεῖσθω) *Quisque sit certus et firmus in sua sententia*, ne scilicet aliquid contra conscientiam, vel dubia mente agat. De verbo πληροφορεῖσθαι cf. supra c. IV, 21.

6. Ὁ φρονῶν τὴν ἡμ. τ. κ. φρονεῖ) *Qui aliquem diem sanctiorem ceteris iudicat, is iudicat in honorem Domini.* φρονεῖν τι est *studio ferri ad aliquid*, inclinari ad aliquid. Ergo φρονεῖν τὴν ἡμέραν est, qui huc est propensus, ut aliquem diem sanctiorem iudicet aliis. Τῷ κυρίῳ, i. e. *in honorem Domini.* Observat dies festos pio animo, quod hoc in Iudaeis Deo placere existimet. κυρίῳ οὐ φρονεῖ) *In honorem Dei non observat;* nihil aliud in hoc, quam honorem Dei respicit, quia bene novit, Deum gentilibus talia nunquam praecepisse. Ὁ ἐσθίων, sc. πάντα, non tantum olera, sed etiam carnes. καὶ εὐχαριστεῖ τῷ Θεῷ) Gratias nempe agebant Deo Iudaei et Iudaizantes, quod legem dedisset, et discrimen ciborum instituisset; quod testantur precandi formulae etiamnum apud Iudaeos usitatae. Κυρίῳ ἐσθίομεν, quando in ciborum usu cogitamus agnoscimusque Deum, eorum auctorem atque conservatorem, eundemque laeto et grato animo celebramus. Ubi ergo videris aliquem, inquit Apostolus, omnium rerum conditori Deo pro alimentis gratias agentem, non negabis ab eo Deum in universum recte coli. Ergo is qui vescitur cibo, quam tu tangere non sustines, non minus probus te erit, quum eo se duci patiatur, quo praeter naturae providentiaeque co-

gitationem, doctrina christiana vocat. His ita cogitandis lenitas ingenerari debebat Iudaeis erga paganos, in alimentorum usu liberiores. Talis enim nuperus paganus, nunc Christianus, κυρίῳ ἐσθίει, refert id, quod alimenta habet atque sumit, ad Dominum; εὐχαριστεῖ τῷ κυρίῳ, communi et necessario fungitur officio. Sed idem illud nuperos paganos Iudaeis, in hoc genere adstrictioribus, mitiores reddere debebat, quum Iudaei quoque, quamquam suo modo, ederent viverentque Deo, neque tamen, quod aliter sibi persuadere non potuerant, minus probi essent probatique Deo.

7. Οὐδεὶς γάρ — ἀποθνήσκει) *Nemo enim nostrorum* (qui Christiani sumus,) *suo arbitrio vivere morique potest*, rationem nempe vitae redditurus est olim Deo. Ἑαυτῷ ζῆν est *arbitrio suo vivere et genio suo indulgere, nach seinem eigenen Belieben und Gefallen leben.* Apud Euripidem in Ione v. 646. Ion Atticae imperare ob coniunctas molestias recusans, ad Patrem oraculo sibi datum dicit: ἔα δ' ἐμαυτῷ ζῆν, *sine me mihi vivere.* Ovid. T. III, 4. 4. *Vive tibi*, et longe magna nomina fuge. οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει, *nemo sibi moritur;* nemo post mortem a Deo pendere desinit; non potest tum, quum moritur, definire, quam post discessum ex hac vita sortem habere velit, aut quid illi prodesse debeat sic potissimum vixisse. Non spectantur h. l. *mors* et *vita*, qua sunt in spirando, movendo, sentiendo, aut in fine horum omnium; non quaeritur, quis nos et quando vivere morique iubeat. Nam ex doctrina de providentia divina, initium et finem humanae vitae moderante, nihil magnopere concludi potest neque ad iudicium de liber-

tate christiana in alimentorum usu, de qua tamen unice h. l. sermo est, neque ad eius defensionem, neque ad lenitatem in ferendis aliis, qui secus sentiunt et agunt. Spectatur igitur *vita*, qua officiis constat, eamque olim iudicium sequetur; *mors* vero, qua est initium conditionis post hanc vitam, praemia accipientis in utram que partem.

8. Ἐάντε γὰρ — τοῦ κυρίου ἐσμὲν) *Sive enim vivamus, Domino subsumus, sive moriamur, Domino subsumus; nempe sive vivamus, sive moriamur, a Domino pendemus.* Continuatur id quod dictum est v. 7. et aliis verbis repetitur. *Domino vivere* dicimur eo sensu, quo illi ita subesse dicimur, et ab eo ita pendere, ut eius legem, consilia, instituta faciamus normam statuendi agendique. *Domino mori* dicimur eo sensu, quod nos mortuos ita iudicabit tractabitque, prouti normam illam vel tenuimus vel negleximus. Ut Dominus normam agendi definivit, ita lex praemiorum ab eodem finita est. Utrumque ab illo pendet. Est igitur necessitudo hominum cum Deo, quae pertinet ad omnem vitam, ad omnia genera factorum, in quibus locus est conscientiae sui, proposito, caussis consiliisque, per quae cum religione coniunguntur. Addit Apostolus:

9. Εἰς τοῦτο — κυριεύσῃ) *In hunc enim finem etiam Christus mortuus est, et in vitam rediit, et novam* (coelestemque) *vitam ingressus est, ut supremum dominium in mortuos pariter ac vivos exerceret.* Verba καὶ ἀνέστη desunt in nonnullis Codicibus, Versionibus non paucis et Patribus, et a librariis ex 1 Thess. IV, 14. huc translata esse videntur. Confir-

matur quod v. 7. et 8. dictum erat, nos vivos et mortuos Domino subesse. Deus nempe Christum constituit iudicem vivorum et mortuorum, cui rationem reddituri sumus. Act. XVII, 31. 2 Cor. V, 10. Haec omnia autem eo consilio dicuntur, ut appareat, iudicium de huiusmodi factis, quae delectum ciborum concernunt, non pertinere ad homines, sed ad Deum, ad quem unum omnis religio refertur, et quicquid in hoc genere fiat, id ita iudicandum esse, prouti hoc, quod fieri et omitti in non necessariis potest, ab eo, qui facit vel omittit, ad Deum referatur, coniungaturque cum necessariis officiis, ne haec damnum capiant. Unde concluditur, uti iudicium ne nostrum quidem sit, sic lenitate erga alios opus esse. Quare sic pergit Apostolus:

10. Σὺ δὲ τί κρίνεις τὸν ἀδελφόν σου;) *Tu vero*, Christiane, legis ritus observans, *quo iure damnas fratrem tuum*, eosdem ritus non observantem? cf. 1 Cor. IV, 5. ἢ καὶ σὺ — ἀδελφόν σου;) *Aut quo tandem iure tu*, Christiane, liberum te a ritibus credens, *fratrem tuum*, tanquam imperitum, *contemnendum putas*, quod ius illud a Christo datum, nondum satis intelligat? πάντες—Χριστοῦ) *Omnes enim adstabimus tribunali Christi.* Quid occupas Christi officium? Illius est, de occultis iudicare. Solus novit, quantum cognitionis quisque acceperit, quantum ab eo pro talenti sui modo exigi debeat. Tribunal Christo, ut iudici, attribuitur etiam 2 Cor. V, 10. et *stare* solent, quorum caussa tractatur. Solent autem res divinae ad humanarum modum explicari.

11. Γέγραπται γὰρ) Ies. XLV, 23. Quae hic de

lehova dicuntur, eadem ad Christum transfert Apostolus. ζῶ — Θεῷ) *Ita ego vivo, inquit Dominus, me flexis genibus omnes venerabuntur, omnesque voce sua Deum dominum profitebuntur.* Verba textus hebraici et LXX. interpretum paulo aliter sonant, sed sensus ab Apostolo recte expressus est. Agit locus Iesaiae de propagatione Iudaicae religionis inter gentes, et praedicitur, fore, ut omnes, i. e. pleraeque nationes agnoscant et colant Deum verum. Id ab Apostolo transfertur ad Christum, quem in illo iudicii die omnes homines pro suo Domino agnoscent, cui etiam rationem reddituri sunt. Non esse in verbis Iesaiae vaticinium de Christo, facile perspicitur.

12. Ἄρα — Θεῷ) *Ergo quisque nostrum vitae suae rationem Deo reddet*, quippe omnium Domino, et iudici. Δώσει pro ἀποδώσει. Περὶ ἑαυτοῦ, *de semetipso*, num scilicet recte senserit nec ne, in illis, quae Dei caussa fecit, v. 6.

13. Μηκέτι οὖν ἀλλήλους κρίνωμεν) *Non igitur amplius alterum damnemus.* Periculosum enim id in rebus dubiis, quia, quale de alio iudicium tuleris, tale de te feretur, Matth. VII, 1. ἀλλὰ τοῦτο κρίνατε μᾶλλον) *Sed hoc potius aequum et iustum iudicate.* In verbis κρίνωμεν, κρίνατε, est Antanaclasis. Nam priori membro κρίνειν est *inique iudicare de altero*; posteriori autem *statuere apud se.* τὸ μὴ — σκάνδαλον) *Ne offendiculum vel impedimentum aliquod fratribus obiiciatis.* De voce σκάνδαλον, vid. notata ad Matth. V, 29. Aliam rationem affert Paulus, cur lenitate sit utendum in diiudicandis aliis, delectum cibo-

rum probantibus vel improbantibus, et cur nemo suam de hac re sententiam aliis, ut necessariam omnibus, obtrudere debeat. Huiusmodi nempe iniquioribus iudiciis et agendi modis alios facile posse eo adduci, ut contraria suae persuasioni agant, et contra conscientiam peccent.

14. Οἶδα — Ἰησοῦ) *Equidem scio et persuasus sum per doctrinam Iesu Christi* (edoctus). Ἐν, *per*, ut saepissime. ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ) *Nullius cibi usum illicitum esse per se*, i. e. natura. Κοινὸν, hebr. חֹל, *impurum*, *cibus quo vesci est nefas*. Supponit autem, nullam esse de ea re gentibus legem datam; et ab Iudaeis ablatam iam ante ostenderat. εἰ μὴ — κοινὸν) *Si autem illicitum putaveris*, et tamen vescaris, *delinquis*. Quod Paulus dicit, cibos iis tantum impuros illicitosque esse, *qui eos tales censeant*, id non ita intelligendum est, ac si iudicium de facto licito aut illicito ab opinionis temere aut speciose conceptae lubitu pendeat. Nempe ὁ λογιζόμενος βρῶμα κοινὸν non est is, qui arbitratum suum sequitur, et opinionem suam pro norma habet, sed Iudaeus ullus aliquis, cui *propter suam legem patriamque religionem* adhuc persuasum est vitanda esse quaedam ciborum genera; aut paganus, ad christianam religionem traductus, sed in hac parte *Iudaeis obtemperans*, nec uti libertate christiana sustinens. Huiusmodi igitur Christianus sequi debet tam diu sententiam suam de libertate adstrictiore, quam diu eam nondum potest abiicere, et contrariam tueri.

15. Εἰ δὲ — λυπεῖται) *Quodsi vero alter per tuam*

vescendi licentiam tristitia afficiatur. i. e. si tuam libertatem ita defendas, ut ipsi imperitiam exprobres, qua exprobratione afficiatur tristitia. Alii: *Si vero alter per tuam vescendi licentiam miser reddatur,* nempe dum tuo exemplo incitatus vescitur ipse, sicque in peccandi aerumnas et miseriam delabitur. Λυπεῖται, i. e. σκανδαλίζεται. οὐκ ἔτι — περιπατεῖς) Non ita vivis, ut lex de diligendo proximo poscit. Nam dilectio non tantum vult tolerari eos, qui nondum omnia perspiciunt, sed etiam illorum bono libertatem nostram circumcidi. μὴ ἀπέθανε) Perdimus autem, vel miserum reddimus fratrem, si eum ad peccatum contra animi conscientiam committendum nostro exemplo seducimus.

16. Μὴ — ἀγαθόν) Cavete igitur, *ne religio* (libertas) *vestra calumniis* adversariorum *exponatur.* Τὸ ἀγαθὸν h. l. religionem christianam denotare videtur, ἡ βασιλεία Θεοῦ, ut mox dicitur. *Chrysostomus* et *Theodoretus* τὸ ἀγαθὸν h. l. interpretantur, τὴν πίστιν. Alii *libertatem Christianam* intelligunt Μὴ βλασφημείσθω, nempe apud eos, qui lites vestras mutuas audiunt. Facile enim religio vestra in contemtum et odium adduci posset.

17. Οὐ γὰρ — ἁγίῳ) *Nam in regno Dei* (religione christiana) *non spectatur cibus et potus, sed virtus, et concordia,* et *ea mentis laetitia, quam Spiritui sancto* (sensui animoque christiano) *debemus.* Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, *coetus Dei,* coetus Christianorum, religio, quae in eo exercetur et exerceri debet. Hic coetus, et religio quae in eo exercetur, οὐκ ἐστιν βρῶσις καὶ πόσις, *non quaeritur,* spectatur *in eo cibus et*

potus. Similis phrasis est 1 Cor. IV, 20. Sensus est: Non quaeritur in religionis huius exercitio, quid quisque potissimum edat et bibat, et quibus alimentis abstineat. Spectatur et postulatur potius in religionis huius exercitio δικαιοσύνη, *virtus*, mentis vitaeque probitas; εἰρήνη, *concordia*, quae nihil disceptat super illis cibis, neque secus agentes carpit aut recusat ferre, καὶ χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *et laetitia per Spiritum sanctum effecta*. Quid sit πνεῦμα ἅγιον supra c. VIII, dictum est. Nempe per doctrinam christianam sic conformantur animi eorum, qui illa recte utantur, ut ea sciant, sentiant, agant, unde laetitiae tranquillitatisque caussae quamplurimae suppeditentur; spectatur hoc, ut iis religio sit fons uberrimus constantis certaeque laetitiae.

18. Ὁ γὰρ — ἀνθρώποις) *Nam qui in his Christo obedit, is est gratus Deo, et probatus hominibus.* Ἐν τούτοις) *Per tales actus*, harum virtutum exercitio. Δουλεύων τῷ Χριστῷ, colens Christum eiusque doctrinae obsequium praestans. Eiusmodi homo (in sequentibus dicit Apostolus,) Dei favorem sibi polliceri poterit, et laudem ab hominibus piis. His ita quaerendis praestandisque colitur Christus, sentitur et vivitur accommodate ad huius doctrinam, Deique favor et hominum approbatio tenetur; neque adeo, ubi haec exercitii summa fuerit, ibi quaeritur, quo quis potissimum genere alimentorum utatur.

19. Ἄρα — ἀλλήλους) *Ergo servandae concordiae et promovendae utilitatis mutuae studiosi simus.* Theodoretus οἰκοδομὴν interpretatur ὠφέλειαν:

Προστήκει ἡμᾶς—τῆς ἀλλήλων ὠφελείας ἕνεκα πάντα ποιεῖν. Τὰ τῆς οἰκοδομῆς, quae faciunt ad communem utilitatem et felicitatem.

20. Μὴ ἕνεκεν — τοῦ Θεοῦ) *Noli propter cibum impedire opus Dei.* Τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ h. l. est *divinum consilium propagandae nunc religionis omnibus gentibus communis*, quod Deus post reditum Christi in vitam exsequi voluerat, et ipso illo tempore exsequi coeperat. Cf. c. XV, 5 — 15. Hoc Dei consilium teneri non poterat, nisi dissepimento Mosaicae oeconomiae remoto (Eph. II, 14.). Non igitur debebat huius oeconomiae necessitas ita urgeri, ut illi alteri consilio communis religionis propagandae obstaret. Hanc enim necessitatem qui acriter defendebat, is impediebat hoc opus Dei, i. e. efficiebat, ut haec religio non omnibus communis fieret, vel tardius, vel ad pauciores propagaretur, vel his ad quos pervenerat, non eos afferret fructus, quos et poterat et debebat. Vid. *Morus* p. 221. sq. Πάντα μὲν καθαρά) Πάντα βρώματα, *omnes cibi sunt puri;* usus eorum est licitus. Quum nempe *natura* cibi spectatur, praeter eius vim sanitati noxiam, de qua tamen nunc plane non est sermo, nihil vel cogitando intelligi potest, quare vetitis illicitisque rebus accensendus sit, eiusque usus dici possit officio repugnare. Ἀλλὰ κακὸν—ἐσθίοντι) *Sed malus* (noxius) *est* (cibus) *homini, qui eo cum offensione utitur.* Κακὸν sc. τὸ βρῶμα. Διὰ προσκόμματος, *cum offensione*, s. conscientiae suae. Peccat, si contra, quam ei persuasum est, agat, quia nefas est, mente aliquid improbare, et tamen facere. Vid. infra v. 23.

21. Καλὸν) *Melius est.* Positivus pro Comparativo, ut Matth. XVIII, 8. 9. Quicquid potius nobis sustinendum est, quam ut facto nostro non necessario fratrem in ruinam impellamus. μηδὲ ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει) *Neque quo alter impingit* (peccat). Supple: *facere.* Et ἐν ᾧ valet *per quod.* ἢ σκανδαλίζεται, ἢ ἀσθενεῖ) *Aut ad peccatum incitatur, aut dubius redditur.* Si importune instas, ut frater ex Iudaeis edat cibos lege vetitos, vel exemplo tuo moves, ut edat, agit ille contra dictamen conscientiae suae, et tu ipsum ad peccandum adigis, vel animum eius dubium reddis.

22. Σὺ πίστιν ἔχεις) i. e. εἰ σὺ πίστιν ἔχεις. Πίστις hic est persuasio ea, per quam quis credit, licitum esse id, quod facit; assensus conscientiae. κατὰ σεαυτὸν ἔχε ἐνώπιον Θεοῦ) *Retine hanc persuasionem apud teipsum coram Deo*, i. e. tunc utere, quum alium non habes testem, quem offendas. Cave, ne ea superbias in detrimentum aliorum, et quidem infirmiorum. μακάριος - δοκιμάζει) *Felix, qui seipsum non damnat, in ea re quam praefert*, i. e. quam agendam suscipit. Δοκιμάζειν et κρίνειν opponuntur, ut *probare* et *improbare, exprobrare sibi aliquid.*

23. Ὁ δὲ διακρινόμενος, ἐὰν φάγῃ) *Qui autem haesitat, quum vescitur*, sc. cibis in lege Mosis vetitis, an nempe licitum sit iisdem vesci, vel minus. κατακέκριται) i. e. ἁμαρτάνει, peccat et reus fit. ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως) Sc. hoc facit. Quia non cum firma persuasione vescitur, licitum esse quod facit. πᾶν δὲ — ἁμαρτία ἐστὶν) *Quicquid autem non fit certa animi persuasione*, licitum id esse, vel conscientia adstipu-

lante, *peccatum est.* Quisquis enim facit id, quod mente improbat, is versatur in perpetuo, e sua quidem sententia, male agendi et contractae culpae sibi exprobrandae periculo. Hoc monitum Iudaeos, qui Christiani facti erant, spectat, ne aliorum exemplo id facerent, quod ipsi aut licitum non putabant, aut de quo certe valde dubitabant. Post haec verba sequuntur commata tria c. XVI, 25. 26. 27. in cod. Alexandrino, et in codicibus minutis litteris scriptis tantum non omnibus, in Lectionariis graecis, Syra poster. Arab. polygl. Arm. Slavonica; Codd. apud Ruffinum, Chrys. Theodoret. Damasc. Theophyl. Oecum. Theodul. Praeterea, reliqua usque ad finem Epistolae cuncta dissecuit Marcion. Nec satis certum, an in exemplari epistolae ad Romanos ea legerit Tertullianus. Videtur Paulus primum hic finire voluisse epistolam, sed postea aliquanto plus, quam speraverat, nactus temporis, alia quaedam adiecisse. *Semlerus* existimat, ea, quae cap. XV, et XVI. hodie efficiunt, nonnisi appendices esse, Epistolae huius latoribus a Paulo separata in schedula scriptas, non ut partem epistolae ad Romanos, sed catalogum salutandorum per iter. Hanc schedam, etsi ad Corinthios propter argumenti indolem pertineret, tamen propterea, quod olim cum Epistola ad Romanos a Paulo missa esset, finiente Sec. II. quum ordo epistolarum omnium a Catholicis institueretur, eidem epistolae adiectam esse, ne interiret, quum ipsis commodiori loco nullo collocari posse videretur. Cf. quae *Io. Chr. Frid. Schulz* ad *Bowyeri* Coniect. in N. T. pag. 585. sqq. contra hanc sententiam monuit. Vid. etiam *Koppe* Excurs. II.

CAP. XV.

1. Ὀφείλομεν—βαστάζειν) i. e. *debemus autem nos, qui sumus profectiores (in rerum divinarum cognitione,) rudiores patienter ferre (et ad eorum imbecillitatem nos accommodare).* Arctissime cohaeret hoc caput cum v. 22. capitis superioris, nec ab eo seiungi debebat. Proprie οἱ δυνατοί sunt *robusti*, qui bene valent, et opponuntur τοῖς ἀσθενέσι, *aegrotis*, quod multis locis probat *Wetstenius*. Nunc si quis pedibus aeger est, non ideo contemnimus ipsum et vituperamus, sed gestamus potius et adiuvamus. Si quis morbo decumbit, etiam consulimus ut a carnibus abstineat. Quid si animo aeger et infirmus sit? Annon tunc potius eius misereri et vicem eius dolere, eumque ferre iustum est? Sunt igitur οἱ δυνατοὶ *intelligentiores*, ἀδύνατοι vero *imperitiores*. καὶ μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν) *Nec nobis ipsis placere*, ita scilicet, ut fratres infirmiores contemnamus, et nos ipsos super eos efferamus. *Wir sollen uns nicht zu viel einbilden.* Iuvenal X, 41. *Et, sibi consul ne placeat, curru servus portatur eodem.* Petron. 26. *Rogo, inquam, numquid illa, quae me amat, tu es? Multum risit ancilla — et nolo, inquit, tibi tam valde placeas.*

2. Ἕκαστος — οἰκοδομήν) *Unusquisque nostrum alteri gratificetur ita, ut eius commodum utilitatemque promoveat.* Ἀρεσκέτω, i. e. ζητείτω ἀρέσκειν. Ne autem quis putet, in rebus omnibus, etiam non honestis, gratificandum esse proximo, addit Apostolus: εἰς τὸ ἀγαθὸν, sc. αὐτοῦ. Οἰκοδομή, *utilitas*, ut alter melior evadat.

3. Καὶ γὰρ — ἐπ' ἐμὲ) *Nam Christus etiam non tantum ad se respexit, sed* (toleravit) *quod scriptum est: Contumeliae eorum, qui te afficiunt contumelia, in me ingruunt.* Verbis e Psalmo desumtis maluit quam suis exprimere sententiam: ὁ Χριστὸς ὀνειδισμοὺς ἀνθρώπων ὑπέμενε. Καθὼς γέγραπται) Id, quod scriptum extat, sc. Ps LXIX, 10. Haec nempe carminis veteris sententia egregie quadrat in Christum. Dicit se obrui convitiis hominum non bonorum, sed Dei inimicorum et adversariorum; opprobriis, quae ipse culpa sua non esset commeritus, sed quae omnia in Deum referantur, nec ob alia fiant quam ob ea, quae ipse ex Dei voluntate et praecepto faciat. Monet Apostolus Christianos, ut ducem et caput Christum imitentur, et potius convitia sustineant, quam contra conscientiam agant.

4. Ὅσα γὰρ—προεγράφη) *Quae enim ante scripta sunt* (in V. T. libris), *ad nostram institutionem ante scripta sunt*, docendi nostra caussa. ἵνα—ἔχωμεν) *Ut spem retineamus*, vel in fiducia nostra in Deum confirmemur, *per patientiam ex consolatione Scripturarum fluentem.* Διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν, est Hendyadis. Διὰ τῆς ὑπομονῆς, vertere etiam possumus: *per constantiam*, sc. eorum, quorum exempla laudantur. Cf. Hebr. XI. et XII. Iac. V, 7. sq. Ἡ παράκλησις τῶν γραφῶν, argumenta solatii vel admonitiones, exhortationes, quae in scripturis continentur.

5. Ὁ δὲ Θεὸς — Ἰησοῦν) *Deus vero constantiae* (vel tolerantiae) *auctor largiatur vobis concordiam*

mutuam, convenienter doctrinae christianae. Ὑπομονή, vel est constantia in adversis, vel, quod magis placet, *tolerantia*, qua alter alterum amanter fert. Χριστός, per meton. h. l. est doctrina Christi, ut 2 Cor. XI, 4. Eph. IV, 20. Redit Paulus ad illa, quae c. XIV. exposuerat, nempe ad concordiae mutuaeque lenitatis commendationem.

6. Ἵνα ὁμοθυμαδὸν — Ἰησοῦ Χριστοῦ) i. e. Ut cum Deum laudatis, eique preces funditis, faciatis id non tantum uno ore, eodem verborum sono, sed et animo pleno mutuae dilectionis, sine contemtu, sine odio. Τὸν Θεὸν καὶ πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Deum, qui idem pater est Domini nostri Iesu Christi.* Ephes. I, 17. Io. XX, 17.

7. Διὸ — ἀλλήλους) *Quare benigniter tractate vos invicem* (*mutuo amore vos complectimini*). Cf. notata ad c. XIV, 1. ὡς καὶ — ὑμᾶς, *sicut etiam Christus vos* (Christianos e Iudaeis et gentibus) *in suam amicitiam recepit; auxit vos hoc beneficio*, ut vos adduceret admitteretque ad suum coetum. Εἰς δόξαν Θεοῦ, *ad honorem Dei.* Non ipse suis commodis suoque honori studuit, sed omnia fecit eo consilio, ut voluntati Patris satisfaceret, atque ex eius voluntate saluti hominum consuleret.

8. Λέγω δὲ — πατέρων) *Hoc autem volo, Iesum Christum inserviisse Iudaeis ad stabiliendam Dei veracitatem, ut exhiberet bona Patribus promissa.* Utitur Paulus hoc argumento: Quia Christus et Iudaeis (v. 8.) et paganis (v. 9.) prodesse, atque ex ambobus

unum coetum efficere voluerit, debere alterum Christianorum alteri lenem esse, atque ita ei secundum exemplum Christi inservire, neque vero eum infestare. Περιτομὴ *circumcisi Iudaei*, ut saepius in hac epistola. Διάκονος sc. Θεοῦ, *Dei minister*, i. e. *doctor*, ut 1 Cor. III, 5. VI, 4. aliisque locis. Et est brevis locutio, pro: διάκονος (Θεοῦ) ἀποστελλόμενος πρὸς τοὺς περιτετμημένους. Matth XV, 24. ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ *Pro veracitate Dei*, ut nempe fides constet promissis, Abrahamo, Isaaco et Iacobo olim a Deo factis, ut statim sequitur. εἰς τὸ — πατέρων) *Ut impleretur promissio patribus facta.* Genitivus πατέρων hic obiectum significat. Patribus enim, nempe Iudaeorum, facta erant ista promissa, non gentibus, quanquam et de gentibus vocandis vaticinia praecesserant.

9. Τὰ δὲ ἔθνη — Θεόν) *Sed gentes etiam debere gratuitam Dei erga se misericordiam venerari.* Subauditur et λέγω ex praecedentibus et verbum ὀφείλειν, *debere*. Similis ellipsis supra IV, 13. Quanquam (Apostolus inquit,) Iesus Iudaeis tantum per se Evangelium annunciavit, gentiles tamen minime neglecti sunt, sed et ipsi Deo debent maximas agere gratias pro tanto beneficio ipsis exhibito, ex nulla promissi obligatione. καθὼς γέγραπται) i. e. Sic ut vere impleatur, quod scriptum est. In hoc et sequentibus locis excitantur gentes ad Deum celebrandum. Hoc iam fieri, inquit Apostolus, quum participes sint cognitionis veri Dei, veraeque doctrinae. διὰ τοῦτο — ψαλῶ) *Quapropter celebrabo te inter gentes, tuasque laudes canam*, Ps. XVIII, 50. De significatione verbi ἐξομολογοῦμαι vid. notata ad Matth. XI, 5. Ψάλλειν, *leniter percu-*

tere, tangere, tangere chordas, lyram pulsare, hymnos canere.

10. Καὶ πάλιν λέγει) Sc. ἡ γραφή, Deut. XXXII, 43. εὐφράνθητε — αὐτοῦ) In dicto loco Deut. hebraice extat: הרנינו גוים עמו, *Laetamini gentes, populus eius*, i. e. gentiles, qui et ipsi Dei populus estis. Sed interpretes LXX. quos hic Paulus sequitur, bis legisse videntur litteras עם, nempe hoc modo: הרנינו גוים עם עמו vel, ut Kennicottus e cod. 146. affert, את־עמו.

11. Καὶ πάλιν) Ps. CXVII, 1. Verba hic eadem, quae apud LXX., nisi quod ibi omittitur copula, quae et in Hebraeo non est, sed subauditur. Tria haec loca Paulus tantum accommodat ad sua tempora. Sequens autem locus Messiam felicitatis gentibus promissae auctorem facit.

12. Ἔσται ἡ ῥίζα, τοῦ Ἰεσσαὶ) *Erit oriundus e stirpe Iessaea*, Ies. XI, 10. Ἡ ῥίζα, *stirps*, metonymice, oriundus e stirpe. Apoc. XXII, 6. καὶ — ἐθνῶν) *Imperium in gentes habens.* Latina vetus: *Et qui exsurget regere gentes.* Hebraicus textus habet: *Qui stat in signum populorum.* ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν) Sic LXX. Hebraice: אליו גוים ידרשו *eum consulent gentes*, i. e. a Messia communi auctore salutis populorum omnium, non modo Iudaei, sed et gentiles oracula sibi expetent, s. salutis consequendae rationem doceri cupient, ideoque fiduciam in eo collocabunt.

13. Ὁ δὲ Θεὸς τῆς ἐλπίδος) Deus huius spei, vel

huius felicitatis, quam speramus, auctor. πάσης — πιστεύειν) *Omni tranquillitate et concordia, ita tamen, ut communem fidem retineatis.* Neque enim Deus concordiam probat cum detrimento fidei in Christum. χαρὰ, *hilaritas, animi tranquillitas.* Εἰρήνη, concordia, vel, ut alii malunt, vacuitas a malo, tranquillitas. Tum vero χαρὰ esset *ipsa, de eo, quod Christianus sis, laetandi materies.* εἰς τὸ — ἁγίου) Ut ex illa tranquillitate et concordia spes vestra in Deum crescat, ope spiritus sancti, religionis, qua Deus has virtutes, hanc animi tranquillitatem in nobis efficit.

14. Πέπεισμαι — ἀγαθωσύνης) *Ceterum spero, vos sponte vestra*, sine meo monitu *plenos fore benignitate.* Captatio benevolentiae, qualis etiam Hebr. VI, 9. extat. Ἀγαθωσύνη, *benignitas*, vel *virtus, probitas universa.* καὶ αὐτοὶ, *sponte vestra.* πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως) Satis intelligentes esse vos plerosque libertatis christianae. δυνάμενοι καὶ ἀλλήλους νουθετεῖν) Al. legunt ἄλλους, *alios*, i. e. imperitiores instituere de ea libertate.

15. Τολμηρότερον — ἀπὸ μέρους) Si ἀπὸ μέρους refertur ad τολμηρότερον, sensus erit: *paulo liberius*, ut hic accipit Syrus; nam ἀπὸ μέρους, et ἐκ μέρους diminuit aliquid de eo quod dicitur, ut infra 24. Sed potest etiam referri ad ἔγραψα, tum dicere vult Apostolus, se *in nonnullis epistolae locis* liberius scripsisse. ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς, *ut vobis in mentem revocarem* ea, quae ipsi optime nostis. Verba: διὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, *vi muneris mihi a Deo demandati*, iungenda sunt sequenti commati.

16. Εἰς τὸ — ἔθνη) *ut Christo serviam in erudiendis et instituendis ad religionem ethnicis.* Utitur Apostolus formulis e re sacra Iudaeorum repetitis ad exprimendam sui muneris dignitatem et gravitatem. Λειτουργὸς, *minister publicus, sacerdos.* ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ) *Deo ministrantem in tradenda Evangelii doctrina.* Non obeo sacerdotium Leviticum, sed Christianum. Verbum ἱερουργεῖν sacrificiis proprium est, diciturque *de iis, qui sacris operantur, remque divinam faciunt.* Igitur elegans metaphora inest in his Pauli verbis. ἵνα γένηται — εὐπρόσδεκτος. Persistit in similitudine victimae. *Ut oblatio mea (qua non pecudes offero, sed multos gentiles ad Deum conversos,) Deo sit grata et accepta.* ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ) *Consecrata* (Deo) *per Spiritum sanctum*, i. e. per institutionem in meliore illa et praestantiore religione, quae, quia Deum habet auctorem, saepe πνεῦμα nominatur. Vid. cap. VIII. tot. Victimae Leviticae Deo consecrabantur sale. Mea oblatio, Paulus inquit, qua multos paganos Deo consecrare soleo, fit per institutionem in illa religione praestantiore, cuius ego sum doctor et minister.

17. Ἔχω οὖν καύχησιν ἐν X. I.) *Possum igitur gloriari de Christo*, i. e. me de propaganda Christi doctrina bene meritum esse. τὰ πρὸς τὸν Θεὸν) sc. ὄντα vel ἀνήκοντα, *in rebus ad Deum eiusque gloriam pertinentibus.*

18. Οὐ γὰρ τολμήσω — ἔργῳ) *Non enim auderem dicere, aliquid per me esse gestum, quod tamen Christus non per me effecerit ad propragandam Evangelii doctrinam inter gentes verbis et factis,*

i. e. nisi res se ita haberet, ut modo dixi, non id affirmarem, quamvis non tam ego, quam potius Christus per me haec omnia perfecerit. ὧν, pro ἐκείνων, ἅ. Εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, i. e. εἰς τὸ ὑπακούειν (πιστεύειν) τὰ ἔθνη τῷ εὐαγγελίῳ. Λόγῳ καὶ ἔργῳ *verbis*, praedicatione Evangelii, et *factis*, miraculis nempe, ut statim clarius dicit. Construe haec verba cum κατειργάσατο.

19. Ἐν δυνάμει — πνεύματος Θεοῦ) vel, ut alii legunt, πνεύματος ἁγίου. *Ope plurium miraculorum, ope Spiritus sancti.* Declarat, quid sit ἔργῳ, v. 18. Res ad Deum pertinentes sunt: propagatio religionis christianae, cuius auctor est Deus, qui Christum misit. Πνεῦμα Θεοῦ, vel πνεῦμα ἅγιον, vis et potentia illa divina, qua Paulus miracula effecit, vel etiam spiritus sancti dona, quibus instructus Evangelium docuit. Nam docendi peritia inprimis ad πνεῦμα ἅγιον refertur. Io. XIV, 26. 1 Cor. XII, 8. Declarat, quid sit λόγῳ v. 18. ὥστε με — τοῦ Χριστοῦ) *Ita ut ab Hierosolymis et adiacentibus regionibus usque in Illyricum cum felici successu docuerim Evangelium.* Κύκλῳ hic adverbialiter ponitur pro *circum*. Intelligit Phoenicen, Syriam et Arabiam. Πληροῦν, *perfecte, prospero successu docere*, hebr. גמר, unde etiam גמרה *doctrina Talmudica*. *Illyricum*, regio intra Pannoniam et Epirum iuxta tergum Adriatici maris procurrens. Eius urbs extrema, *Lissus*, Hierosolymis distat 26 gradibus, i. e. circiter 350 milliaribus germanicis.

20. Οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι) *Ut sic magno studio conatus fuerim doctrinam evangelicam tradere.* Φιλοτιμούμενον cohaeret cum voce

μὲ, v. 19. Verbum *φιλοτιμεῖσθαι*, compositum ex *φίλος* et *τιμὴ* significat *facere aliquid honoris caussa.* Iam vero, quae honoris et ambitionis caussa fiunt, studiose solent agi, quoniam, ut Poeta ait, *magnum gloria calcar habet.* Est igitur *φιλοτιμούμενος εὐαγγελίζεσθαι, qui magno studio doctrinam evangelicam tradit.* Cf. 2 Cor. V, 9. *οὐχ ὅπου ὠνομάσθη Χριστὸς) οὐχ non tam, ἀλλὰ, quam potius*, v. 21. *Non tam locis iis, in quibus Christus iam coleretur, quam aliis locis, ubi nomen eius adhuc ignotum esset.* Nam quod hic dicit, non absolute, sed comparative est accipiendum. Reperiebat sane Paulus iam in locis quibusdam, ubi in munere suo fungebatur, *μαθητὰς*, ut Ephesi, Act. XIX, 1. Imo et Romae, ubi iam ab aliis fundata erat ecclesia, ipsum non pudebat *τοῦ εὐαγγελίσασθαι*, c. I, 15. 16. *Ὀνομάζεσθαι* Graecis dicitur, qui *inclutus est, cuius magnum est nomen* et *ὀνομάζειν τὸ ὄνομα κυρίου* 2 Tim. II, 19. denotat *Christum colere. ἵνα μὴ—οἰκοδομῶ) Ne in alieno fundamento aedificarem*, ne pergerem, ubi alii initium fecerunt; quasi diceret: Non id tantum egi, quod facilius erat, nempe ut ibi praedicarem Evangelium, ubi iam per alios erat annunciatum, sed et difficiliora in me suscipere haud dubitavi. Similitudine autem fundamenti et alibi hac in re utitur, 1 Cor. III, 10. Eph. II, 20.

21. *Ἀλλὰ, καθὼς γέγραπται*) Sc. *feci.* Et ego mea ex parte implere studui, quod scriptum erat Ies. LII, 15.

22. *Διὸ καὶ—ὑμᾶς*) Saepe, quum scilicet vellem ad vos venire, inhibitus fui, nempe quia alio trahebat me cura populorum, ad quos nondum, ut iam ad Romanos,

Evangelii notitia pervenerat. Hesychi νεκοπτόμην, ἐνεποδιζόμην.

23. Νυνὶ δὲ — τούτοις) *Nunc autem, non amplius opportunitatem habens in his regionibus*, sc. iacendi fundamenta. Phrasis τόπον ἔχειν h. l. de *occasione* et *opportunitate*, s. loco opportuno cum fructu sufficienti in regionibus illis permanendi intelligenda est, ut Hebr. XII, 17. et apud Iosephum aliquoties. Alii subaudiunt: ὅπου οὐκ ὠνομάσθη Χριστὸς, et τόπον intelligunt *locum*, celebriorem nempe urbem, unde doctrina Apostoli in vicos minores paullatim transferri poterat. Glossar. *regio*, κλίμα. *Philo* de Mundo p. 623. 36. μεγάλα κλίματα τῆς οἰκουμένης. Geographi veteres quicquid terrae inter aequatorem et Polum Arcticum interiacet, in septem climata per circulos aequatori parallelos distinxerunt.

24. Ὡς ἐὰν — Σπανίαν) Etsi Apostolus huius voti non statim compos factus sit, ideoque pluribus viris doctis in Hispaniam nunquam pervenisse videatur, non defuerunt tamen inter Veteres, qui Apostolum post transactum prioris captivitatis Romanae biennium in Hispaniam abiisse assererent, ut Theodoretus ad Phil. I, 25. et 2 Tim. IV, 17. Quum autem nullum huius itineris certum vestigium in quoquam veteri monumento appareat, et hic ipse noster locus, quem Patres nonnulli pro hac sententia afferunt, *consilium* tantum itineris faciendi commemoret, vere perfectum esse hoc Apostoli iter in Hispaniam, merito dubitatur. ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς, ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς) Desunt verba ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς, et illud γὰρ

in Codicibus optimis, nec non in multis Verss. et Patrr. Legendum itaque: ἐλπίζω διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς, *spero obiter invisere vos.* Non opus esse videbatur Apostolo, ut diu ibi commoraretur, quia religionem christianam Romae iam satis propagatam et confirmatam existimabat. C. I, 8. καὶ ὑφ' ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ) *A vobis illuc* (in Hispaniam) *deduci.* Sic quoque 1 Cor. XVI, 6. et 2 Cor. I, 16. In more erat eiusmodi *comitatus.* Act. XV, 3. XVII, 13. 15. etc. Neque hoc tantum indicatur verbo προπέμπειν, sed et *beneficia in hospites conferre*, efficere, ut iter suum commode continuare possint, denotat, 3 Io. 6. Tit. III, 13. Phil. IV, 16. 17. ἐὰν — ἐμπλησθῶ) *Postquam vobis prius ex parte exsatiatus ero.* Ἐμπλησθῆναι notat, *expleri, exsatiari, frui aliquo*, voluptatem, gaudium et fructum ex aliquo percipere. Apostolus *exsatiare* se volebat fidelium Romanorum aspectu et praesentia, c. I, 12. Aelian. H. An. L. V. c. 21. de pavonibus pennarum splendorem ostentantibus dicit: ἐᾷ γὰρ ἐμπλησθῆναι τῆς θέας τὸν παρεστῶτα, *spectatorem enim conspectu suo expleri facile patitur.* Maximus Tyr. Dissert. 41. *Ut coelum aspiciat,* καὶ ἐμπλησθῇ λαμπροῦ φωτὸς, *puraque luce penitus fruatur.*

25. Διακονῶν τοῖς ἁγίοις) *Collectam pecuniam deportaturus et distributurus Christianis.* De verbo διακονεῖν cf. Act. VI, 2.

26. Εὐδόκησαν — Ἀχαΐα) *Placuit enim Macedoniae et Achaiae,* i. e. ecclesiis quae sunt in Macedonia et Achaia. Tacite Romanos ad pares liberalitates

invitat. κοινωνίαν—Ἱερουσαλὴμ) *Pecuniam conferre ad usus pauperum Christianorum, qui sunt Hierosolymis.* Κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι, Latini veteres reddunt: *Collationem aliquam facere*, *eine Collecte machen.* Κοινωνίαν ποιήσασθαι, pro κοινωνεῖν, ut λόγον ποιεῖσθαι pro λέγειν, significat *communicare*, in commune conferre, largiri aliquid. Christiani Hierosolymitani prae ceteris vexationibus Iudaeorum expositi erant. Damnabantur a Synedrio, bonis spoliabantur, et alias graves calamitates sustinebant. Ideo Paulus sedulo curavit, ut in omnibus fere ecclesiis in usum eorum pecunia colligeretur.

27. Εὐδόκησαν - εἰσιν) *Placuit ipsis, inquam, sed et debent iis multa.* Est in his verbis ἀναφορὰ, simul cum ἐπανορθώσει. *Proprie* debet, a quo in iure aliquid exigi potest; *improprie*, ut hic, quem honesta aliqua ratio ad agendum impellit. εἰ γὰρ—λειτουργῆσαι αὐτοῖς) *Quum enim beneficiorum divinorum* Evangelii, *quae proprie ad eos* (Iudaeos) *pertinebant, participes facti sint gentiles, aequum sane est, ut illos beneficiis ad corpus pertinentibus adiuvent.* Κοινωνεῖν τινὶ, *in societatem rei venire.* Τὰ πνευματικὰ, sc. χαρίσματα, beneficia Evangelii, quae proprie ad Iudaeos pertinebant, quippe quibus Messias proxime erat promissus. Σαρκικὰ vocat, quae ad hanc vitam sustentandam pertinent. Λειτουργῆσαι hic est *inservire*, nempe alicuius necessitatibus.

28. Τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας) *Quo sacro officio postquam defunctus fuero.* Verbum ἐπιτελεῖν inprimis de ceremoniis sacris usurpari solet, Hebr. IX, 6. καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον) *Istumque* muneris

mei inter gentiles *fructum deposuero.* Σφραγίζειν, *obsignare*, metonymice est *tuto deponere;* nam obsignari solent, quae deponuntur. Sic 2 Reg. XXII, 4. σφράγισον τὸ ἀργύριον. Porro καρπὸς fructum muneris Apostolici apud gentiles gesti denotat, nempe eiusmodi beneficia, quae ipso facto doceant, quid Paulus institutione sua apud gentiles consecutus sit. δι' ὑμῶν) i. e. *per urbem vestram*, sicut: *eamus ad me*, i. e. domum meam.

29. Ἐν πληρώματι—Χριστοῦ) *Cum beneficiis summis Evangelii Christi.* Πλήρωμα, per Hebraismum, *abundantia*, s. *copia maxima.* Εὐλογία est *omne id, quod liberaliter in nos confertur, beneficium.* Ἐν πληρώματι εὐλογίας igitur est pro ἐν πολλῇ εὐλογίᾳ. Sperat Apostolus se multum profuturum esse Romanis augendo et confirmando eorum scientiam religionis, exhortando, monendo, consolando etc. Conf. supra c. I, 11.

30. Διὰ τῆς ἀγάπης τ. πν.) Per illam dilectionem, quam in nobis effecit Spiritus sanctus, nempe per doctrinam Christi, vel etiam per amorem sanctum, natum e doctrina Christi. συναγωνίσασθαι — Θεὸν) *Ut una mecum in precibus pro me ad Deum faciendis magnum studium adhibeatis.* Ἀγωνίζεσθαι dicitur pro: *magno studio et contentione aliquid facere.* Cf. Luc. XIII, 24. Bene de precibus id dicitur, quandoquidem et Latinis usitata est forma: *precibus contendere.*

31. Ἵνα ῥυσθῶ—Ἰουδαίᾳ) *Ut eripiar ab immorigeris in Iudaea*, ab his qui resistunt evangelicae do-

ctrinae, ut eorum manus evadam. Praevidebat enim periculum ex eorum saevitia, Act. XXI, 11. De eventu cf. Act. XXI, 27. sqq. XXII, 22—24. XXIII. etc. Ἵνα ἡ διακονία—ἁγίοις) *Ut ministerium meum Hierosolymitanis destinatum Christianis illis gratum sit.* Διακονία autem h. l. est pecunia collecta, quam deportabat Hierosolyma. Optat ut Iudaeo-Christiani Christianos ex gentibus ament, conspecta eorum in se beneficentia.

32. Ἐν χαρᾷ) Laetus tam bono operis successu. διὰ θελήματος Θεοῦ) Hanc conditionem addidit in eadam caussa, Rom. I, 10. Neque tamen aliter nisi captivus Romam venit. Act. XXIII, 11. XXVIII, 14. συναναπαύσωμαι ὑμῖν) *Una vobiscum animi voluptatem capiam.* Συναναπαύεσθαι est *solatium dare et accipere.* Supra c. I, 12. συμπαρακληθῆναι dixerat.

33. Θεὸς τῆς εἰρήνης) Deus omnium horum beneficiorum auctor; cui haec omnia debemus. Εἰρήνη שָׁלוֹם, omne bonum. μετὰ πάντων ὑμῶν) Vobis adsit, faveat, opituletur.

CAP. XVI.

1. Συνίστημι — ἐν Κεγχρεαῖς) Videtur haec *Phoebe* fuisse in consortio eorum, quibus, coniunctim iter Romam facientibus, Paulus has litteras perferendas tradiderat. Τὴν ἀδελφὴν ἡμῶν, *ob religionis societatem nobis coniunctissimam.* οὖσαν διάκονον, i. e. ἥτις ἦν μέχρι τοῦ νῦν διάκονος, *quae hactenus erat ministra.*

Veteres vocarunt etiam *Diaconissas* tales mulieres. Officium earum in eo erat positum, ut mulieres baptizandas fontibus sacris mergerent, catechumenas docerent, aegrotas vel afflictas viserent et curarent, aliisque pluribus rebus operam darent, quas recenset *Binghamus* in Orig. Eccles. II, 22. Fuerat autem Phoebe Diaconissa τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς. De Cenchreis locus extat apud *Apulej.* I, 10. „*Cenchreas* pervado, quod oppidum adeunt quidem nobilissimae coloniae Corinthiensium, alluitur autem Aegeo et Saronico mari, ubi *portus* etiam, tutissimum navium receptaculum, magnoque frequentatur populo.“ Coetus Christianus in hac urbe pertinuisse videtur ad ecclesiam Corinthiacam, ceu matrem.

2. Ἵνα αὐτὴν — ἁγίων) *Ut eam ob Christum* (cui fideliter inserviit) *hospitio excipiatis, sicut Christianos decet.* ἵνα παραστῆτε αὐτῇ) *Ut eam adiuvetis.* Metaphora elegantissima, petita a militibus, qui in acie sibi adstant, mutuoque sunt auxilio, unde παραστάται dicuntur, quo sensu est apud Iosephum, de B. I. II, 12. 7. Ἐν ᾧ — πράγματι) *in quacumque re indiguerit ope vestra.* Πράγμα, *res, negotium quodvis.* Qui caussam forensem coram Caesare agendam intelligunt, statuunt id sine idonea ratione. καὶ γὰρ αὕτη — ἐμοῦ) *Nam et ipsa patrona multorum, meique ipsius extitit. Glossar. patronus,* προστάτης, πάτρων, τουτέστιν ὁ ἐλευθερώσας. Sic Athenis dicebantur peregrinorum defensores. *Suidas:* οἱ τῶν μετοίκων Ἀθήνησι προσστηκότες, προστάται ἐκαλοῦντο, ἀναγκαῖον γὰρ ἦν ἑκάστῳ τῶν μετοίκων πολίτην τινὰ ἀθηναῖον νέμειν προστάτην. *Theodoretus* ad nostrum locum: προστασίαν

δὲ ὡς οἶμαι, τὴν φιλοξενίαν καὶ κηδεμονίαν καλεῖ — *hospitalitatem, et curam, quam eius caussa suscepit.*

3. Πρίσκαν καὶ Ἀκύλαν) Omnino legendum Πρίσκαν, non Πρίσκιλλαν, quia priorem illam lectionem habent Codd. 6. uncialibus, et plurimi minusculis litteris scripti, cum nonnullis Verss. et Patrr. Sed *Prisca* eadem est, quae in Actis *Priscilla* dicitur. Sic Livilla, Secundilla, Tertulla, pro Livia, Secunda, Tertia. τοὺς συνεργοὺς — Ἰησοῦ) *Adiutores meos in tradenda doctrina Christi.* Cf. Act. XVIII, 2. 24 — 26. 1 Cor. XVI, 19 etc.

4. Οἵτινες — ὑπέθηκαν) *Qui vitam mihi cum praesentissimo vitae suae periculo servarunt.* Est proverbialis locutio τράχηλον ὑποτιθέναι, quomodo dare cervices et praebere cervices apud Ciceronem et Iuvenalem. Sic et *caput obiicere periculis* frequens locutio. Fortassis Corinthi apud Gallionem Proconsulem pro Paulo se interposuerunt, Act. XVIII, 12—17. vel Ephesi Act. XIX, 30. 35. coll. XVIII, 18. 19.

5. Καὶ τὴν — ἐκκλησίαν) *Et coetum, qui in eorum aedibus convenire solet.* Nam in aedibus privatis tum Christiani ad cultum divinum convenire solebant. Ἐπαινετὸν — τῆς Ἀσίας εἰς Χριστὸν) *Epaenetum, primum in Asia Christianum.* Alii legunt τῆς Ἀχαΐας, sed praeferenda videtur lectio τῆς Ἀσίας, quam et optimi Codd. et Verss. nonnullae ac Patres habent. Nam ἀπαρχὴ *Achaiae*, non *Epaenetus*, sed *Stephanas*, 1 Cor. XVI, 15. *Primitiae* vocantur, qui in quaque gente primi crediderunt, similitudine ducta ab illis oblationibus, quae תרומות Hebraeis, ἀπαρχαὶ Hellenistis.

7. Καὶ Ἰουνίαν) Quae videtur fuisse uxor Andronici. Aliis *Iunias* est nomen viri, pro Iunius. Τοὺς συγγενεῖς μου, *generis propinquitate mihi coniunctos*, nempe Iudaeo-Christianos. Συγγενεῖς h. l. videntur esse *populares*, non *cognati*. καὶ συναιχμαλώτους μου) Quanquam Acta Apostolorum de hac captivitate nihil habent, certum tamen est, Paulum, antequam hanc ad Romanos Epistolam scriberet, aliquoties in carceres coniectum esse. 2 Cor. XI, 23. οἵτινές — Ἀποστόλοις) *Qui etiam ceteris Apostolis bene sunt cogniti.* γεγόνασιν ἐν Χριστῷ) *Christiani fuerunt.* Ἐν Χριστῷ εἶναι, *in Christum credere.*

8. Τὸν ἀγαπητόν μου ἐν Κυρίῳ) *Qui est amicus meus, isque Christianus.* Formulae ἐν Κυρίῳ, ἐν Χριστῷ habent vim definiendi, i. e. iudicandi quo sensu, quaque cum cautione accipiatur verbum cui adiungantur.

9. Τὸν συνεργὸν ἡμῶν ἐν Χριστῷ) *Commilitonem nostrum, nempe in Christi doctrina propaganda*, s. *commilitonem christianum.* Vid. v. 8.

10. Τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ) i. e. probatum Christianum; qui magnis experimentis apparuit esse bona fide Christianus. τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου) sc. οἰκιακῶν ὄντας, *domesticos* vel familiares Aristobuli, qui tunc iam mortuus fuisse videtur.

11. Τοὺς ὄντας ἐν Κυρίῳ) *Qui sunt Christiani.* Ergo non omnes Narcissi familiares erant Christiani. Erat quidam *Narcissus* Claudii libertus, cuius fit mentio apud *Sueton.* in Claud. 28. *Tacit.* A. XII, 57.

12. Τὰς κοπιώσας ἐν Κυρίῳ) *Quae bene merentur Christianis.* Κοπιᾶν, *laborare*, labores suscipere, operam impendere. Ἐν Κυρίῳ, *respectu Domini*, pro coetu christiano.

13. Τὸν ἐκλεκτὸν ἐν Κυρίῳ) *Carum nobis propter Dominum*, quia est Christianus. Nam *electus* ob Hebraismum videtur simpliciter indicare *dilectum, carum.* Καὶ τὴν - ἐμοῦ) Rufi matrem natura, Pauli affectu, quomodo Maria virgo mater Ioannis Apostoli. Terent. Adelph. I, 2, 46. *Natura tu illi pater es, consiliis ego.*

14. Ἑρμῆν) Putant Origenes, et eum secuti Veteres, hunc esse, qui graece scripsit librum *Pastoris*, quem habemus latine, et fragmenta quaedam graeca apud *Irenaeum* et *Clementem.* Sed notissimum fuisse inter Graecos Romanosque nomen, patet ex Grut. Inscript. Vid. indicem.

16. Ἀσπάσασθε — ἁγίῳ) Exosculatio ista post peractas preces publicas, ante celebrationem sacrae coenae usitata erat. Iustinus M. Apol. II. ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. Constitutt. Apost. Lib. II. c. 57. εἶτα καὶ ἀσπαζέσθωσαν ἀλλήλους οἱ ἄνδρες, καὶ ἀλλήλας αἱ γυναῖκες, τὸ ἐν κυρίῳ φίλημα. Ostendebant eo modo Christiani, se omnes inter se pares esse. Nam apud Persas et alios Orientis populos pares os inter se iungebant, superiores dabant manum osculandam inferioribus. ἀσπάζονται — Χριστοῦ) Quaerunt interpretes, quomodo *omnium* ecclesiarum nomine salutem scribere Paulus potuerit? Erasmus: Quoniam cognovit omnium erga Romanos studium, omnium nomine salutat. Sed per se intelligitur, Paulum salutare

Romanos earum ecclesiarum nomine, quas in itinere visere sibi contigerat Salutem dicere iis, qui nobis nonnisi ex fama noti sunt, solenne esse omnes sciunt.

17. Ἀδελφοί) *Christiani.* Non tantum presbyteri, quibus tradebatur epistola, sed et reliqui Christiani, quibus omnibus commune est *fratrum* nomen, hic intelligi possunt. σκοπεῖν — ποιοῦντας) *Ut caveatis vobis ab hominibus rixas et schismata contra doctrinam qua imbuti estis, excitantibus*, quales multi Pseudapostoli passim hactenus extiterant. Τὰ σκάνδαλα, vel *pravae opiniones* vel flagitia et scelera. καὶ ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν, declinate familiarem huiusmodi hominum convictum. Cf. 2 Thess. III, 6. Tit. III, 10.

18. Ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ) *Sed ventri suo inserviunt*, quaestum, victum, alimenta sibi parare student. Phil. III, 18. 19. Nimirum isti homines duo spectabant: *primum* ut semet et alios Christianos liberarent a cruce; nam Iudaeis ab antiquo permissa erat per Imperium Romanum suae religionis libertas, non item Christianis: *deinde* ea ratione Iudaeorum sibi amicitiam et inde utilitates parabant. Fortassis idem fecerunt, quod tum facere solebant multi, qui erant e secta Pharisaeorum, Matth. XXIII, 14. 15. Videntur nempe lucri caussa ditioribus persuasisse professionem Christianismi, ita tamen ut circumciderentur, et ritus Mosaicos observarent. Sic etiam laudem et praemia ab ipsis Iudaeis reportabant. Vid. *Michaelis* ad h. l. διὰ τῆς χρηστολογίας) *Blandis verbis. Iul. Capitolinus* in Pertinace, 13. Omnes, qui libere conferebant, male Pertinacem loquebantur, *chrestologum* eum appellan-

tes, qui bene loqueretur et male faceret. *A. Victor*, Epit. 34. blandus magis quam beneficus, unde eum Graeco nomine χρηστόλογον appellavere. καὶ εὐλογίας) Εὐλογία h. l. dicitur non hebraico, sed graeco significatu, *laus, celebratio alterius;* nam graece εὐλογεῖν, εὐλέγειν significat *laudare.* Ἄκακος fere convenit cum nominis ἁπλοῦς significatione, et dicitur de homine ingenuae simplicitatis, qui nec ipse fraudibus utitur, nec aliis inesse suspicatur.

19. Ἡ γὰρ — ἀφίκετο) *Nam vestra obedientia* Evangelio Christi praestita *ad omnes pervenit*, i. e. omnibus innotuit. Sic apud Hippocratem in epist. sect. 8. Democritus ad Hippocratem dicit: πολύτε σου τὸ κλέος τῆς ἐν ἰητρικῇ σοφίης πεφοίτηκεν, καὶ ἐς ἡμέας ἀφῖκται, *magna laus tuae in arte medica sapientiae emanavit, et ad nos pervenit.* Debetis igitur vestrae ipsorum famae et existimationi porro consulere. τὸ ἐφ' ὑμῖν) Istud τὸ abundat, ut Rom. XII, 18. IX, 5. θέλω — κακὸν) *Tamen velim vos esse peritos ad bonum, simplices vero* (imperitos) *ad malum;* ita prudentes, ut non fallamini, ita bonos, ut non fallatis. Matth. X, 16. σοφὸς, *sapiens, prudens*, in rebus divinis et humanis. Ἀκέραιος, *simplex, insons, ab omni astutia et fraude alienus.*

20. Ὁ δὲ Θεὸς — ἐν τάχει) *Deus, pacis vel salutis auctor subiiciet Satanam pedibus vestris, eumque confringet*, vi sua privabit; i. e. eripiet vos malis, quibus religionis hostes vos nunc afficiunt. Verbo συντρίβειν utitur Apostolus, memor fortassis loci Gen. III, 15. Est etiam συντρίβειν concise dictum, pro ὑπο-

τιθέναι τοῖς ποσὶ, καὶ συντρίβειν. Σατανᾶς hic denotat praecipue Satanae, omnium malorum auctoris instrumenta, e. c. pravos doctores, qui coetus Christianorum corrumpebant. Hos, inquit Paulus, Deus brevi ita deprimet, ut nocere vobis amplius non possint. Idque eventus comprobavit, teste *Eusebio*, Hist. Eccl. III, 29. Potest etiam συντρίψει sumi *optative: Compescat* Deus eos, qui dissensionem serunt et offendicula, v. 17. ἡ χάρις—ἡμῶν) *In hoc* quod dixi, *Christus vobis faveat, et opituletur.* Hic iterum finire proposuerat Paulus, sed tempore dato, pauca adiicit et ipse et scriba eius, ut solet subter epistolas fieri.

21. Τιμόθεος) Is tunc cum Paulo Corinthum venerat. Act. XX, 4. Λούκιος) Hunc *Lucam* esse nonnulli existimant, qui isto tempore cum Paulo fuit, Act. XX, 5. Secundum alios est *Lucius Cyrenaeus*, cuius fit mentio Act. XIII, 1. Omnia incerta.

22. Ἐγὼ Τέρτιος, ὁ γράψας τὴν ἐπιστολήν) nempe dictatam a Paulo. Paulus itaque hanc epistolam non scripsit propria manu, sed, ut saepe, scriba est usus, et salutandi tantum formulam manu propria addidit, 2 Thess. III, 17. 1 Cor. XVI, 21. Col. IV, 18. Ἐν Κυρίῳ, refer ad ἀσπάζομαι, *salutem vobis impertio animo vere Christiano.*

23. Γαΐος—ὅλης) Hunc postea fuisse episcopum ecclesiae Thessalonicensis ait ex traditione *Origines*. Latini scribebant Caius, pronunciabant Gaius. Is Caius totius ecclesiae hospes nominari videtur, quia conventus Christianorum habiti sunt in illius aedibus. ὁ οἰκο-

νόμος τῆς πόλεως) *Administrator, dispensator pecuniarum publicarum.* Fuerunt hi viri magnae dignitatis et auctoritatis in urbibus; unde apud Iosephum οἰκονόμοι et ἄρχοντες coniunguntur, Ant. XI, 6. 12.

24. Ἡ χάρις — ἀμήν) Eadem verba, quae supra v. 20. nisi quod ibi abest πάντων. Sed Paulus eandem sententiam rursus scripsit sua manu, ut moris ipsi erat. Desunt tamen in nonnullis Codd. et Versionibus.

25. Clausulam hanc exhiberi in nonnullis ad finem cap. XIV. supra ad v. 23. dicti capitis monuimus. τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι) *Ei vero, qui potest vos confirmare*, vel constantes reddere, sc. in fide et religione. Quum desit verbum ad quod Dativus referatur, vulgo haec verba cum δόξα v. 27. construunt, et ᾧ pleonastice additum per anacoluthon orationis dicunt. κατὰ τὸ εὐαγγελιόν μου) *Per Evangelium meum*, i. e. per doctrinam, quam ego doceo. Κατὰ, *per*, ut 1 Cor. XII, 8. coll. 10. 11. καὶ τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Imo per eam doctrinam, quam praedicavit ipse Christus.* Κήρυγμα, idem quod εὐαγγέλιον. Crescit oratio. Potest etiam simpliciter verti: *doctrina christiana*, institutio in religione Christi. Ἰησοῦς Χριστὸς, doctrina Christi. κατὰ ἀποκάλυψιν — σεσιγημένου) *Per promulgationem arcanae illius doctrinae, quae inde ab antiquissimis temporibus abscondita fuit.* Μυστήριον est res quaelibet arcana, hominibus antea ignota, hic autem doctrina christiana, quae quoad magnam partem antea ignota fuerat, Eph. I, 9. Col. I, 26. Aliquid de his veritatibus dixerunt Prophetae, ut iam sequetur, sed id ipsum nunquam intellectum est, nisi ex

eventu. Χρόνοις αἰωνίοις, *longissimo tempore*, ut ἀπὸ τῶν αἰώνων Col. I, 26.

26. 27. Φανερωθέντος δὲ νῦν) *Manifestata autem est nunc*, tempore N. T. quod Veteri opponitur. διά τε γραφῶν προφητικῶν) Pro κατὰ γραφὰς προφητικὰς, *accommodate ad Prophetarum oracula.* 2 Petr. I, 20. Κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου Θεοῦ, refer ad Φανερωθέντος, quae doctrina nunc manifestatur, et publice traditur, iubente aeterno Deo. εἰς ὑπακοὴν — γνωρισθέντος, *qui* (aeternus Deus) *nunc omnibus innotuit, eo quidem consilio, ut religioni obsequantur.* Potest etiam γνωρισθέντος referri ad μυστήριον v. 25., ut Paulus dicat, incognitum antea Dei illud consilium nunc innotescere, detegi et exponi per Apostolos omnibus omnium nationum hominibus, i. e. sine discrimine gentibus et Iudaeis. Εἰς πάντα τὰ ἔθνη, i. e. πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, *omnibus gentibus.* Εἰς ὑπακοὴν πίστεως, pro εἰς τὸ ὑπακούειν τῇ πίστει vel εἰς τὸ πιστεύειν, cf. cap. I, 5. μόνῳ σοφῷ Θεῷ) *Soli, inquam, sapienti Deo.* Sic enim hyperbaton optime illustratur, addito verbo *inquam. Solus sapiens* Deus dicitur, quia solus auctor est omnis sapientiae, *sapientissimus.* 1 Tim. I, 7. διὰ I. X. ᾧ — αἰῶνας) Illud ᾧ in versione recte omittitur; est enim Hebraismus, quum nempe expresso antecedente relativum abundat. Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ iungo sequentibus pro τούτῳ διὰ I. X. δόξα, etc. *is sensu vere christiano celebretur* etc.

Subscriptio est: Πρὸς Ῥωμαίους — ἐκκλησίας. Sed certum est et exploratum, subscriptiones additas esse ab incertis auctoribus, qui ex certis historicis περιστά-

σεσι collegerunt, ubi epistola quaedam scripta, per quem missa, quo tempore exarata sit. Auctor subscriptionis epistolae ad Romanos sic videtur argumentatus esse: Paulus c. XV, 26. scripsit, Macedonas et Achaeos collegisse pecunias in usum pauperum Christianorum Hierosolymitanorum; in Achaia autem fuit Corinthus; ergo Epistola scripta est Corinthi. Hoc vero non sequi, nemo non videt. Porro c. XVI, 1. Paulus commendat Romanis Phoeben, diaconissam Cenchreensem; ergo epistola per eam scripta est, ἐγράφη διὰ Φοίβης, quum tamen *Tertius* eam scripsisse dicatur v. 22. Res itaque manet incerta. Consentiunt tamen Origenes, Theodoretus, Euthalius, et nunc plerique statuunt, Corinthi hanc epistolam esse scriptam.

Corrigenda.

Pag. 2. lin. 14. pro θαυμάτων leg. θαυμάτων.
— 5. — 13. *Richmius* leg. Riehmius.
— 6. — 8. leg. סַפַּר.
— 6. — 9. pro רברי leg. דברי.
— 7. — 11. leg. Io. V, 29. —
— 7. — 21. del. ν.
— 9. — 8. post: (X, 41.) pon. Punctum
— 12. — 22. pro paralellis leg. parallelis
— 13. — 15. — τῆς, γῆς, leg. τῆς γῆς,
— 16. — 22. — G, leg. P.
— 17. — 28. leg. quidem est
— 17. — 30. — יחדיו et יחדו
— 22. — 1. pro טורה leg. טירה
— 27. — 2. leg. πεντηκοστῆς
— 29. — ult. pro לשׁון leg. לְשׁוֹן
— 31. — 28. — Postremo leg. Postrema

Pag. 36. lin. 13. pro hos leg. has
— 38. — 4. — praecabantur leg. precabantur
— 39. — 4. — humanosque leg. humanasque
— 45. — 1. — Clare leg. Clara
— 46. — 18. — sentent leg. sentient. Pro προφητεύουσιν leg. προφητεύειν
— 47. — 20. — יְהֹוָה leg. יְהֹוָה
— 57. — 10. — textram leg. dextram. Lin. 24. leg. i. e. mens. Lin. 26. leg. alioqui
— 59. — 2. Verba hebr. hoc ordine leg.
לֹא־תִתֵּן חַסִידֶיךָ לִרְאוֹת שָׁחַת
— 59. — 3. pro שחה leg. שחת
— 59. — 8. — שחת — שחה
— 59. — 19. — Levicori leg. Lexicorum
— 61. — 26. 27. Vocc. hebr. hoc ord. leg. מפרי בטנך
— 64. — 7. pro xide leg. vide
— 65. — 23. — נכאת leg. נכאה
— 67. — 20. — religionam leg. religionem
— 68. — 26. — no- leg. notat
— 71. — 16. del. *quod*. Lin. 28. post τινα pon. Comma.
— 74. — extr. pro הלך leg. חלד
— 76. — 5. pro reto leg. retro
— 79. — 4. — ἀργηγοὶ leg. ἀρχηγοὶ
— 80. — 3. — *incolumitate* leg. *incolumitatem*
— 81. — 17. — Syr. leg. Sir.
— 83. — 1. Verba *Ceterum* etc. eadem linea continuanda sunt cum *excipere debebat*. Pag. 28. extr.
— 89. — 4. 5. Verba: sit sumendum. Monuerat enim etc. eadem linea legenda sunt.
— 90. — 3. 4. leg. כל נפש. Lin. 10. pro אנבי leg. אנכי
— 91. — 8. pro est leg. res
— 92. — 14. post *prodire* del. Comma. Lin. 25. ante *primum* del. *misit*.
— 94. — 25. pro comprehendatur leg. comprehendantur
— 95. — 23. — משנח leg. משנה. Lin. 24. pro חראש leg. הראש
— 99. — 17. pro proterea leg. propterea
— 104. — 23. — ad leg. a. Lin. extr. pro חמשיח leg. המשיח
— 105. — 27 — 29. Verba: haec dicta sunt! Nam vere etc. eadem lin. leg.
— 106. — 20. pro 27. leg. 28.
— 109. — 2. post vid. leg. *Flatt*
— 109. — 14. pro ressurectionem leg. resurrectionem.
— 109. — 27. — recti leg. recte
— 111. — 2. — propheticae leg. prophetiae
— 120. — 11. del. vocc. non hebr.
— 123. — 29. pro erant leg. intererant
— 124. — 2. 3. leg. זִקְנֵי הָעִיר

Pag. 124. lin. 17. pro dubio leg. dubii
— 125. — 2. — sacrae leg. factae
— 140. — 19. ante *Cilicum* leg. *et*
— 143. — 12. pro ob — ab. Lin. 16. ante simili leg. ubi
— 144. — 26. — exceptum leg. exceptam
— 151. — 9. — cocinerent leg. concinerent
— 152. — 25. — perregrinam leg. peregrinam. Lin. 28. pro taman leg. tamen
— 155. — 28. — Sua leg. Ea
— 163. — 26. — *tu is* leg. *ut is*
— 170. — 3. Post III, 2. pon. uncinae signum, quod lin. sq. del.
— 186. — 6. pro *σεξιῶν* leg. *δεξιῶν*
— 210. — 5. — *Ὡ* leg. *Ὀ*
— 213. — 6. — profiscar leg. proficiscar
— 218. — 15. — priorum leg. piorum
— 228. — 21. — praecantium leg. precantium
— 250. — 4. — Hac leg. Hoc. Lin. 14. pro nobilati leg. nobilitati
— 255. — 2. post *τὸν* leg. *οἶκον*
— 257. — 26. pro *ηὐπορεῖτο* leg. *εὐπορεῖτο*
— 262. — 4. — percusisse leg. percussisse
— 275. — 5. — donoverat leg. donaverat
— 282. — 17. — demes leg. demas
— 286. — 8. post *agnoscerent* del. Comma
— 305. — 28. pro *τὰς* leg. *τοὺς*
— 308. — 7. — attribunt leg. attribuunt
— 311. — 21. — מימי leg. בימי
— 313. — 5. — obendientia leg. obedientia
— 315. — 14. — *eam* leg. *eamque*
— 319. — 27. — meritricia leg. meretricia
— 334. — 26. — praecandi leg. precandi
— 352. — 25. — am leg. iam
— 360. — 31. — huminum leg. hominum
— 361. — 27. — *προστεσαγμένους* leg. *προστεταγμένους*
— 373. — 9. — labefactam leg. labefactatam
— 376. — 22. — alienores leg. alieniores
— 394. — 13. — inter leg. Inter
— 409. — 2. — *profiscor* leg. *proficiscor*
— 424. — 30. — *δαπάνισον* leg. *δαπάνησον*
— 427. — extr. pro quis leg. qui
— 448. — 11. pro et leg. ei
— 450. — 17. — *Διακούδομαι* leg. *Διακούδομαι*
— 460. — 1. — *Matthaeo* leg. *Matthaeio*
— 465. — 1. leg. periculosum
— 470. — 5. pro *Beronices* leg. Berenices
— 471. — 12. — inquis leg. inquit.
— 473. — 17. — 20. leg. 21. Lin. 24. pro 25. leg. 23.
— 474. — 23. — *οὖ* leg. *οὐ*
— 477. — 4. — i. d. leg. i. q.
— 480. — 20. post hanc del. sibi
— 482. — 23. pro *ὀφθαλοὺς* leg. *ὀφθαλμοὺς*

Pag. 496. lin. 13. pro sinibus leg. finibus
— 500. — 14. — Arn. leg. Aen.
— 507. — 9. — cunis leg. ulnis
— 519. — 16. — etci leg. etc.
— 523. — 11. — *Κορὶι* leg. *Κορρὶι*
— 528. — 21. — discripulos leg. discipulos
— 539. — 1. — 22. leg. 32.
— 542. — 20. — *φάσκες* leg. *ἄφασκες*
— 544. — 19. — VII, leg. XVII,
— 549. — 30. — חק et חקה leg. חק et חקה
— 554. — 2. — 24. leg. 14.
— 556. — 3. — 43. leg. 48.
— 557. — 26. — st leg. et
— 558. — 22. — post *σύνεσις* pon. *ἡ*
— 568. — 14. — pro *συνιστάειν* leg. *συνιστάνειν*
— 578. — 17. — Chrisium leg. Christum. Lin. 26. pro Hebareorum leg. Hebraeorum
— 579. — 28. post promissum pon. Comma
— 590. — 1. pro *Ὠι* leg. *Ὦ*
— 595. — 7. ante *γὰρ* pon. *οὖ*
— 623. — 10. pro aliena leg. altera
— 624. — 26. ante sicut pon. quia
— 638. — 8. pro quae leg. qua
— 646. — 10. — Hof. leg. Hos.
— 662. — 5. ante pro pon. et. Lin. 14. pro muminum leg. numinum. Lin. 26. pro ut leg. et
— 691. — 25. pro Dei leg. Deo
— 696. — 14. — חנן leg. חנן. Lin. 26. pro subdit leg. subditis
— 698. — 10. pro חקשה leg. הקשה
— 725. — 5. — LXXI. leg. LXIX.
— 745. — 15. — complectabatur leg. complectebatur
— 749. — 27. — III, 21. leg. VIII, 21.
— 758. — 4. — divinam leg. diurnam

BS2335 .R815 1815 v.3
Scholia in Novum Testamentum...
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00052 7590